Ad Indicem

Prædicatio qualiter moderanda fol. 169

MEDITATIONES
SUPER
VERITATES CHRISTIANAS ET ECCLESIASTICAS

Deſumptæ ex Epiſtolis & Evangeliis Miſſarum totius anni, atque in ſingulos illius Hebdomadarum dies, & principalia feſta diſtributæ

UNIVERSIS de CLERO

Ut & ſe ipſos ad Celebrandum ſeu dignè Communicandum, nec non ad quævis Eccleſiaſtica munia Sanctè obeunda diſponere; & Populum ſuæ Curæ commiſſum debitè ac fructuoſè inſtruere valeant.

OPUS UTILISSIMUM

AUTHORE M. *** PRESBYTERO CURATO DIŒCESIS LUGDUNENSIS

Gallicè editum, latinitate verò à quodam Canonico Regulari S. Auguſtini donatum, in quatuor partes diviſum, & pro Bono Cleri Germaniæ Typis impreſſum

NUNC DEMUM.

AUTHORITATE & MANDATO

ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI EPISCOPI CULMENSIS & POMESANIÆ

REIMPRESSUM

PARS VERNALIS

à Diè Cinerum, ad Dominicam Trinitatis.

CULMÆ IN PRUSSIA
M. DCC. LX. II.

IGNIS IN ALTARI SEMPER ARDEBIT, QUEM NUTRIET SACERDOS, SUBJICIENS LIGNA MANE PER SINGULOS DIES. Lev. 6. 12.

PRO

PRO DIE CINERUM.

Inter vestibulum, & altare plorabunt sacerdotes, & ministri Domini, & dicent, parce Domine, parce populo &c. Joël. 2. v. 17.

OBLIGATIO CLERICORUM.

1. Extendere se debet hoc tempore, ut tam propria quàm peccata populi deplorent.
2. Motiva. cur ità facere debeant.

PUNCTUM I. AMplectamur, profundâ quâdam humilitate, pœnitentiam, quam ecclesia nobis imponìt; non contenti simus tantùm jejunare, quemadmodum reliqui christiani; convertamus nos ad Deum ex toto corde nostro, & laboremus ad conversionem e-

tiam aliorum; oremus, & ploremus, non ſolùm pro peccatis noſtris, ſed magìs adhuc pro populi, prout eccleſia nos invitat per hæc verba Joëlis prophetæ; faciamus ad minimum, hoc ſacro tempore, quod tot ſancti ſacerdotes, & paſtores, totâ vitâ ſuâ, fecerunt. Quoties ingemuit S. Paulus, ſub pondere corporis hujus mortalis, in conſideratione miſeriarum, & infirmitatum ſuarum, quæ eum ab eo elongaverunt, qui erat unicum objectum deſideriorum ſuorum? *quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino* 2. Cor. 5. 6. Quoties dixit deplorans prolongationem exilii ſui: *infelix ego homo, quis me liberabit, de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24 quas non profudit lacrymas ſuper peccata populi, & propter obſtinationem peccatorum, præſertim illam Judæorum, quæ cor illius in continuâ triſtitiâ, & continuo dolore tenebat, prout ipſemet ait? Rom. 9. ſequebatur in hoc, exemplum, quod à ſanctis paſtoribꝰ, prædeceſſoribus ſuis, ſumebat. Quas fudit lacrymas Samuel pro rege Saule, dum eum, tanquam inobedientem principem à ſe *abjecit* Dominus? *verum tamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd conſtituiſſet regem Saul?* lacrymæ ipſius tam abundantes fuêre, ut vel ipſe Dominus curſum earum ſiſtere debuerit, di-

cendo.

cendo; *usquequo tu luges Saul?* quos gemitus edebat David, ob propria peccata, & ob peccata populi sui? quales fuerunt illi Jeremiæ planctus, & lamenta, super incorrigibilitate Judæorum? & Christi JEsu, super duritia ejusdem populi? Plorate igitur sacerdotes, ministri Domini, ad exemplum omnium horum sanctorum pastorum, & ipsius etiam Capitis pastorum omnium. Mementote, scriptum esse, quòd ipsi angeli pacis amarè fleverint; *angeli pacis amarè flebunt* Is. 33. 7. Plorate pastores, super ruinâ animarum, super populo vestro, inter quos multiplicata est iniquitas; charitas refriguit, & scandala indies accrescunt. Plorate excessus illorum, sed simul deplorate etiàm peccata vestra propria in particulari; & si motiva vultis scire, quæ vobis hæc persuadeant?

PUNCTUM II. Cōsiderate 1mo. quòd tempus, quòd modò ingredimur, tempus sit lacrymarum. & pœnitentiæ, ubi ecclesia nobis ante oculos ponit nihilum nostrū, & miseriam nostram, dum cinerem capiti nostro inspargit; *memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. Tempus est, totius anni, maximè commodum, ad agendam pœnitentiam, & ad reconciliandos peccatores, cum Deo; *ecce advenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda pec-*

cata, ad ſalvandas animas. Porrò, opus tanti momenti, felicem effectum, ſortiri non poteſt, ſine precibus & gemitibus. 2dò Recordatio peccatorum noſtrorum præteritorum, pro quibus tam modicam pœnitentiam egimus, humiliare nos debet; ac gemitus & clamores à nobis evincere, ſimiles illis, prophetæ regii, quando dicebat; *afflictus ſum, & humiliatus, ſum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei.* Pſ. 37. 8. 3tiò denique, an non morum perverſitas, quæ in mundo regnat; innumera peccata, quæ cōmittuntur, ſufficiens cauſa ſint, ad fontes lacrymarum, qui nunquam exſiccari deberent? publicum malum eſt, peccatum, æquè contagioſum, & peſtilens, ac commune; totus mundus laborare deberet, & in id incumbere, ut tollatur, prout in incendio, & peſte fieri cernimus; fugere illud debemus, tanquam peſtem, ſi de eo mentionem fieri audimus; & accurrere, tanquam ad incendium, ut illud reſtinguatur; ſi aliud facere non poſſumus, ſaltem lacrymas habemus; non eſt præſtantior, ad extinguendum hunc ignem, aqua; ſi vel unicā guttam ad hoc conferre vellemus. Cur ergo iſtas denegabimus fratribus noſtris, in tanta extremitate, conſtitutis? ſi hanc eis aquam lacrymarum denegamus; ſaltem illam nobis ipſis non ſubtrahamus. Domus

fra-

fratris, & vicini noſtri ardet; ſi non accurrimus; noſtra, qvæ illi proxima eſt, & non niſi paleîs tegitur, brevi conflagrabit. Recordemur illius, quod olim, quidam ex sãctis anachoretis, dixit, dum audiit, quemdam lapſum fuiſſe; ille lapſus eſt hodie, fortaſſis ego cras; *tibi hodie, & mihi cras.* Pro præparatione ad Miſſam; vide, ut intimè affectus ſis pœnitentiæ; corpus tuum mortificationi, jejunio, ſilentio. & ſolitudini; ſpiritum autem tuum, orationi, & planctui ſacrifica; *plangite ſacerdotes. ululate miniſtri altaris, cubate in ſacco miniſtri Dei mei, &c. ſanctificate jejunium,* Joël 1. 13. unì hoc modicum; quod per quadrageſimam facturus es, illis omnibus, quæ pro te fecit caput, magiſter, & Deus omnium pœnitentium, quem proximè ſumpturus es, in S. communione; conteſtare illi deſiderium tuum, quod habes, agendi pœnitentiam, & ſatisfaciendi juſtitiæ divinæ pro peccatis tuis, ei offerendo in ſacrificium. cor contritum, & humiliatum; *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Pſ. 50. 19.

FERIA QUINTA.

Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Iſ. 38. 1.

DISPOSITIO AD MORTEM.

1. Oportet ſe præparare ad mortem.
2. Qua ratione hoc fieri debeat.

PUNCTUM I. RES planè exotica! quòd, cùm per mortes tot aliorum, qui ex oculis noſtris quotidie diſparent, moneamur, nos morituros aliquando, nihilominus adhuc in particulari de hoc moneri debeamus, ac dici nobis, quod Iſaias ad regem Ezechiam dixit; *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Verùm, quòd adhuc abſurdius eſt, etiam ipſi clerici, quibus ordinariè incumbit, aliis hoc ipſum denuntiare, hoc ipſum tamen ſibi ipſis nunquam annuntiant. Inviſunt ægrotos, aſſiſtunt moribundis; interſunt funeralibus, aliiſque pro defunctis peragi ſolitis, & hoc non obſtante, adeò ſe non præparant ad mortem, ut taliter vivant, ac ſi nunquam eſſent morituri.

turi. Quot ſunt clerici, quos fortè benè noſti, hujus characteris, ac taliter conſtituti? deplora illorum inſenſibilitatem, & diſce, te nil melius facere poſſe, quando alios mori vides, quàm ut tibi ipſi dicas, te brevì quoque moriturum; quòd illi talem greſſum fecerint, quem & tu paulò poſt facturus ſis; quòd januam aliquam aperuerint, quam non clauſerunt, & quòd te ad id ſeriò applicare debeas, ut te ad eundem trāſitum diſponas, per veram abrenuntiationem & ſincerum contemptum omnium. quæ habes, ſeu poſſides, certus, te iſta non diu amplius poſſeſſurum. Vita noſtra nimís brevis eſt; & quàtumque longa, & diuturna tibi appareat, ut te ad mortem præparare poſſis, incertitudo horæ, & diei illius, quando Dominus te vocaturus ſit, tibi ſanè id perſvadere debent, ut ſemper paratum te teneas. *Ideò & vos eſtote parati, quia quâ neſcitis horâ, filius hominis venturus eſt.* Matth. 24. 44. Plenum eſt evangelium ejuſmodi monitis, & exhortationibus; *videte, vigilate, & orate; neſcitis enim, quando tempus ſit; ſerò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè.* Verum, ut ad magìs particularia, & ad praxin veniamus;

PUNCTUM II. Primum, quod nobis faciendum eſt, pro bona præparatione ad mortem, eſt, ut mortem conſideremus tan-

quam ſupplicium, ad quod damnati ſumus. Deus hanc, contra nos, ſententiam tulit in perſonâ primi noſtri parentis. *Morte morieris.* Gen. 2. 17. Mortem promeriti ſumus, non solùm propter hoc primum peccatum, ſed inſuper, per omnia illa, quæ huic ſuper addidimus; quòd malefactor moriatur, nil poſſet eſſe æquius, & magìs juſtum; debemus nos ſententiæ huic ſubmittere; *ſtipendia enim peccati mors.* Rom. 6. 2dum eſt, ut nos quamprimum, ab hoc mundo, abſtrahamus; anima, quæ ſe in amore creaturarum, voluptatum, pompæ, & vanitatum hujus ſæculi, implicat, parùm curat, quàm funeſtus finis eam exſpectet. Quæ etiam ordinariè cauſa eſt infelicis mortis; *ſordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui.* Thren. 1. 9. Ut hoc malum evites, abrumpere oportet ea omnia. quæ te, ad quamcunque creaturam, ligatum tenent; reddere tibi mortem familiarem; de eáque ſæpè cogitare, maximè cubitum iturus, memor eſto ibi iſtorum verborum prophetæ: *de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes.* 4. Reg. 1. 4. Vel illorum ex Job. *ecce nunc in pulvere dormiam, & ſi mane me quæſieris, nan ſubſiſtam.* Job. 7. 21. 3tium, ut magnam devotionem; erga paſſionem Chriſti JEſu, habeamus, conando, ita nos præparare ad mortem, prout ipſemet ſe
præ-

præparavit; desiderandòque pro eo mori, quemadmodum ipse pro nobis mortuus est; *baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor, usquedum perficiatur?* Luc. 12. 50. item honorare sanctos illos, qui adeó felices fuêre, ut eum morientem viderint; specialiter Beatissimam Virginem, precando illam, ut nobis felicem, ac bonam mortem impetrare dignetur, 4tum satisfacere omnibus obligationibus nostris tanta cum fidelitate, ut possimus dicere cum Apostolo, quòd quotidie moriamur, & quòd nos ipsos quotidie sacrificemus Deo, & ecclesiæ; *quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quàm habeo in Christo JEsu Domino nostro.* 1. Cor. 15. 32. 5tum, sancta aliqua pro clericis præparatio est, quotidie Missam dicere, vel cōmunicare, quasi viaticum sumeres; *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Phil. 1. 23. Adhuc hodie incipe hoc sanctum exercitium, & sic communica, ac si foret ultimà vice, Ità, Domine, hodie adhuc propono, me te deinceps haud aliter sumpturum, quàm per modum viatici, quo vel maximè indigeo, ne deficiam, in grandi illa via, quam inire debeo; manducabo hunc panem angelorum, ad hoc, ut me, ex hoc mundo, extrahendo, & elevando de terra, me sustineat, & secum transportet in coelum, un-

de ipſe deſcendit. Præſervabit me, hoc divinum remedium, ab omnibus apprehenſionibus, ac doloribus mortis; ſerviet mihi pro ſecuro pignore, & arrha futuræ gloriæ, ac felicitatis æternæ; erit pro animâ meâ, germen glorioſæ immortalitatis, & pro corpore meo, ſemen reſurrectionis cæleſtis. Non potes me non agnoſcere, ô Domine! neque repellere eum, qui non ſolùm tibi exhibet imaginem JEſu Chriſti; ſed ipſum JEſum Chriſtum ſecum portat, & affert. Recipies ſanè libenter ad te in cælum, ſervum prudentem & fidelem, qui dignè receperit hìc filium tuum dilectum in terra. Fac me, ô Domine, talem, ut dignus ſim, in hora mortis hæc conſolatoria verba audire; *euge ſerve bone, & fidelis, intrà in gaudium Domini tui.* Matth. 25.

FERIA SXETA.

Audiſtis, quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis; diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate, pro perſequentibus, & calumniantibus vos.
Matth. 5. v. 44.

De amore inimicorum.

1. Præceptum.
2. Praxis hujus præcepti.

PUNCTUM I. ADoremus Dominum JEſum Chriſtum, qui dum docet, & prædicat amorem inimicorum, & reformat perincioſos abuſus, in quos Judæi incidêre, qui oderunt gentiles & publicanos; qui maledicebant ſamaritanis, & perſecutoribus ſuis, docet nos, amare, omnes prorſus homines, cujuſcunque ſortis, & conditionis; imò vel ipſos declaratos noſtros inimicos; & ità proſcripſit odia omnia, tam publica, quàm privata. Gratias agamus divino huic Redemptori, quòd tale hominibus mandatũ dederit, quod illis adeò erat neceſſarium, ſiquidem ex natura ſua tam ſunt inclinati, & ad odium ac vindictam propenſi. Submitte te humiliter, ac libenti animo, huic præcepto. *Divino intonante præcepto, non diſputandum eſt, ſed obediendum*, ait S. Auguſti-

gustinus de civit. Dei l. 16. c. 32. si autem difficultatem aliquam experiaris, in illius observatione, recurre ad Dei gratiam, quæ facile reddit id, quod naturæ nostræ adeò contrarium, & repugnans videtur, & dic sæpius cum eodem S. Doctore, ad Deum, *da, quod jubes, & jube, quod vis.* l. 10. cōf. c. 29. Visne habere motiva, quæ tibi hoc persuadent? considera 1mo. authoritatem illius, qui tibi hoc præcipit: *ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Deus tuus est, & Deus cordis tui, qui loquitur; Supremus Proprietarius & Dominus cordis tui potest de illo disponere, pro libitu. Et tu quis es, qui ei contradicere audeas? *tu quis es, qui respondeas Deo?* Rom. 9. 20. 2do. promittit tibi talem remunerationem, quæ te meritò ad id faciendum inducat, siquidem te securum reddit, quòd, si dimittas inimicis tuis, futurus sis filius Patris cœlestis, qui oriri facit solem suum, super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Visnè tu, ut passioni tuæ satisfacias? perdere conditionem filiorum Dei? recusare illius imitationem? & opponere te misericordiæ, & miserationibus illius? 3tio. his adde exemplum JEsu Christi, cujus tota vita non nisi continuum amoris, & dilectionis inimicorum suorum exemplum; & mors illius, sacrificium ad delen-

delenda illorum peccata fuit. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. 34. An plura requiris, ut convincaris, obligatum te esse, diligendi inimicos tuos; & quòd iste sit spiritus christianismi, ceu religionis nostræ. Hinc est, quòd olim ad discipulos suos, qui se de samaritanis vindicare, & ignem de cælo evocare voluerunt, eo quod ab eis exclusi fuerint, à civitate eorum, dixerit, *nescitis, cujus spiritûs estis.* Luc. 9. 55. Ac si dixisset; vos non amplius estis sub lege rigoris, timoris, & severitatis; sed sub lege gratiæ, mansuetudinis, & misericordiæ. Examina te modò, & vidè, à quo spiritu tu agaris? ut hoc cognoscas.

PUNCTUM II. Perpende, quid à nobis Dei filius in hoc evangelio exigat? *diligite inimicos vestros.* Primus gradus amoris, quem inimicis nostris debemus, est, ut illis nihil mali velimus. Si oderint nos oportet nos ita cum eis agere, ut idem cum divino magistro nostro dicere possimus; *odio habuerunt me gratis.* Joan. 15. 25. A corde nostro abesse debet omnis rancor vel cogitatio de vindicta, qualia nobis natura nostra, satis fœcunda malorum istorum desideriorum, suggerere solet; & nos quamprimum reconciliare cum ipsis: *sol non occidat super iracundiam vestram;*

ſtram; omnem, vel minimum motum aversionis, è corde noſtro, evellere debemus; qui in nobis exſurgere poſſet, adversùs illos, quamcunque demum injuriam ab eis paſſi fuerimus. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, tollatur à vobis.*

Benefacite his, qui oderunt vos, ſecundus gradus eſt amoris, quem illis debemus. Non ſufficit tantùm dicere, quòd nil mali ipſis optemus; non ſufficit etiam, illos tantùm ſalutare, & ſigna quædam affectionis noſtræ, erga illos, oſtendere; oportet illis & velle, & facere bonum; benè de illis loqui; illis in neceſſitatibus eorum ſubvenire; & talia illis exhibere obſequia, qualia poſſumus. *Non reddentes malum pro malo; nec maledictum pro maledicto; ſed è contrario benedicentes,* ùt S. Petrus ait 1. Epiſt, 3. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* En tertium gradum dilectionis, quem Chriſtus JEſus nobis quoad inimicos noſtros nobis præſcribit, ut nimirum oremus pro ipſis, ſi nos corda eorum lucrari non poſſumus, oremus Deum, ut ipſe eos convertat; ſi contra nos inſurgunt, pro eo, quod nos diligere deberent, elevemus manus noſtras pro iis in cœlum, & omnipotentem deprecemur, ut eis ignoſcat; hoc eſt omne illud, quod ipſis præſtare debemus; *pro eo, ut me dili-*

ge-

gerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Pſ. 108. 4. Calumniantur nos? injuriâ nos afficiunt? perſequuntur nos? ipſi pœnitentiam pro iis agamus, & ſtudeamus à DEO, converſionem illorum, ad exemplum prophetæ regii, impetrare; *ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilitio.* Pſ. 34. 13. Anne inimicis tuis talem hucuſque amorem exhibuiſti? vide, quales defectus in hoc eſſentiali, & ad ſalutem tuam adeò neceſſario puncto, commiſeris. Offer inimicos, & perſecutores tuos Chriſto JEſu; neque alium conſolatorem, præter ipſum quære; ſi ille pro te, nil tibi nocere poterit; *ſi DEUS pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31. roga hunc divinum ſalvatorem, ut cordi tuo charitatis ſenſum, & affectus imprimat, cujus ipſe præceptum, & mandatum impoſuit, ac exemplo præivit ſuo; ſæpiùs apud temetipſum dic· *hæc autem JEſus, & docuit, & fecit,* Hieron. in Matth. 5.

DIE SABBATHI.

Cùm serò esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terrâ. Marc. 6. 47.

1. De periculis vitæ præsentis.
2. Causa ruinæ, seu lapsuum nostrorum.

PUNCTUM I. QUod in hodierno evangelio legimus, accipi potest pro figura eorum, quæ nobis, in hac vita accidunt, ubi separati, & sejuncti sumus à Christo, qui est in cœlis, nos verò in mari hujus mundi, ubi infinitæ quasi tempestates contra nos insurgunt, & non nisi creberrima naufragia, evenire solent. Omnia fiunt, & eveniunt in continua nocte, volo dicere, in obscuritate spiritûs, seu intellectûs nostri, quæ nos impedit, ut sæpe non videamus pericula perditionis nostræ, in quibus versamur, & quidem pro tota æternitate. *Nos verò in periculo æternitatis versamur.* Tertull. Interim minimè animum despondere debemus; oportet, ad exemplum apostolorum, strenuè laborare, & resistere tempestatibus, & sollicitè, evitare scopulos, in quos impingere possemus. Veniet JEsus ad finem noctis hujus, id est, ad finem vitæ nostræ, veni-

veniet, inquam, in auxilium nostrum; & tunc cum illo, modo quodam inseparabili, uniti, tranquillitate quâdam perfectâ gaudebimus, & quiete æternâ, quia inveniemus nos appulsos in terrâ viventium, & in portu salutis nostræ. Quamdiu hoc exspectamus, suspiria nostra ad Christum tendant; agnoscamus omnia, quæ nobis eveniunt, mala, aliunde non venire, nisi quia sine ipso sumus; sine ipso autem ideò sumus, quia cura nobis non est, ut ipsum, cum vera fiducia, & humilitate, pro auxilio, imploremus. Ipsemet de hoc nos admonet, & æquè nobis, ac ad apostolos, ità dicit: *confidite, ego sum, nolite timere.* Videamus nunc causas ruinæ, & lapsuū nostrorum; & ad hunc finem.

PUNCTUM II. Considera. quòd ex alia causa, in periculo naufragii, non simus in hac vita, nisi, ob modicam fidem nostram; *modicæ fidei, quare dubitâsti?* ità olim Petro dixit, dum eum à submersione præservavit, & nobis meliùs, quàm, huic apostolo dici posset, siquidem fides nostra longè magìs vacillat, quám ipsius. Maxima pars eorum, quæ facienda in nos suscipimus, non ex alia causa, bono successu carent, nisi, quia in fiducia, erga Deum, deficimus; & in hominibus speramus, in quibus omninò sperare non deberemus

juxta verba prophetæ: *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Jerem. 17. 5. Non debemus aliunde caussam lapsuum nostrorum quærere; DEus manum suam nobis non porrigit, quia nil aliud in nobis reperit, quàm nostram in se diffidentiam. Putamus omnia esse deperdita, quando nullum nobis amplius superest humanum subsidium. Deus verò hoc ipso permittit, illud nobis deesse, & ut in mare demergamur. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non proteguntur ab eo.* Eccles. 2. 15. Igitur hæc principalis nostra est obligatio, ut hanc diffidentiam à nobis proscribamus, quæ adeò DEO displicet in omni hominum genere, præsertim in ministris suis, de quibus specialem curam habet, & providentiam singularem; nam, *qui vos tangit*, dicit Zachar, 2. *tangit pupillam oculi mei.* Non tantùm non debent isti inniti hominibus, sed potiùs timere, si iis inniti velint. Et sic videmus, quòd Esdras, postquam aggressus est reædificare Jerusalem, & grandia illa obstacula prævidit, quæ tanti momenti negotio instabant, quamvis in magna æstimatione, & authoritate, in aula regis Persarum, fuerit, & facillimè, ab hoc principe, potentissimum auxilium obtinere

re potuisset, ut operarios, quibus ad tam grande opus indigebat, solvere posset, erubuerit, & non ausus fuerit, hoc mediū adhibere, timens, ne per hoc, aliquam in Deum, & de potentia illius, diffidentiam ostenderet, qui ei & animum dederat, & voluntatem, tam grande opus auspicandi. *Erubui petere à rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico, in via; quia diximus regi: manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate.* 1. Esdræ. 8. 22. O utinam sacerdotes, & ministri novæ legis, ejusdem cum illo essent sensûs & opinionis! tunc non cerneremus tot timidos, & negligentes, vel tales, qui, vel in iis ipsis negotiis, & functionibus, pro gloria, & servitio Dei susceptis, plus confidentiæ, in mediis humanis, quibus utuntur, quā in promissionibus ponunt Dei, quas eis de suo auxilo fecit! non esset videre tot, qui ad minimum occurrens obstaculum, animo cadunt, & opus Dei cœptum, abrumpunt, negligunt. Cave, ne in talem diffidentiam incidas! *exspecta Dominum viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Ps. 26. Exspecta patienter Dominum, ait propheta regius; nunquam animo cadas, & videbis auxilium Domini super te; *exspectans exspectavi Dominum, & intendit*

 mihi.

mihi. Pſ. 39. 1. Eandem aſſiſtentiam experieris, ſi ſimilem cum ipſo humilem fiduciam, & perſeverantiam habeas. *Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Eccleſ. 2. 11. Pro præparatione ad Miſſam, roga Chriſtum Dominum, ut confortet in te fiduciam illam, quam in illo ponere debes; *Domine, adauge nobis fidem.* Domine Deus meus, qui adeò potenter protegis eos, qui unicè tibi innituntur, auge in me fidem hanc, & fiduciam; repelle omnem diffidentiam longè à mè, ut nunquam de me, cum veritate, dici poſſit; *ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum.* Pſ. 51. Ego me, ab hoc momento, totum & pro ſemper, tibi relinquo; ſuſcipe me, in ſinum divinæ miſericordiæ tuæ, ut non peream, in mari proceloſo hujus mundi; *fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.* Pſ. 32. 22.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Ductus eſt JEſus in deſertum à ſpiritu ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1.

DE

De tentatione Christi.

1. Cur tentari voluerit.
2. Quomodo nos gerere debeamus tempore tentationis.

PUNCTUM I. ADora Dominum JEsum. qui, utut sanctus erat, nihilominus tentari voluit à diabolo. Materia, & objectum hoc, tale est, ut omnem nostram attentionem mereatur, Siquidem tentari non voluit, nisi ad instructionem nostram. Erat ipsa sanctitas, & consequenter incapax, ut ulli tentationi succumberet; nihilominus huic humiliationi se subjicere voluit, quæ omnium maxima est, quam DEus sustinere poterat, & hoc ex multis rationibus, quas clerici meditari, & expendere secum debent, ac populo explicare. 1mo. voluit JEsus tentari, ut nos doceret, quòd inevitabilis sit, in hac vita, tentatio; quòd illam nos exspectare oporteat, ac ad eam nos præparare, juxta monitum sapientis: *filii, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Eccles. 2. 1. Exceptis infantibus, qui ante annos discretionis moriuntur, nullus salvatur sine certamine, & absque victoriâ de diabolô relatâ; quod causam dedit Jobo, dicendi, quòd vita hominis continua sit militia super terram, & dies ejus, tanquam dies mercenariorum;

nam, quemadmodum mercenarii, ſine intermiſſione, laborant, à mane uſque ad veſperam, & poſtea mercedem ſuam recipiunt, ſic pariter tota via noſtra, quaſi diurnus labor, plena labore, & tentationibus eſt, poſtquam quilibet, ſecundùm quod operatus eſt, mercedem accipiet, *militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarii, dies ejus.* Job. 7. 1. 2dò voluit tentari Chriſtus, ut dæmonem proſterneret, cladem hominis repararet, & gratiam nobis mereretur, pariter tentatorem noſtrum vincendi: *ideo tentatus eſt Chriſtus,* ait S. Auguſtinus, *ne vincatur à tentatore Chriſtianus,* in Pſ. 90. 3tio JEſus tentatꝰ fuit poſt baptiſmum ſuum, ut doceret eos, qui ſe tradere Deo, ùt oportet, & ſe ſerio convertere volunt, quòd diabolus omni conatu eos aggreſſurus ſit, ut prædam ſibi ereptam recuperet; & quòd omni violentiâ & artibûs utatur, ad extingvendā debilem, adhuc recens natam virtutem, quia timet, ſe non amplius fore in ſtatu, eam vincendi, ſi firma, & ſolida aliquando evaſerit; ità rem hanc intelligit S. Petrus Chriſologus Serm. 11. *diabolus, ſuper primordia boni, pulſat, tentat rudimenta virtutum, ſciens, quòd ea ſubvertere fundata non poſſit.* 4to. voluit denique tentari, ut homini provideret de exemplari, ſeu modo,

quo

quo contra dæmonem pugnare deberet. *Christus*, ait S. Augustinus, l. de Trin. c. 13. *se diabolo tentandum præbuit, ut ad superandas tentationes ejus, mediator esset, non solùm per adjutorium, verùm etiam per exemplum.* Voluit transire per omnes status, laboriosos, & periculosos, uti S. Paulus advertit, ut eos faciles redderet, & securos. Gratias Deo agamus, quòd adeò charitativum nobis dederit Pontificem; *non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato. Et*

PUNCTUM II. Discamus, quid nobis agendum sit, & quâ ratione alii dirigendi, tempore tentationis? 1mo. ante omnia hoc nobis persvasum esse debet, quòd ordinariè hunc DEus morem, cum dilectissimis sibi servis, teneat, illosque per varias tẽtationes exerceat, ac probet, ut in virtutibus confirmet; *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tob. 12. 15. 2do. timere debemus tentationem, & nostræ infirmitati diffidere. *Undique bella mihi video, undique tela volant; undique tentamenta: undique pericula; quocunque me vertam, nulla securitas est*, exclamabat S. Bernardus, in medit. c. 12. inter opera S. Bern. tam exactus, & tam fervus, in servandâ professione suâ religiosâ. Cur igi-

tur non timeat clericus, qui in mundo vivit, tot periculis expoſitus? 3tio, valdè nos humiliare debemus in tentationibus, conſiderando eas, tanquam affectus corruptæ naturæ noſtræ, vel, ùt juſtam pœnā peccatorum noſtrorum, & ob hoc, tantum abeſſe debet, ut murmuremus, vel de iis conqueramur, ut potiùs nos ipſos, divinæ juſtitiæ, offerre debeamus, tamdiu eas ſuſtinendi, quouſque ei placitum fuerit; & implorare auxilium miſericordiæ ejus, qui non permittet nos ſupra vires tentari; *non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam, cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* 1. Cor. 10. 13. 4to. fideles eſſe debemus in amplectendis, & exequendis mediis, quibus ipſe Chriſtus JEſus uſus fuit, ut dæmonem in fugam cōjiceret, nempe ſolitudine, jejunio, & verbo DEI. Hæc ſunt arma, quæ eccleſia nobis, hoc ſacro Quadrageſimæ tempore, ſuppeditat; animosè igitur iis utamur; *utamur ergo parcius; verbis, cibis, & potibus; ſomno, jocis, & arctius, perſtemus in cuſtodia.* Hymn. eccl. Solitudo nos ſecuros reddet, à periculis mundi; jejunium, à tentatonibus carnis; verbum Dei, ab illuſionibus Diaboli. O JESU! qui omnia tua exercitia, in ſolitudine tua ſanctificâſti, da mihi partem aliquam, de hac tua pœniten-

tia;

tia; æquum esset, ut modicum quid saltem, ex amore tui, facerem, qui tanta fecisti, ex amore mei. Pro communione, vel Missa, studeamus benè comprehendere, quid tandem sit pœnitentia, quæ nostra præparatio esse debet. Sancti illi anachoretæ, hoc sacro Quadragesimæ tempore in solitudinibus reconditissimis morabantur, illudque in continuis lacrymis & gemitibus consumebant, ut digni essent cōmunione paschali, & de gratia resurectionis amplius participare possent! quanta hæc pro nobis confusio, qui tam modicam ad eam afferimus præparationem! quia ergo tam necessaria nobis est sanctissima Eucharistia, siquidem adeò debiles, ac tentationibus expositi sumus, exhortatione illâ indigemus S. Cypriani ad Martyres, ne in similibus præliis succumbamus, quæ nobis ab inimico salutis nostræ imminent. *Idoneus non potest esse ad martyrium, quia ab ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non, receptâ Eucharistia, erigit, & accendit.* S. Cypr. epist. 54.

FERI-

FERIA SECUNDA.

Hæc dicit Dominus DEUS; ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. Ezech. 34. 11.

DE VISITATIONIBUS.

1. Clerici sunt pastores, & multa bona per suas visitationes præstare possunt.
2. Quomodo in iis se gerere debeant.

PUNCTUM I. HAud difficile est, sensum allegoriæ hujus penetrare, quam, in Missa hodierna, legimus, in epistola, fateri cogimur nos esse ejusmodi oves dispersas, & aberrantes, quæ in præcipitia incurrerunt; & si non ampliùs ibi simus, hic ipse effectus est bonitatis supremi pastoris nostri, qui nos exinde liberavit, & eduxit. Incipiamus igitur orationem nostram à gratitudine, quam illi debemus, dicendo, cum propheta regio; *confitebor tibi Domine Deus meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam, ex inferno inferiori.* Ps. 85. Verùm quia nos sumus ministri hujus divini pastoris, qui nos visitavit in sua misericordia, non recusemus visitare tot animas,

quæ

quæ in pari errore & discrimine versantur, in quibus fortè nos olim eramus; quæque ex abysso miseriarum, in quam per peccata ceciderunt, ad nos clamant; *infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Ps. 68. 3. O quantum boni præstare possent parochi per suas visitationes; una sola talis visitatio parochi quandoque pacem perpetuam alicui familiæ, seu domui affert: quæ semper in se hucusque divisa fuit; quia hac ratione devenire potest in cognitionem, quæ bona quæ mala in sua parochia regnent. Dantur patres immisericordes, matres sine solicitudine, infantes & liberi sine obedientia, servi absque fidelitate, patresfamilias sine mansvetudine erga suos domesticos, tales in domibus eorum non vides; solummodò in confessione eos audis; videntur tibi esse angeli, & interim leonibus similes sunt, quibus id applicari possit Sapientis Prov. 17. 12. *expedit magìs ursæ occurere, raptis fœtibus, quàm fatuo, confidenti in stultitia sua.* Clerici ergo, maximè autem pastores visitare debent de tempore in tempus, eos, quos Deus, curæ eorum, commisit. Sive, ut eos disponant, si infirmantur; ad recipienda SS.Sacramenta, sive ut impediant dissensiones, & rixas inter illos, & parvis hisce bellis finem imponant, quæ

à S.

à S. Augustino, precessus domestici vocantur; quæque sine tali sollicitudine, gravia & continua, evadere possent; habent etiam similes visitationes istam utilitatem; serviunt ad nostram ædificationem; ut unus alterum consoletur; pax, unio, & amicitia cum proximo conservatur; mutuò nos ad virtutem inducunt, excitando in nobis spiritum illum fidei, quo ad exemplũ S. Pauli animati esse debemus, qui ad Romanos scribens, ità ait: *desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram, & meam.* Rom. 1. v. 11.

PUNCTUM II. Considera, qualiter te in iis gerere debeas? 1mo. non debent institui visitationes inutiles; *rariùs sit egressus in publicum,* ait S. Hieronymus, Epist. ad Eustoch. & S. Basilus scribens ad S. Gregorium Nazianzenum, Epist. 1. monet eum, ut intermittat visitationes civitatis, utpote quæ ipsi nimis periculosæ videantur; *urbis visitationes reliqui, velut infinitorum malorum occasiones.* Quid dicent ad hæc illi clerici, qui solummodò, cum sæcularibus, conversari gaudent? pastores! visitate vestrum gregem, hoc æquũ est; sed fiat hoc non ad bibendum, manducandum, ludendum vel aliis inutili-

bus

bus rebus tempus perdendo, sed, ut illi ædificentur, ut illis consolationem afferatis; commiserationem, in afflictionibus illorum cum illis habeatis, & ad bonum faciendum, quantum fieri potest, eos hortemini. 2do. quamvis parochus, omnes suos parochianos, æquali charitate invisere debeat, pauperes æquè ac divites, parvos sicut magnos, ad exemplum Salvatoris nostri, qui nos indiscriminatim per mysterium incarnationis visitavit; *visitavit nos oriens ex alto*, Luc. 1. nihilominus magìs hoc eum facere oportet quoad illos, qui magìs auxilio illius indigent, ità videmus, quòd Dominus in evangelio publicanos inviserit, ut eos ad conversionem induceret; *Zachæe festinans descende*, ait ad unū ex ipsis, *quia hodie in domo tua oportet me manere*. Luc. 19. 5. 3tio. oportet, ut visitationes ejusmodi breves sint; ut in illis, neque fiat, neque dicatur quid, quod honestatem lædat, aut charitatem; ut parùm de mundi negotiis loquamur; siquidem ordinariè contingere solet, ut *horum occasione mundus, qui in ipsis aruerat, revirescit*, ait Petrus Blessensis, epist: 8. 4to. oportet incipere visitationes nostras ab oratione, & sic eas etiam finire. *Egredientes hospitio ornet oratio*, ait S. Hieronymus, *regredientibus de platea, oratio occurrat, antequam*

sessio,

ſeſſio, nec priùs corpuſculum requieſcat, quàm anima paſcatur. Secutùſne es totam hanc praxin? vide, in quo hucuſque erraveris, ut id corrigas, recurre in hunc finem ad JEſum Chriſtum, qui te quotidiè, per S. communionem, inviſere dignatur. Mirarè hanc ineffabilem Salvatoris charitatem; *& tu Domine venis ad me?* Matth. 3. & pro gratiarum actione, reſolve te, quòd illi ſemper unitus manere velis, quoties obligatus fueris cum hominibus converſandi, *ipſi in omni converſatione ſancti ſitis.* 1. Petri. 1. 15.

FERIA TERTIA.

Intravit JESUS in templum DEI, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo. Matth. 21. 12.

De simonia.

1. Quàm enorme ſit hoc crimen.
2. Media, quibus clerici uti debeant, ad illud cavendum.

PUN-

PUNCTUM I. Notat S. Hieronymus, Christum JEsum quotidie in ecclesia id facere, quod olim in templo Jerosolimitano; & quamvis illius indignatio visibiliter non pateat, non tamen minus terribilis est, contra omnes clericos & laicos, & qui turpē quæstum, & negotiationem faciunt in rebꝰ sacris, *Quotidie JEsus ingreditur templum Patris, & ejicit omnes, tam episcopos, & presbyteros, & diaconos, quàm laicos & universam turbam de ecclesia sua, & unius criminis habet vendentes pariter, & ementes.* Evertit mensas nummulariorū, & vendentium columbas, ait hic S. P., dum condemnat clericos illos, qui gratiam S. Spiritûs per columbam figurati vendunt, & per avaritiam suam, aliud non quærunt, quàm ut populum sibi concreditum absumant; *cathedras vendentium columbas evertit, qui vendunt gratiam Spiritûs S., & omnia faciunt, ut subjectos populos devorent.* En crimen, à quo vel maximè irritatur patientia salvatoris! nimirum nefanda negotiatio, circa SS. Sacramenta, & functiones etiam sanctissimas; nimirum tractatus illi, promissa, conventiones illæ simoniacæ, quibûs aliqui utuntur, ut ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas perveniant. Quemadmodum Judas nullum scru-

pulum habuit, pro argento vendendi filium Dei, ità pariter inveniuntur, qui nullam difficultatem patiuntur, recipere sanctissimum Presbyteratûs ordinem, præcisè, ut expensis JEsu Christi ditentur; vendunt sacrificium corporis & sangvinis ejus, illúdque immolant, non tam Deo pro spiritualibus necessitatibus totiùs ecclesiæ, quàm pro sua propria utititate tēporali; illorum intentum aliud non est, quàm ut vivant de altari, prout laicus de sua professione, aut opificio vivit; *propter hoc frequentant ecclesias, Missas celebrant, psalmos decantant;* ait S-Bernardus Serm. 6. in Ps. qui habitant. Excessum planè horribilem! qui tamen nonnisi valdè frequens & ordinarius est in hoc sæculo' ubi videre est tales, qui ne quidem unquam somniâssent de ecclesia, nisi eos spes obtinendi cujusdam beneficii, ad hoc determinasset; clericos, qui beneficia beneficiis cumulant; pastores, qui nequidem cogitarent de persolvendis ullis precibus publicis; nisi retributio ad hoc alliceret eos. O quàm indecorum, quanta confusio hæc est pro ecclesia, quod tales ministros habeat! O Domine! repelle eos de altari tuo; siquidem domum tuam, quæ est domus orationis (consequenter etiam charitatis. quæ non quærit, quæ sua sunt) faciunt spelun-

speluncam latronum, & domum, seu curiam quæstûs & avaritiæ, fecerunt sibi *speluncam latronum.* Invertunt ordinem vocationis suæ; conculcant omnes leges disciplinæ; viles & contemptibiles faciunt dignitates ecclesiæ etiam sanctissimas, dū se, per commercium adeò infame, in ecclesia sublimarunt. *Hinc agitur*, ait S. Gregorius l. 7. epist. 113. *ut sacerdotalis dignitas in despectu, & sanctus sit honor, in crimine; perit utique, reverentia: adimitur disciplina; sed nunquid denuò veneretur, quod venditur, aut quis non vile putet esse, quod emitur.* Deplora infinita illa mala, quorum simonia, infamis est causa! &

PUNCTUM II. Considera, quid facere debeas, ut in illam non incidas. 1mum est, habere hoc vitium in horrore; vide, quomodo S. Petrus infelicem Simonem tractet, qui ausus est ei offerre pecuniam, pro obtinendo dono Spiritûs sancti: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimâsti pecuniâ possideri.*, Act. 8. Recede à me infamis nundinator qui tibi imaginaris, tam vili pretio haberi posse, tam excellens Dei donum. Pereat tecum tua pecunia; *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse;* age igitur pœnitentiam, *si fortè tibi remittatur*, hoc scelus. Benè nota hoc adverbium

forte; eſt plane prorſus extraordinaria ex-expreſſio- quæ jure horrorem & timorē ſimoniacis incutiat, & quod clarè indicat, eorum converſiouem valdè difficilem eſ-ſe, & raram. 2dum eſt, nullâ unquam viâ illegitimâ uti, ad obtinendosSS. ordines, vel beneficia, ſed attendere, & cum patientiâ, vocationem Dei, conſuléreque viros graves, ut quis non cadat; *cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Domini*. Ecclesiaſtis 4. 17. 3tium. ſi Deus te ad aliquod beneficium vocat, tuum erit, illo contentum eſſè, quod providentia ſua tìbi aſſignaverit, & illius munia exactè implere, quin alia ambias. Nil magìs contrariatur ſpiritui, ſeu intentioni eccleſiæ, quàm pluralitas beneficiorum, ùt concilium Tridentinum ait Seſſ. 24. de ref. c. 17. & ipſa etiam S. ſcriptura, docet nos, quòd, cúm Deus aſſignaverit levitis decimas, eis poſſeſſionem aliarum rerum, & bonorum interdixerit; *nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti; quas in uſum eorum. & neceſſaria ſeparavi*. 4tum. oportet, ut functiones tuas unicè exerceas, ut Deo placeas; non verò ad captandum lucrum; vult eccleſia tales miniſtros, qui ſuis lucris non inhient; non latrones, non mercenarios, *non turpe lucrum ſectantes*. 1. Tim. 3. 8. Permittit, ut ex iis bonis vivant.

quæ

quæ ipsa illis assignat, non tamen ad eorum voluptatem, & delicias, aut ut suos exinde ditent; quod ipsis ex iis superest, applicare debent ad solatium pauperum, vel ad fabricam ecclesiæ, præsertim illius, cujus ipsi sunt decimatores, & cujus curam gerunt; & ità semper practicè observarunt ii omnes, qui, ut fideles Dei ministri, naturam bonorum ecclesiasticorum agnoverunt. Pro præparatione ad Missam, roga Christum Dominum, ut gratiam tibi concedat, illos imitandi; & nunquam obliviscendi illius, quod quidam ex SS. PP. de iis dixit; *non, ut possessores, sed, ut procuratores, facultates ecclesiæ possidebant; scientes, nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fideliū, pretia peccatorū, & patrimonia pauperum; non eas vendicaverunt in usus suos, ùt proprias, sed ùt commendatas, pauperibus diviserunt.* S. Prosper, seu author l. 2. con. templ. c. 9.

FERIA QUARTA.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pænitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, ecce plus, quàm Jonas hìc. Matth. 12. 41.

De conversione clericorum.

1. Rara est hæc conversio, & difficilis.
2. Unde tanta difficultas proveniat?

PUNCTUM I. NObis ipsis applicemus reprehensionẽ hanc, Judæis, specialiter scribis, Pharisæis hodie à Christo factam. Nimis, quàm verum est, plures dari clericos, qui eis similes sint; & quòd pauci reperiantur, qui semel lapsi, convertantur, & agant pœnitentiam. Qvando semel assueti sunt vitam malitiosam ducere, ordinariè in sua duritia, & impœnitentia instar Judæorum perseverant; *plerumque in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, nullâ hominum adhortatione resipiscunt*, ait S. Bernardus de cõvers. ad Cler. & S. Romualdus solebat dicere, faciliùs etiam Judæum, quàm malũ sacerdotem convertendum. Quod si sal evanuerit, ait evangelium, qvis ei vigorẽ, & acrimoniam suam restituet? *vos estis sal terræ; quòd si sal evanuerit, in quo salietur?* Matth. 5. 13. non enim datur sal salis, seu pro sale. Quis dabit sacerdoti gustum divinarum veritatum, qui gratiam illam, quam per impositionem manuum episcopi accepit, in se ipso marcescere, & emori permisit? omnia illa media tam excellentia, tam sublimia in se ipsis, & quæ tot aliis peccatoribus vitam dant, pro talibus

suut

sunt inutilia; *ad nihilum valet ultra, nisi, ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Ità est, infelices clerici! qui malè, & charactere vestro sacerdotali modò planè indignô vivitis; qui insuper temerariè præsumitis, vel ipsam originem, seu fontem sanctitatis, corrumpere, dum SS. sacramenta profanatis, & iis abutimini, difficillima erit correctio, & conversio vestra! *perversi difficilè corriguntur.* Ecclesiastis 1. 15. Scitote, publicanos & fœminas meretricias, faciliùs intraturos, in regnum cœlorum, quàm vos; peccatores tales pœnitentiam agent, vos autem indigni ministri Dei, in peccatis vestris moriemini. O quàm terribile est, abusum fuisse, re omnium sanctissimâ, & in religione nostra omnium sacratissima; prodidisse amicum talem, id est, JEsum Christum, tanta cum perfidia! ac dæmoni, in, ac supra se, consignasse imperium, inimico illius infēsissimo! sed unde hoc, quòd conversio perversi clerici adeò sit difficilis? hoc ipsum examinandum erit in puncto 2do.

PUNCTUM II. Provenit 1mo. ex eo, quòd clerici peccent, maiori cum cognitione, seu scientiâ, & consequenter maiori cum malitia, quàm vulgus fidelium; quòd Deum cogit ad subducendum gratias suas,

& auxilium ſuum, & ut illos tractet, inſtar philoſophorum ſeu ſapientium gentilium. *Qui, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt &c. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Rom. 1, Deſideriis ſuis relicti, bibunt, ſicut aquam, iniquitatem; ponunt in eo gloriam ſuam, quod ipſorum ſumma confuſio eſſe deberet; hinc cadunt, ab uno exceſſu in alium, & corruptìo illorum, extrema, ſeu peſſima, evadit. 2do. ex ſcā-dalis, & funeſtis ſequelis vitæ ſceleratæ clericorum; quia, ùt advertit S. Gregorius M. Hom. 17. in evang. *nullum, ab aliis, majus præjudicium, quàm à ſacerdotibus tolerat Deus, quando, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare exempla pravitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus.* 3tiò. ex abuſu rerum ſanctiſſimarum. Audiuntnè verbum Dei? non niſi cum indignatione, & contemptu. Acceduntnè ad menſam euchariſticam? ſine religione, ſine fide, ſine devotione. Hæc divina menſa, quæ aliis ſervit, pro ſecuro medio proficiendi, in via ſalutis, pro ipſis eſt occaſio infinitorum lapſuum. Character ipſorum eos cogit ad illam accedere; quis eos ab hoc diſpenſet? forte, quia ſacerdotes ſunt? ſed merces, ſeu ſtipendium, quod ſperant, eos illuc trahit, quam-

quamvis sciant, talì mensâ se indignos, & quòd pro vita, mortem ibi sunt inventuri. Verum, â sceleratis sacerdotibus, temporalia semper spiritualibus, præferuntur, & quæ transitoria æternis, ideo, non obstante indignitate, cujus sibi conscii sunt, huic terribili mensæ accumbunt, timentes, si ex respectu, & reverentia abstinerent, reputationem ipsorum perditum ituram, aut se non lucraturos stipendium, quod exspectant. Dolenda sanè, & infelix conditio mali sacerdotis, cui ipsa mensa Christi Domini, cujus ipse minister est, & de qua aliis, panem angelorum, distribuit, fit in pedicam, & laqueum (prout propheta loquitur) in quo ità involvitur, ut vix amplius, æternam suam damnationem, evadere valeat. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum.* Ps. 68. 23. Time statum adeò funestum; & pro præparatione ad Missam; roga Deum pro conversione tot sacerdotum, quorum vitām tot boni plangunt, & deplorant. Verum est, plagas, & vulnera eorum satis profunda, & pessima esse non tamen transcendunt, aut superant potentiam hujus Medici omnipotentis, quē brevì pòst sumpturus es. Expone illi, in amaritudine animæ tuæ mala illa, quibus clerus affligitur, & eorū curationē, ab ipso

 effla-

efflagita. *Cecidit corona capitis noſtri. Ve nobis, quia peccavimus; converte nos Domine ad te, & convertemur, innova dies noſtros, ſicut à principio.* Thren. 5. 16. 21.

FERIA QUINTA.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: miſerere mei, Domine, fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22,

DUÆ CONDITIONIS ORATIONIS.

1. Orare cum fervore.
2. Orare cum perſeverantia.

PUNCTUM I. ADmirabile ſanè exẽplar, & formulare orationis! qua hæc fœmina uſa eſt. 1. Aſſumamus illam pro regula noſtra; &, quia anima noſtra, tam frequenter torquetur, recurramus ad JEſum Chriſtum, petendo ab eo ſanitatem illius. Verum eſt, peccatores, quales nos ſumus, minimè mereri, út à DEO exaudiantur; concedamꝰ hoc, & humiliter fateamur. Deberet miſeri-

sericordiam, & bonitatem suam, reservare pro animabus innocentibus, & sibi fideliter servientibus, quia autem, vel ipsi catelli nutriuntur, & cibum capiunt, de mēsa dominorum suorum, etiam nos exspectemus, & speremus cum ista Chananæa, non denegaturum nobis salvatorem, effectus charitatis suæ, modò & nos oremus, cum fervore, ùt illa, & quòd miseriam nostram ipsi benè agnoscamus; *clamavit, miserere mei, Domine.* En! quomodo oret; non est illius oratio infirma, & debilis, ùt nostra; clamat, & instanter clamat, expetit à Christo auxilium. *Domine, adjuva me.* O quám benè nos docet hæc mulier, orare majori cum fervore! oratio est operatio quædam cordis, quod magnas res desiderat; ut has obtineat, oportet, ut ad Deum directè, & integrè tendat, absque partitione seu divisione; & cum regio propheta ingemiscat: *Domine, ante te, omne desiderium meum. & gemitus meus à te non est absconditus.* Ps. 37. 10, Sed gemitus iste procedere debet ex ardore charitatis, quis est clamor cordis, ait S. Augustinus Ibid. *frigus charitatis silentium cordis est; flagrantia charitatis, clamor cordis.* Oratio, quæ à corde frigido procedit, similis est sagittæ, quæ in terram statim cadit; sed si cor arctetur certo quodam sa-

lu-

lutari timore, animatum ſpe, & fiduciâ inflammatum ſit amore Dei; & deſideria, hiſce internis animi moribus, reſpondeāt, tunc preces ejuſmodi, rectà ad cœlum, magno ardore, feruntur. Hinc dictum eſt: *clamaverunt juſti ad Dominum, & Dominus exaudivit eos.* Pſ. 33. An ità orâſti hucuſque ? ut hoc melius adhuc agnoſcas;

PUNCTUM II. Vide, quomodo continuet preces ſuas mulier iſta Chananæa: non attendit ad illam JEſus, ac ſi eam nequidem audiret; *& reſpondit ei verbum.* Non obſtantibûs hîs omnibûs, non cadit animô; ſequitur conſtanter ſalvatotem, & clamorem ſuum auget, eòuſque, ut apoſtoli, ejus importunitate, quaſi coactos ſe repulſárint, ut pro eâ intercederent: *dimitte illam, quia clæmat poſt nos.* Dominus tali modo uſus eſt, quem nos adorare debemus; tractat nimirum eam, ut fidem illius magìs purificaret, inſtar canis, & dixit ad eam; non eſſe bonum, canibus dare panem filiorum, id eſt, gratias & favores ſuos; prout miraculum hoc, quod illa petebat, pro populo, & filiis Dei erat, & non pro infidelibꝰ, quales illi erant, ex quorum patria mulier iſta exivit. Verùm miſera hæc Chananæa, majorì adhuc inſtantiâ & fervore, quàm antea, inſiſtendo, ajebat ad eum; *etiam Domine*; catelli edunt

de

de micis, quæ de mensa dominorum suorum cadunt, quasi diceret, *Domine, non me derelinquas usquequaque.* Ps. 118. Sit oratio nostra ita constituta, ùt ista; tunc exaudiemur; *Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum:* Ps. 4. Nihil denegat Christus orationi humili, & perseveranti. Vult, ut pulsemus, & perseverantes simus, ait quidam sanctorũ Patrum, ut magnitudinem beneficii agnoscamus; *Non vult Deus noster bona sua, nimiâ inveniendi facilitate, vilescere.* Euseb. Emissen. homil. 3. Malum nostrum exinde oritur; quòd statim tædio afficiamur, & ab hoc sancto exercitio desistamus; imploramus illius misericordiam obiter tantum, & quasi in transitù; cúm potiùs spiritum ecclesiæ in hoc sequi deberemus, quæ orationem suam toties non repeteret, nisi vellet, ut, hoc ipsum, nos quotidie faceremus. Propositum nostrum sit, ut fideliores, & magìs perseverantes deinceps in oratione simus; Deus nos exaudiet, cùm ipsi placitum fuerit; *in tempore placito exaudivi te.* Is. 49. 8. Ità Domine, hoc faciam; exspectabo semper, donec miserearis mei; indignitas mea animum meum despondere minimè faciet; quia ibi misericordia tua clarius elucet, ubi plus miseriarum est: dicam igitur usque ad mortem, sine cessatione: *miserere nostri*

Do-

Domine, miſerere noſtri; quia multùm repleti ſumus deſpectione, Pſ. 122. Noli accedere ad S. Communionem, quin ſeriò te reflectas ad iſta verba, quæ redemptor tuus ad Chananæam dixit: *non eſt bonum ſumere panẽ filiorum, & mittere canibus*. Si pro eo, quód repellamur, prout mereremur, nobis permittitur ad altare accedere, & nutrire nos pane hoc divino, ſumamus illũ, cum profunda humilitate, & inſtanter rogemus JEſum Chriſtum, ut nos non rejiciat. *Reſpice in me, & miſerere mei; quia unicus & pauper ſum ego; tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt; de neceſſitatibus meis erue me*. Pſ. 24.

FERIA SEXTA.

Domine, hominem non habeo, ut, cùm turbata fueret aqua, mittat me in piſcinam. Joan. 5. 7.

De electione patris spiritualis.

1. De neceſſitate directoris ſpiritualis.
2. Qualiter nos, erga eum, habere debeamus.

PUNCTUM I. Scire debemus, dari in eccleſia, quæ eſt vera Jeruſalem, piſcinam quandam valentem

tem ſanare omnes animæ infirmitates, ſi quis in eam immergatur. Myſtica hæc piſcina, ſacramentum eſt pœnitentiæ, quod virtutem ſuam trahit, à JESU Chriſto, adorandâ illâ victimâ, quæ quotidie in altari immolatur. Quinque porticus, ſeu aperturæ, vel portæ hujus piſcinæ ſunt quinque vulnera ſalvatoris, ex quibus pretioſus ille ſanguis decurrit, qui ſolus lavare nos poteſt, à peccatis noſtris. Quotidie videmus infinitam quaſi turbam congregari, ad hanc ſacram piſcinam, ac eam circumſtare, expetentem ſacramentum pœnitentiæ, quo animæ ipſorum ſanentur. Sed gratia, per angelum ſignificata, de cælo deſcendat oportet, & niſi ipſe JEſus Chriſtus, per miraculum quoddam, extraordinarium, per ſe ipſum, velit hos peccatores ſanare, oportet neceſſariò de viâ ordinariâ, adeſſe hominem quemdam' id eſt, confeſſarium, ſeu directorem ſpiritualem, qui obſervando motum gratiæ, infirmos iſtos in piſcinam immergat, & eorum peccata, in ſanguine JEſu. abluat, per applicationem ſacramenti hujus, quod merita, & virtutem illius in ſe continet. Quot chriſtiani, & etiam clerici, in ſuis infirmitatibus, permanent ex defectu talis hominis charitativi, qui eos juvet, ad recedendum à vitiis, & ad ambu-

lan-

landum, in via salutis? multâ sæpe indagine opus est, ut talis spiritualis dux, verè illuminatus, inveniatur, qui possit animas, in piscinam pœnitentiœ, immittere. Sapiens vult, inter millenos talem quærendum esse; *consiliarius sit tibi unus de mille*. Eccles. 6. 6. Et S. Franciscus Salesius dicebat; *inter decem millia*. Videtur, quò magìs ad finem sæculorum propinquamq, eò majorem adhuc futuram, talium bonorum spiritualium ductorum, inopiam, ac penuriam. Si tam felix fuisti, ut actu talem inveneris, & habeas, certus esto, te invenisse thesaurum magnum; gratias propterea Deo age, tanquam pro gratiâ prorsus singulari. *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum; invenit thesaurum*. Ibid. v. 14. &

PUNCTUM II. Considera, qualiter te ergo, & cum ipso gerere debeas? 1mo debes ad eum cum magna reverentia recurrere, ad instar illius beati eremitæ. de quo S. Joannes Climacùs loquitur, quòd nil illi grave, nil difficile, vel reprehensibile, in modo agendi sui superioris acciderit, siquidem non nisi Christum in eo videbat; *Christi imaginem superiori meo imposui*. Gradu 4. 2do. debes cum ipso loqui, aperto & sincero corde; non de rebus inutilibus, quod non nisi valdè frequenter

contingere solet; sed quod concernit negotium salutis, ùt sunt vocatio, obligatio statûs nostri; media ad satisfaciendum huic obligationi necessaria; in istis, & similibus occasionibus, ac rebus, à tuo duce spirituali discere potes, quid à te requirat Deus; *& ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Act. 9. 7. 3. Ipsius monita, & consilia audienda sunt fiducialiter, & exsequēda fideliter, ipsum considerando, tanquā sapientem consiliarium, quem divina bonitas tibi dedit, ad subveniendum necessitatibus tuis; vel tanquam angelum tutelarem, qui precibus & doctrinis salutaribus te salvare poterit, à laqueis mundi, & illusionibus diabolicis, quibus expositi sunt illi, qui propriis luminibus nimis confisi, non nisi se ipsos regere volunt; *seducti sunt, qui sibi ipsis confidētes, nullo sibi duce opus esse, arbitrati sunt.* Clim. 9. 1. Examina te nunc, qualiter te erga rectores tuos gesseris, quos habuisti? possūtne idē de te dicere, quòd S. Paulus de Galatis dicebat: *non sprevistis, nec respuistis, sed, sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum JEsum.* Galat. 4. 14. An non è contrario credidisti, dum aliquem, in virtute, progressum fecisti, te amplius eorum consilio opus non habere? non attendens ad hanc regulam, seu fundamentum sanctorum, hanc esse

maximam ſtultitiam? *qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.* Bern. epiſt. 87. Reſolve igitur te, quiſcumque demum ſis, talem aliquem eligendi, cum quo identidem tractare poſſis de tuis functionibus, & obligatione, ac ſtatu conſcientiæ tuæ; *conſilium ſemper à ſapiente perquire.* Tob. 4. 19. Quia autem hoc ſpeciale Dei donum eſt, roga Chriſtum JEſum ad S. altare accedens, ut tibi hanc facere gratiam dignetur, quâ poſſis illum agnoſcere, qui tibi magìs utilis ac proficuus eſſe poſſit. *Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris.* Act. 1. 24.

DIE SABBATHI.

Sine intermiſſione orate. 1. Theſſal 5. 16.

De continua oratione.

1. Neceſſitas ita orandi.
2. Media hoc exſequendi.

PUNCTUM I. MAxima noſtra, quã habere poſſumus, ſecuritas in continua oratione ſita eſt; non niſi nomen Domini invocare debemus, ſi ſalvi eſſe velimus, ſecundum quod dicitur: *& erit: omnis, qui invocaverit nomen Domini,*

ni, salvus erit. Joël 2. 32, Sed oportet illud invocare semper, ut salus nostra in securitate sit, & ut inimicos nostros, absque ullo timore, evadere valeamus, ad exemplum regii prophetæ; *providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Ps. 15. Nimis parùm orat, qui solùm orat, dum genuflexus orat, ut Abbas Isaac apud Cassianū ait Collat, 10. 7. *perparùm orat quisquis illo tantum tempore, quo genua flectuntur, orare consvevit.* Neque hoc verum esse cessat, si quis etiam longo tempore genuflexus oraret; nam genua debilitari possunt, adeò, ùt quis absque peccato à genuflexione desistere possit; nostrum autem cor minimè, absque infidelitate; quemadmodum enim virtus illius in eo consistit, ut cum Deo unitum maneat, ità infirmari, ac debilitari non potest, nisi ab oratione desistat; hinc benè excusari possumus, ut non maneamus semper genuflexi, quia vires ad hoc sufficientes non habemus; excusari autem nequimus, si non semper oremus, cùm inimici nostri semper fortes cō-tra nos permaneant; mundus incessanter inimicus noster est; & quod plus est, nos ipsi, nobismetipsis, inimici sumus, & circumferimus in nobis, corpus mortale, quod est origo tenationum. Possìtne quis

tot periculis se expositum cernere, & ab oratione cessare? vulnera, & plagæ peccatorum nostrorum sunt *plagæ pessimæ, & perseverantes* Deuter. 28. Plagæ autem, quæ durant, etiam ligaturâ, & fasciâ perseverante indigent, & remedio non minùs extenso, quàm hoc ipsum malum sit. Sìtne autem medium efficacius ipsâ oratione? curare ergo sollicitè debemus, ut eidem continuò nos applicemus: hinc tale nobis dat Sapiens consilium, & monitum: *non impediaris orare semper; & neverearis, usque ad mortem, justificari* Eccles. 18. 22. Verùm, ah! quàm pauci sunt christiani; imò verò etiam ex clericis, qui hoc exsequantur consilium! ecclesia, ut hujus rei nos admoneat, distinguit divinum officium, in plures horas, & quotidie in illâ, quæ *sexta* dicitur, jubet nos dicere: *quomodo dilexi legem tuam Domine, totâ die meditatio mea est.* Ps. 118. 97. Interim fateamur hoc ad confusionem nostram; clericos ad hoc nullam ferè reflexionem facere, non magìs, ac ipsi laici, & distractio illa, in, & cum quâ vivunt, satìs indicat, parùm se comprehendere necessitatem illam, quam habent, continuò orandi. O Domine, ah? fac nos tandem intelligere, & capere, orationem debere esse omninò grandem occupationem nostram, in quocun-

cunque demum officio simus, fac, ut nunquam illius sententiæ cujusdam magni sancti obliviscamur: *nec tam sæpe spiritum ducere, quàm DEI meminisse debemus,* Greg. Naz. or. 33. Frequens enim oratio, tam est necessaria animæ, quàm respiratio corpori. Tota sollicitudo nostra sit, ut te adoremus, ut sanctam legem tuam meditemur; *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. in omni tempore.* Ps. 118. Verùm qua ratione orare possunt continuò creaturæ adeò debiles, ac sumus nos? hoc docebit

PUNCTUM II. Si vel parùm fidei, & pietatis haberemus, inveniremus facile media, orationem nostram reddendi continuam. En aliqua; quibus utiliter utamur. 1mum. est, habere vivam cognitionem, & agnitionem miseriæ nostræ, quæ nos continuò recurrere faciat, ad divinũ liberatorem, & cœlestem medicum nostrũ, dicendo cum regio propheta: *miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Ps. 6. 2. Vel aliter: *Deus ne elongeris à me; Deus meus in anxilium meum respice.* Ps. 70. Hoc ipsum est, quod S. Augustinus nobis inspirare vult, dum dicit, nos instar viduæ, quæ in afflictione est, orare debere; vel instar pauperis, qui ante januam hujus grandis & ditissimi eleemosynarii, respe-

ctu cujus reges hujus terræ mendicabula tantùm sunt, stamus; *ora, sicut vidua Christi, sicut pauper ora.* Epist. 130. 2dum. ut elongemus nos, à societate mundi, & à multitudine exteriorum occupationum nos subtrahamus, quæ nos ab oratione avellere possunt, *declinate à me maligni*, dicebat David, *& scrutabor mandata DEI mei.* Ps. 118. 115. Videmus in actibus apostolorum, quòd hi abdicaverunt à se curam pauperum; ut unicè orationi, & prædicationi vacare possent; *nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus* Act. 6. 4. Et in hoc exemplo fundant se concilia, quæ ordinant, *ut episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet; sed ut lectioni, & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.* Concil. 4. Cart. Can. 20. 3tium, ut supra nosmetipsos vigilemus, specialiter, in illis intervallis, quæ actiones nostras ab invicem separant quamlibet occasionem arripiendo, ad exhibendam Deo fidelitatem nostram, in orando. Hanc instructionem nobis dat ipse Dei filius, ut sic lapsum, in relaxationem aliquam, impediamus. *Vigilate itaque, omni tempore orantes.* Luc. 21. 36. 4tum. ut omnes actiones nostras ad gloriam Dei referamus; identidem, ac per intervalla, ope cujusdam orationis jaculatoriæ, ea Deo offe-

offerendo; *orantes omni tempore, in spiritu,* ait S. Paulus Ephes. 6. 18. denique in præsentia Dei continuò ambulando, colligendòque nos, ex aspectu creaturarum, quæ nobis sunt, materia, & objectum orationis, quæ nunquam finietur, si sollicitè admirari discamus in eis magnitudinem, & majestatem creatoris, ad exemplum prophetæ; *in factis manuum tuarum meditabar.* Ps. 142. Anne usi sumus huc usque, hujusmodi mediis, ut sic orationem nostram redderemus continuam? ô quàm sæpè in hoc defecimus; quot occasiones ità orandi perdidimus! tu præcipis nobis ô Domine! sine intermissione orare; da nobis etiam gratiam tuam, ut, quod præcipis, implere valeamus, donando nobis Spiritum sanctum tuum; *nam quid oremus,* ait apostolus, Rom. 8. 26. *sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.* Præparatio tua ad Missam sit rogare Christum pro hoc magno dono orationis, & quidē tanto cum fervore, ac illud discipuli illius ab eo petierunt; *Domine, doce nos orare.* Luc. 11. 1. Et pro gratiarum actione offer illi cor tuum, tanquam altare quoddam, super quod dignetur accendere holocaustum orationis talis, quæ finem nūquam habeat; *unusquisque nostrum habet in*

ſe holocauſtum ſuum, & ſui ipſi ſuccendit altare, ut ſemper ardeat. Origen. Homil. 9. in c. 16. Levit.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

Aſſumpſit JEſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum; & transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17. 1. & 2.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI JESU.

1. Manifeſtatio gloriæ ipſius animare debet ſpem noſtram.
2. Privatio illius ad tempus, humilitatem nobis inſinuat, & docet.

PUNCTUM I. ADora, ante omnia, ſalvatorem tuum, in monte Thabor transfiguratum, gloriâ circumdatum, & pleno lumine coruſcantem. Admirare hunc ſtatum felicem cum omnibus illis apoſtolis, qui *facti ſunt ſpeculatores illius magnitudinis.* 2. Petri 1. 16. conſidera cur radios quoſdam gloriæ ſuæ, quam ſub velo humiltatis ſuæ hucuſque continuit; emicare voluerit? fecit hoc non tantùm pro conſolatione apoſtolorũ iſto-

istorum, quàm, ut eos præmuniret, contra scandalum passionis suæ, & crucis; insuper ad confortandam illorum & nostram spem; & ut animaret nos, ad unicè laborandum, pro beatitudine ista æterna, quam nobis in coelo promisit. Te ipsum igitur anima, & conforta, tam amabili objecto, & aspectu, ut nil amplius impedire te possit, ad quærendum Deum, ex toto corde tuo, *quœrite Dominum, & confirmamini; quœrite faciem ejus semper*. Ps. 104. Id, quod salvator noster, in monte hoc apostolis suis exhibuit, non nisi radius quidam fuit beatitudinis, quâ sancti in coelo fruuntur; non nisi gutta erat, ut ità dicam, maris illius deliciarum, & voluptatum, quod pro altera vita nobis reservat. Interim sufficiens erat hæc gutta, ut extra se raperentur, ac omnium rerum mundanarum obliviscerentur; nec de alio cogitarent, quàm ut perpetuò hìc manere possent. *Bonum est nos hic esse*, exclamabat S. Petrus; hoc autem dicebat, ùt evangelium advertit, *nesciens quid diceret*. Luc. 9. 33. O! si vel uno solùm momẽto degustata gloria adeò vivam in apostolis causavit impressionem, quid nonefficiet in cordibus electorum, ipsa consummatio gloriæ! quæ ergo ista est coecitas hominum, hanc gloriam contemnentium,

cujus vel minima pars ſufficit, ut animas inebriet; quæque omnibus voluptatibus, ac gaudiis totius mundi præferre meretur. Ah! Domine! preſerva nos à tali cœcitate; inſpira nobis ardentius impoſterum deſiderium pro gloria hac immenſa, ut majori ſollicitudine & cura laboremus deinceps pro eâ adipiſcenda! doce nos omnia illa deſpicere, & contemnere, quæ hic in terrâ, pulchra & pretioſa æſtimantur; & ut aliud non ſuſpiremus, quàm conſequi perfectam adoptionem filiorum tuorum. Si autem in hoc myſterio id reperimus, à quo ſpes noſtra animetur; inveniemus pariter aliquid, quod nos humilitatem doceat, ſiquidem privari voluit Chriſtus JEſus gloriâ corporis ſui, quæ illi undequaque debebatur.

PUNCTUM II. Hoc ipſum momentum ſplendoris. & claritatis, quam JEſus apoſtolis ſuis oſtendit, vult, ut reflexionē quamdam in nobis cauſet, ſupra magnitudinem privationis, gloriæ ſibi debitæ, quam ſuſtinuit! nam, quæ gloria, quis ſplendor non debeatur corpori, unione hypoſtaticâ intimè conjuncto filio Dei? nihilominus eclypſari paſſus eſt gloriam iſtam & majeſtatem; voluntariè ſe illâ privavit; & pro eo, quod vitam ſvavem, & commodam, felicem, & tranquillam, quā

du-

ducere poterat, elegerit, pati voluit famem, ſitim, miſerias vitæ hujus, opprobria, verbera, flagella, ſputa &c. & mortem deniquè æquè crudelem ac ignominioſam; *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ.* Scio equidem, quod ex deſiderio pro nobis patiendi, tale etiam corpus tormentis objeciſſet, quod vel ipſi inimici ſui ne tangere quidem auſi fuiſſent, ſi in ſua majeſtate, antequam crucifigeretur, apparuiſſet; *ſi enim cognoviſſent,* ait S. Paulus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Verum dicere etiam poſſumus, quod ità ſuſpēdendo gloriam illam, quæ connaturaliter è corpore ſuo, in quo plenitudo divinitatis habitabat, emicare debuerat, clarius & efficacius nos docere non potuerit humilitatem, demiſſionem, & hominum oblivionem. Et verò; poterátne fortius & expreſſius damnare ſuperbiam noſtram, quæ tam altas in corde noſtro fixit radices? quæque nos ad hoc urget, ut nos ipſos oſtentemus, & ubique comparere velimus; quò honor noſter promoveri poſſet, & magnà curâ totum illud occultandi, quod opinionem de nobis aliorum diminueret, apud quos cum præjudicio ipſiuſmet Dei quaſi regnare volumus? ità quidem, ut pro eo, quod Chriſtus JEſus

expressum miraculum, toto vitæ suæ cursu, operatus est, ut retineret effusionem, & splendorem gloriæ suæ internæ, quæ se necessariò, instar torrentis, supra humanitatem ipsius, effundere debebat, nos è contrario aliud omninò libentius patraremus, si in nostra potestate foret, ut pleni lumine, & claritate appareremus, omniùmque oculi in nos converterentur. Ah! Domine! quàm longè absumus, à tuo modo agendi. Transfigura animas nostras, novus Adam! spoliando illas vitiosis inclinationibus, & imprimendo eis earum locò tuam imaginem. Pro Missa, aut communione; si nos ad eam, prout oportet, præparemus, benè dicere possumus cum S. Petro, quòd nobis omnino, & ex omni parte benè sit; sed adhuc feliciores, & beatiores essemus, si redemptor noster in se ipsum nos transformaret. Hoc ipsum nobis apprimè est necessarium, prout S. Augustino clarè id indicavit, dicens: *cibus sum grandium; cresce & manducabis me; nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ sed tu mutaberis in me.* S. August. conf. l. 7. c. 16:

FE-

FERIA SECUNDA.

Ego vado; & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Joan, 8. 21.

De infelici morte peccatoris impænitentis.

1. In quo consistat infelicitas hæc.
2. Quomodo in eam incidat?

PUNCTUM I. VErba ista, quæ Christus in hodierno evangelio ad Judæos dixit; *ego vado &c.* fortassis omnium terribilissima sunt, quæ in scriptura leguntur; ostendunt nobis nimirùm infelicem mortem, ac interitum peccatoris indurati, & impœnitentis. 1. Infelix est peccator impœnitens ob magnitudinem amissionis seu jacturæ; perdit peccator Deum, qui ab eo recedit, & gratiam suam ei subtrahit: *ego vado*: quāta jactura! benè ad hoc attende; & invenies, quòd hæc ipsa sit punitio, tot peccatorum, qui durante vitâ suâ vias suas negligunt; vel qui solummodò proponunt, eas ad finem vitæ suæ amplecti, & ingredi: *despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interi-*

interitu vestro ridebo, & subsanabo, cùm vobis id; quod timebatis, advenerit. Prov. 1. 26. O quàm terribilis hæc est comminatio; sed quàm modica etiam ad eam fit attentio, & reflexio! 2, infelix est ob ea, quæ ex duritia hac sequuntur. Peccator talis impœnitens, in lectulo mortuali jacens, quærit Deum, quem contempsit in vita sua; verùm tantùm inter Deum, & ipsum interjacet chaos, ut eò pertingere non possit, ubi ille est; *quæretis me*, ait Christus; *quo ego vado, vos non potestis venire.* Voluntas illius debilis & infirma & moriturens, fortassis conatum aliquem adhibebit, reconciliandi se cum Deo; sed timendum est, ne omnes hujusmodi resolutiones, similes sint Antiochi resolutionibus, & propositis. Cùm princeps iste ad extrema devenisset, grandia promisit Deo, adeò, ut omnibus. quid historiam hanc legunt, justam admirationem causent; & tamen scripiura addit: *orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* 2. Machab. 9. 13. O quàm funestus est finis, & mors peccatorum. 3. Infelix est, ob unionem seu conjunctionē peccati cum morte; nam peccator, qui sēper conversionem suam distulit, ordinariè in peccato suo moritur. *in peccato vestro moriemini*, Consequenter malum, quod fecit,

fecit, evadit æternum, in sua punitione & malitia; & omne, quod fecit bonum, deperditum, & in æterna est oblivione. O impœnitentia finalis, quàm es horrenda & terribilis! ô mortem sanè stupendam! quid autem de clericis sentiendum, & dicendum, qui tali modo moriuntur? *manet eos horror in exitu! dolor in transitu; pudor in conspectu magni Dei,* ait S. Bernardus serm. 28. de divers. Qualis stupor! qualis desperatio! quando memoriæ illorum occurent omnia illa scandala, quæ dederant; absolutiones nimium præcipitanter datæ? sacrilegia commissa? simoniæ? abusus bonorum ecclesiasticorum? quantus dolor? si comparere debeant coram Christo Domino, ac reddere rationem ob multitudinem gratiarum, quas receperunt? ob animas ipsis concreditas? ob sacramenta, & alia sacra mysteria administrata, & dispensata? uno verbo, de omnibus mediis, quæ ad manus habuerunt, ut & suam, & suorum salutem operari possent? quis exprimat eorum tunc temporis convulsiones & deliquia? melius hæc cogitantur, quàm exprimantur. *Intelligite hœc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* Ps. 49. Quia autem hoc malum, & infortunium nimis quàm commune est, videamus, quomodo

ad

ad tantam miſeriam deveniatur?

PUNCTUM II. Mori quis poteſt in peccato ſuo, tribus modis, ait S. Bernardus; per obſtinationem, per præventionē, per illuſionem. 1. *Per obſtinationem*, quādo quis deſiſtere non vult à peccato ſuo; ſive quia deſperat veniam ùt Cain; ſive quia renuit applicare media pœnitentiæ, ùt Judas; tales ſunt impudici, qui neque relinquere volunt objectum paſſionum ſuarum, neque deſerere proximam peccandi occaſionem; tales ſunt vindicativi, qui ſe ad hoc reſolvere nequeunt, ut ignoſcant. Tales ſunt latrones & uſurarii, qui, poſtquam, in, & per vitam ſuam, furta ſua, & latrocinia, & dolos malos abſconderunt, ad finem vitæ ſuæ, ſufficientem, & debitam reſtitutionem facere recuſant. 2. *Per præventionem*, quando quis moritur, eo tēpore, quo minimè putatur, ùt Agar & Balthaſar. Quot ex peccatoribus ità moriuntur, abſtrahendo ab iis, qui in bello aut per naufragia intereunt; aut ſimili non præviſo accidenti ſuccumbunt? quot fuêre, & fortè ipſe tales noſti, qui in flore ætatis obiêre, à comœdia, à luſu, compotatione, helluatione, ne plus dicam, recenter reduces? ô quà nîmìs frequentes ſunt ejuſmodi caſus! *neſcit homo finem ſuum*. ait Sapiens, *ſed ſicut piſces capiuntur hamo;*

hamo; & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit. Eccles. 9. 12. 3. *Per illusionem*, quando, nescio quæ ideæ formantur de futura conversione, aut etiam præsenti, cujus tamen Spiritum aliquis non habet, prout apostolus de Esau dicit. Hebr. 12. 17. *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lacrymis inquisisset eam.* Videre est quosdam, qui postquā Deum offenderunt, plorant, ingemiscunt, & lacrymas fundunt; sed non nisi frequēter accidit, lacrymas tales, talemque pœnitentiam, pœnitentiæ Esau, similem esse. Rarum quid est, christianos graviter lapsos, sinceram agere pœnitentiam; sed adhuc rarius invenire est clericos, qui, postquam se turpi vitæ dederunt, resipiscant, & ex toto convertantur; id quod ipsa scriptura nobis insinuat, quando juxta versionem septuaginta dicit, 1. Reg. 2. 25. *si populus peccaverit, orabit pro eo sacerdos; si autem sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* time ergo impœnitentiam, siquidem tam horribile quid est, & tamen adeò comune; & ex nunc stude, & labora pro reformatione morum tuorum. O Domine! qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, fac, ut hic ipse hodiernus dies, conversionis meæ

perfectæ, quemadmodum & pœnitentiæ meæ, dies ſit, quia unam & alteram hodie incipiam, ut miſeriam, & infelicitatem eorum evitē, qui in impœnitentia ſua moriuntur. Præpara me, ô Domine, per virtutem hujus S. ſacrificii, quod propediem tibi oblaturus ſum, ad hos effectus quos à tua bonitate expecto; *quæſumus ut effectibus eorum nos veraciter aptare digneris*, poſt commun. Dom. 3. poſt Epiph' Et tu anima mea! quæ à Deo tuo obtinere hoc deſideras, ſequere conſilium S. Bernardi Serm. 1. in vigil. Nat. Dom. *adorna thalamum tuum Sion &c. abominationes Ægyptiorum immola Deo tuo.*

FERIA TERTIA.

Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi &c. Matth. 23. 2.

De malis prædicatoribus.

1. Imago, ſeu deſcriptio illorum.
2. Quantam injuriam eccleſiæ inferant.

PUNCTUM I. Conſiderare debemꝰ id, quod hìc Chriſtus Dominus de ſcribis & phariſæis ait, tanquam imaginem quamdam omnium paſto-

pastorum, & prædicatorum, qui alios, nõ verò seipsos, instruere volũt; vult nihilominus, ut eos audiamus; siquidem veritas, quam prædicant, non illorum, sed DEI est, & veritas ista venerationem & sequelam meretur, quamvis etiam per indignos ministros annuntietur. Prohibet simul eos imitari, eo quòd longè aliter vivant, quã doceant; imponunt enim onera insupportabilia in humeros hominum, quæ nequidem digito suo movere volunt. O quàm meritò humiliare debet imago ista prædicatores illos, quorum vita sermonibus & prædicationi eorum non respondet, quamcunque pulcherrimæ res proponantur, dici tamen de illis potest illud, quod Isaac de Jacobo dixit Gen. 27. 22. *vox quidem, vox Jacob est; manus autem, manꝰ sunt Esau;* quid? adeò temerarius es, ut te ipsum erigere audeas in magistrum? *confidis, te ipsum esse ducem cœcorum?* Rom. 2. 19, ducere vis cœcos, docere ignorantes, lumen afferre iis, qui in tenebris sũt, & tu ipse vivis in errore & malitia? *qui ergo alium doces, te ipsum non doces?* quid? instruere alios audes, & te ipsũ oblivisceris? prædicas aliena bona non diripienda, & modô longè vitiosiore, & magis criminoso furaris Deo gloriam suam, tibi atribuendo conversionem animarum, quam

gratiæ JEſu Chriſti adſcribere deberes? *prædicas; non furandum furaris.* Dicis, non admittendum adulterium, & tu ipſe animam tuam diabolo, ambitioni, & vanæ gloriæ proſtituis? *dicis, non mœchandum, mœcharis.* Ab idolis abhorrres, & quotidie ipſemet, neſcio, quas profanationes, & ſacrilegia committis? *abominaris idola, ſacrilegium facis.* Gloriaris, te legis peritũ eſſe, teque illam prædicare, & tu ipſe Deum inhonoras mille modis per violationem hujus ipſius legis; *in lege gloriaris, per prævaricationem legis, Deum inhonoras.* O quàm horribilis imago, & deſcriptio pro prædicatoribus; interim nimis quàm verùm eſt, eam pluribus, in hoc noſtro ſæculo, convenire; ſiquidem omnibus iis convenit, qui propriâ ſuâ ſcientiâ inflantur, & ſuis talentis extolluntur. Cõuenit omnibus, qui id ipſum non faciunt, quod aliis prædicant, convenit omnibus, qui pro eo, ut ſibi de ſcientia ſanctorum provideant, malè vivunt in occulto, vel omninò publicè alios ſcandalizant. Vide, utrum non etiam tibi conveniat; & ut majorem hujus rei horrorem concipias, vide in puncto 2do, quàm graviter noceant, & quantam eccleſiæ injuriam inferant ejuſmodi mali prædicatores.

PUNCTUM II. Lex, quam Deus præ-

prædicatoribus veritatis imponit, ait S. Gregorius, Mor. in Job. l. 19. c. 6. est, ut per proprias actiones studeant id implere, quod aliis per verba sua conantur persvadere; *lex est ipsis prædicatoribus imposita, ut vivendo impleant, quod loquendo suadere festinant; nam loquendo authoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur.* Ps. 49. Hinc David ait peccatori: *cur tu enarras justitias meas? & cur assumis testamentum meum, per os tuum, tu verò odisti disciplinam; & projecisti sermones meos retrorsum. Sermones DEI,* ait S. Greg. ibid. *post se prædicator projicit, cùm hoc, quod dicit, facere contemnit; quomodo autem dictis ejus alter obediat, dum ipse respuit opere, quod prædicat voce?* Reflecte te parumper super hoc, quod primùm ex hoc magno pontifice audiisti, quæcunque demum talenta ad concionandum habere videaris; quoscunque applausus tibi per conciones tuas concilies; si verbis tuis opera tua non respondeant, nunquam propterea cœlum ingredieris; neque idoneus eris, ut & alios illuc perducas, eo quòd actiones seu opera tua majori illis sint obstaculo ad salutem, quàm vox tua utilitatis illis afferat, ad eorum sanctificationem. Infelix igitur est prædicator, qui, dum in manibus suis habet regulam

veritatis, & faculâm scientiæ, talibus non pro se ipso utitur; & dum alios illuminare vult, illos excæcat, & à viâ cœli abducit, dum putat eos directè eò deducere; *nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes,* ait S. Paulus, Rom. 2. 24. dum audiunt debiles, ac infirmi christiani, aliam esse doctrinam, & alium modum vivendi, putant, religionem nostram, non nisi politiam quamdam esse. Libertini hoc quandoque cogitant, imò expressis verbis hoc imperterritè dicunt; perfecti autem christiani tali modo vivendi scandalizati, se continere non possunt, quin contrà murmurent, & conquerantur tales adeò indignos ministros tolerari. Hinc est, quòd concilium Tridentinum sess. 14. de reform. tantâ instantiâ episcopis injungat & commendet, ut non admittant malos & scandalosos sacerdotes ad functiones aliquas sacras in sua diœcesi; *quâ enim libertate socios poterunt corripere sacerdotes, cùm tacitè sibi respondeant, eadem se admisisse, quæ corripiunt?* Ora hìc pro conversione malorum prædicatorum; & si hoc officio ipse fungaris, propone deinceps vitam meliorem vivere, ut majorem progressum per sanctitatem morum tuorum evangelio procures; an non turpe sit, ait quidam, docere illud, quod ipse non facias?

as? *dicta factis deficientibus erubescunt.* Tertull. de patien. c. 1. Pro præparatione ad Missā pete à ChristoDomino, animæ tuæ infigi hunc salutarē timorem, quem S. Paulus habebat, ne ipse pereas, dum aliis prædicaveris; & pro gratiarum actione expende verba ista S, Bernardi, Tom. 2. edit. nov. ad pastores animarum in concilio Rhemensi congregatos. *Si mundum prœdicas contemnendum, contemne te priùs, & ad ipsum alios efficaciùs invitabis; da voci tuœ vocem virtutis; consonet vita verbis.*

FERIA QUARTA.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei; unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo, Matth. 20. 21.

De ambitione parentum in promovendis filiis ad dignitates Ecclesiasticas.

1. Quàm commune sit hoc vitium.
2. Qualia remedia adhibere oporteat contra illud.

PUNCTUM I. O Quàm multos hodiedum imitatores habet mater ista filiorum Zebedæi; quot ex christianis adhuc hodie preces tales

judaicas ad exemplum hujus mulieris fundunt ad Deum pro ſuis liberis? imò, quod plus eſt, etiam ſimoniacas preces coram hominibus effundunt, ut illis quoddam beneficium procurent; & ſi tale jam ſit in familia eorum, tanquam hæreditarium quid hebent, quod ipſis eripi non poſſit; *hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei*, Pſ. 82. 13. Quantùm ad alia beneficia, putant ea quaſi bona prædatitia ac primò occupantis eſſe; támque temerarii ſunt, ut ejuſmodi patrimonia pauperum, & vota fidelium, ad ſe rapiant, filioſque ſuos ad ſtatum clericalem adigant, quo omninò indigni ſunt. O infelices parentes! quàm cœci eſtis in diſponendo hoc modo de filiis veſtris, ut cupiditatibus veſtris ſatisfaciatis? vultis, ut ſacerdotes ordinentur, quocunque demum id pretio conſtet, & ad beneficia promoveantur; neſcitis, quid faciatis, aut petatis! conſuluiſtiſne Dominum, ut ſcire poſſitis, an eos in miniſterio ſuo habere velit? examinaſtiſnè an lumen fidei, utrum talenta & qualitates illas habeant, quæ ad illud requiruntur? perpendiſtiſnè gravitatem hujus negotii, quandoquidem æterna illorum, & veſtra ſalus ex hoc dependet? ſi filium tuúm ad talem ſtatum adſtringis, ad quē à Deo non vocatur, non illum Deo conſe-

secras; sed dæmoni sacrificium offers *immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Ps. 105. An non terret te terribilis illa castigatio sacerdotis Heli, quem Deus reprehendit, quòd plus amâsset filios suos, quàm ipsum Deum? quòd sollicitior pro eorum, quàm sacri altaris honore & reverentia fuerit, & proin reverentiam illam sanctuario debitam ex turpibus motivis carnis & sangvinis perdiderit? *magìs honorâsti filios tuos, quàm me.* 1. Reg. 2. 29. Idque non factum fuit, ait S. Hieronymus ibid. quasi Heli non corripuerit filios suos; fecit hoc, sed tardè & lanquidè, solâ aliquâ admonitione contentus pro eo, quòd eos cum omni rigore de tẽplo ejicere debuisset, & illis interdicere administrationem rerum sanctarum, quas profanaverunt. *Heli corripuit filios suos, & punitus est: quia non corripere, sed abjicere debuit.* Quod ostendit, ait S. Gregorius M. quàm longè culpabiliores sint parenes illi, qui suos filios ad sacros ordines & ecclesiasticas dignitates impellunt, non ut ministros sanctos dent ecclesiæ, sed ut domus illorum splendore talium dignitatũ inclarescant; ut temporalia lucra reportẽt iis, quos secundùm carnem & sangvinem diligunt. *Filios & propinquos, magìs quàm Dominum honorat, qui ad sacros ordines per-*

ſonas eligit, non ex converſationis honeſtate, ſed amore propinquitatis &c. carnales prælati, ſpiritualis honoris culmina, carnalibus propinquis ideo tribuunt, ut eccleſiaſticis facultatibus ditentur; nec curant, quales ſunt, qui ad ſpirituale miniſterium veniunt, ſed tantùm, ut temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectuntur, in 1. Reg. c. 3. Ah! quàm communiter & ordinariè ità accidit; ſed quænam remedia debent filii huic ſceleratæ parentum ambitioni opponere? illis uti debent, quæ Chriſtus JEſus nobis indicat in evangelio; eáque ſtatim indicabimus & explicabimus.

PUNCTUM II. Oportet 1mo. reſpondere illis vocationem divinam, quæ ad quemlibet ſtatum amplectendum neceſſaria eſt, magìs adhuc in particulari requiri ad miniſterium eccleſiaſticum. Patris mei cœleſtis eſt, ait JEſus ad filios Zebedæi, dare vobis ſedes, quas petitis; *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo.* Si ergo parentum veſtrorum ambitio ad hoc vos ſollicitet; ut primas ſedes in eccleſia ambiatis, reſpondendum, has omninò & abſolutè à Deo pendere, qui ſecundùm omnem rigorem & juſtitiã puniet eos, qui eas aliter occupare cogitant, prout ipſe declarat: *ipſi regnaverunt, & non ex me. Principes extiterunt, & non*

co-

cognovi; argentum suum, & aurum suum, fecerunt sibi idola, ut interirent. Osée. 8. 4. 2. Repræsentandum ipsis est ministerium sacrum, humilitatis & non ambitionis ministerium esse; forma apostolica hæc est; *dominatio interdicitur; ministratio commendatur;* ait S. Bernardus, l. 2. de consid. c. 6. quod fundatur in gravi illa monitione in hodierno evangelio suis discipulis à Christo JEsu factâ; *reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic:* Ne imaginamini vobis, quasi dominari debeatis populo vobis concredito instar principum sæcularium & gentilium; volo, ut qui primas inter vos obtinent, se non aliter considerent, quàm servos; *qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus;* & ut illis exēplum exhiberet, ait: *sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* S. Paulus æquè benè idipsum declarat, ac divinus magister suus, quòd se servum aliorum fecerit, *cùm liber essem, omnium me servum feci.* 1. Cor. 9. 19. S. Petrus, caput totius gregis abesse voluit à clero omnem spiritum dominationis; *non dominantes in cleris.* 1. Petri 5. 3. An tam pulchra exēpla deserere vis, ut sequaris illud Luciferi, principis omnium superborum? 3. Si parentes vestri, & propinqui, aliud sibi nō imaginantur, quàm vitam aliquam dulcē,

&

& deliciosam in tali statu, corrigite eos per verba ista, quæ Salvator ad filios Zebedæi dixit; *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* statum, quem elegimus, aut amplecti volumus, adstringit nos ad bibendum calicem; stadium quoddam est laborum, ubi nulla requies, vel induciæ sperandæ, quousque ad illud felicissimum tempus pervenerimus, ubi spiritus dicat: *requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14. 13. *Quid enim est potestas culminis*, ait S. Gregorius M. Pastor. l. 1. c. 9. *quàm tempestas mentis, in qua cogitationum semper procellis, navis cordis quàtitur; huc illúcque incessanter impellitur, ut per repentinos excessus oris & operis, quasi per obviantia saxa frangatur*, En! quàm neutiquam causam habeas talia ambiendi! sed quæ sequuntur, omninò horrorem tibi incutiant; *inter hæc, quid sequendum est, quid tenendum, nisi, ut virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* ibid. Resolutio tua sit, ut & tuæ, & tuorum ambitioni frœnum injicias. Communica ad hanc intentionem; ô quàm felix fores, si in consideratione, quòd JEsus ad te veniat, ut seipsum in te exinaniat, ab ilio disceres, verè humilis esse? en quàm tibi det novum exemplum, invitando, & vocando te, ad divinam hanc mensam suam, ubi ex boni-

tate

tate sua prorsus stupenda, perfectè id adimplet, quod dixit in evangelio suo Luc. 22. 27. *nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne, qui recumbit? ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.*

FERIA QUINTA.

Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Luc. 16. 25.

DE VITA MOLLI SEU DELICIOSA.

1. Talem plurimi ex clericis ducunt.
2. Quem finem sortiatur?

PUNCTUM I. QUis unquam credidisset, vivere pro commoditate suâ, tantum crimen esse? & quòd pro damnatione sufficiat, eleganter vestiri, splendidè convivari, & dies suos in lætitia transigere, eheu! ubi ergo sunt illi, qui adhuc pejus aliquid fecerunt? volo dicere, ii, qui voluptates, delicias, & sæculi gaudia sectantur? qui modo suo vivendi molli & delicioso mille alia scelera adjungunt, quæ quis nominare non audeat? quàm ergo utiliorem meditationē instituere possumus, quàm ut periculum illud nobiscum expendamus, quod incurrunt, qui talem vivendi modum sectantur,

præ-

præſertim clerici, miniſtri Domini illius, qui ad hoc in mundū venit, ut delicias & falſa mundi gaudia condemnaret? interim, ſi conſideramus, quæ in perverſo hoc divite evangelium reprehendit, quàm plures inveniemus, quorum vita parùm ab illa differt, quam ipſe duxit. *Erat dives*, amabat vir iſte divitias, ſed non erat injuſtus, nec fur; inter delicias & voluptates præcisè ſuis fruebatur bonis jucundè; interim abundantia domûs ſuæ oblivíſci eum fecit, miſeriæ Lazari, quæ erat prima cauſa reprobationis ſuæ. Quot ſunt ex clericis, qui iiſdem paſſionibus, & affectu erga bona mundi hujus laborant? non alio fine ad SS. ordines, & beneficia aſpirant, quàm ut commodiùs & voluptuoſiùs vivere valeant; & ut ipſi divites de bonis eccleſiæ efficiantur, parum interea ſolliciti de oneribus̄, & curis illis, quas ipſis beneficia ſua imponunt, non minùs inſenſibiles quoad aliorum miſerias, ac iſte infelix dives. *Induebatur purpurâ & byſſo.* Perverſus hic dives ſuperbè veſtitus erat. Quot ex clericis reperire eſt, quorum luxus non minùs peccaminoſus, & criminoſus eſt? oportet, pro veſtitu illorum procurare pannos pretioſiſſimos; & pro eo, ut modeſtiam Chriſti imitarentur, qui pauper, humilis, & omnibꝯ rebus ſpolia-

liatus, ac indigus, natus fuit, cujus ipsi se ministros dicunt, non erubescunt se accomodare modo, pompis, & vanitatibus hujus sæculi, cui tamen adeò solemniter renuntiârunt. *Epulabatur quotidiè splendidè.* Quotidie mensâ utebatur opiparâ, sed nullius alterius, seu extranei expensis, & sumptibus. Ah! quot ex clericis idem faciunt, sed expensis ecclesiæ? quotidie epulantur, & convivia instituunt; nil nisi gaudia & delicias cogitant; inerti planè & criminosæ quieti, ac otio se dant; non solùm omne, quod in statu suo laboriosum & difficile est, à se abjiciunt, sed probè etiam sciunt, vel ab iis etiam se eximere, quæ à conditione & statu reliquorum hominum inseparabilia sunt; *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Ps. 72. Verba sunt regii prophetæ; verùm ista, quæ statim subjicit, satis clarè demonstrant, in quanto periculo versentur illi, qui vitam adeò mollem & voluptuosam ducunt; *ideo tenuit eos superbia; operti sunt iniquitate, & impietate sua; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Perpende tecum exactiùs hanc horribilem sequelam, & quasi catenam scelerum, & time statum adeò periculosum. Sed ut te magìs inducam ad illum evitandum;

PUN-

PUNCTUM II. Confidera finem illū tragicum eorum, qui taliter vivunt. *Mortuus eft dives, & fepultus eft in inferno.* Vide itaque finem perverfi hujus divitis, & triftem fortem talis vitæ fenfualis & voluptuofæ, quem tales amatores mundi fortiuntur. Infelix ifte homo, eodem die, duas valde differentes fepulturas habuit, unam pro corpore; alteram pro anima fua; corpus ipfius abfque dubio, cum omni honore, & funebrì pompâ, tanquam miferandis fuperbiæ fuæ reliquiis, fepulturæ traditum fuit; fed quoad animam, aliam illa non fortita eft fepulturam, nifi infernum. O fepulturam horribilem! benè hoc recogita! *Elevans oculos, cùm effet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in finu ejus.* Ex fundo abyffi, in quam decidit, levat oculos fuos, hoc eft, tempore vitæ fuæ, nec femel quidem illos levavit, ut pericula vitæ fuæ videret! quique fortè nec femel ullam reflexionem fecit, quòd ab hac vita fua molli, quam ducebat, ad perditionem ducendus effet. Apprehendit igitur malum fuum, fed nimìs tardè, petit levamen quoddam, & folatium; & audit refponderi fibi; *filii, recordare, quia recepifti bona in vita tua.* Ecce totum id, quod ipfi de præterito fuperfuit; triftis nimirum memoria, & re-

cor-

cordatio falsarum deliciarum, & voluptatum, verùm de præsenti experiebatur mala extrema, quæ ipsum exclamare cogebant, & dicere; *crucior in hac flamma.* Visnè hoc pretiô vivere in voluptatibus, & deliciis indulgere? disce ergo adhuc hodie, quód vita gaudiosa & deliciosa, vita mollis, absque ullo labore, & pœnitentia, sufficiat, etsi nulla alia scelera adjuncta habeat, ut te á salute & regno, cœlorum excludat; & si forté, quod absit, contrariũ tibi hucusque persuasisses, corrige errorem tuum, christianismus, præsertim sacerdotium, continuatio quædam vitæ est JEsu Christi; qui erat in laboribus á juventute sua tenera; neutiquam igitur amplectendæ sunt partes illorum, qui aliter de hac re sentiunt, & sibi contrarium imaginãtur. *Sacerdotium non est artificium vitæ fallacis transigendæ*, ait quidam ex SS. PP. (S. Aug.) non, non; noli te ipsum dicipere; oportet multa pati, ut obligationibus illius satisfacias, oportet panem nostrum comedere *in sudore vultûs nostri*, portare pondus diei & æstûs; quærere, & indagare oves errantes inter petras, scopulos, & spinas, & inventam aliquam imponere humeris suis; oportet tempus nostrũ, quietem nostram, sanitatem, vitam, & omnia nostra, pro salute fratrum nostrorũ,

offerre, & sacrificare. En! quid te scire oporteat, & juvet, sæpius meditari, ut generosè renunties molli ac deliciosæ ejusmodi vitæ, quæ innumeram ferè clericorum multitudinem in interitum perducit. Et ad hunc effectum pete à Christo JEsu in tua ad Missam præparatione, ut veritatem istam intelligere te faciat, quemadmodum eam docuit S. Paulum, dum eum, ad prædicationem evangelii sui, vocavit; *ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. 16.

FERIA SEXTA.

Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructꝰ ejus. Matth. 21. 43.

DE CONTEMPTU BONORUM SACERDOTUM & PASTORUM.

1. Quàm periculosum hoc sit populo.
2. Qualiter se gerere debeant pastores boni ità contempti?

PUNCTUM I. QUis non expavescat ad minas istas, quas Christus JEsus in hodierno evangelio Judæis intentavit; ipsi erant hæc mystica vinea Domini, juxta expressionem prophetæ dicentis: *vinea enim Domini*

mini exercituum, domus Israël est. Is. 5. 7, Vah! quanta fecit Dominus Deus noster vineæ huic! *quid est, quod debui facere ultra vineæ meæ, & non feci?* ibid. v. 4. dedit ipsis legem: & sacrificium; nil omisit, quod ad salutem ipsorum quoquo modo facere posset. Misit ad illos, servos suos prophetas; & denique proprium filium suum, ut fructus vineæ istius colligeret, hoc est, actuales probationes, & realia signa fidelitatis, & obedientiæ ipsorum, illi non solúm nullos tales fructus protulerunt, quòd omninò maximo crimine non carebat, sed ignominiosè, & malè tractârunt insuper servos ejus; imò proprium ac unicum filium suum occiderunt. O ingratitudinem prorsus horribilem! an miretur quis post hæc, quòd Deus Judæos exterminaverit, & transtulerit legem suam & gratias in gentiles? discant exinde populi christiani, bonos sacerdotes, & pastores animarum, minimè contemnere, quos Deus ad illos pro salute eorum mittit. Non satis est, quòd gloriari possint coram hominibus, habere se sanctos pastores: oportet insuper ex illorum doctrinâ, & instructionibus, & bonis exemplis, proficere, ut ipsi quoque ejusmodi boni pastores coram DEO gloriari quandoque possint de sua fidelitate ad exemplum apo-

 stoli,

ſtoli, *ſicut & cognoviſtis nos ex parte, quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri JEſu Chriſti.* 2. Cor. 1. 14. Quid profuit Judæis ſua gloriatio, quòd pro paſtoribꝰ ſuis habuerint patriarchas, prophetas; & quòd ipſe JEſus Chriſtus eos ſuâ præſentiâ honoraverit, ac curam in ſe ſuſceperit, per ſe ipſum eos inſtruendi; ſiquidem hæ omnes prærogativæ, quibus malitiosè abuſi ſunt, nonniſi condemnationem ipſorum auxerunt, ac coram Deo criminoſiores & culpabiliores illos reddiderunt; prout idipſum iis Dominus in evangelio exprobrat. Joan. 15. 22. Non ſemper expectat Deus in futurum, ut puniat populos, qui ex hac prærogativa, quòd bonos habeant paſtores, non proficiunt; ſæpe hoc etiam in hoc mũdo facit; ſive eos ipſis ſubtrahendo per mortem, ſive aliâ viâ & modô, eos ab eis ſeparando, & auferendo, qui ſe indignos reddidêre, eos diutius habendi. *Cum enim indigni fuerint effecti, & fecerint malignum in conſpectu Domini, aufertur ab eis homo Dei,* ait quidam ex PP, (Orig. hom. 3. in c. 2. Jud.) neque dicant, qui ejuſmodi ſunt, Deum non derelicturum eccleſiã ſuam ſine paſtore, daturum nempe alium, locò illius, quem ipſis abſtulit; verum eſt, ſed prædictus Pater' audacter ait (quia

cum

cum scriptura loquitur) Deum non semper daturum ecclesiæ suæ pastores, secundùm cor suum, sed quandoque juxta merita, vel potiùs demerita nostra, si opera nostra mala sunt, & malè vivimus, quia tunc ait scriptura Is. 3. 4. *dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis*, Acquirent nimirum adulatores, qui eis omnia desiderabilia concedūt, & ut, quia ipsi decipi volunt, decipiantur. O quàm deplorandus est status populi, vel communitatis alicujus, sub tali pastore! experiuntur sub tali regimine famem non panis & aquæ, quæ solam mortem corporis afferre posset, sed longè aliam funestiorem, nimirum famem verbi divini, quæ mortem animæ causat; *ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram; non famem panis, nequæ aquæ, sed audiendi verbum domini.* Amos. 8. 11. Castigatio ista planè terribilis est; deberent se populi benè supra illam reflectere, sed quomodo ipsi boni pastores gerere se debēt, qui se adeò despectos, à populo cernūt?

PUNCTUM II. Hoc docet nos S. Paulus secundùm annotationem S. Jo. Chrysostomi; dum ità ad fideles scribit: Hebr. 13. 17. *obedite præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut*

cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis. Vides hic, ait S. P, Chryſoſt. ibid. *quod rectorem, ſi contemnatur, non oportet ſe ulciſci, ſed magna ultio facit flere, & ingemiſcere.* Si medicus ſperni ſe videat ab ægroto, non cogitat de vindicta; imò è contrario gemit, & compaſſionem cum illo habet. Verùm, ſi paſtor talis ingemiſcat, & ploret, an non obligat per has ſuas lacrymas Deum, ad ſumendam vindictam de iis, qui eorum cauſa exiſtunt? ad hoc reſpondeo, ait S. Doctor, quòd ſi ſuper nos ipſos flemus, in conſideratione peccatorum noſtrorum, lacrymæ iſtæ miſericordiam divinam ſuper nos trahant, cur non magìs eandem ſuper eos trahent, quorum ſuperbiam, & inobedientiam, deploramus? adeòque benè ſibi caveat ſervus JEſu Chriſti, ſi contemnitur, ut non ad injurias, & ad paria progrediatur; ſi etiam pedibus conculcetur; verberetur; omninò indignè tractetur. Totum, quod facere debet, eſt ut lacrymas profundat, & gemitus edat ſuper iis, qui ſe adeò indignè tractant, & tam injuſtè; *oportet eum ingemiſcere, qui deſpicitur, qui conculcatur, qui conſpuitur.* ibid. Poſſumus huic reflexioni, ait S. Chryſoſtomus, aliam adhuc adjungere, quæ magìs adhuc ſerviet ad perficiendam virtu-

tem

tem talium bonorum clericorum; nempe, ut se profundè humilient coram Deo, adeò, ut se servos omninò inutiles esse existiment. Quòd autem tam parùm utiles simus, exinde est, quòd nobis ipsis nimìs quàm utiles videamur, & quòd longè distemus ab humilitate magni Ignatii, qui videns ecclesiam suam, propter captivitatem suam, absque pastore, se per hoc consolabatur, quòd illa habeat JEsum Christum pro pastore; qui curam illius habiturus esset; *quæ pro me, jam Christo pastore, utitur, qui dixit, ego sum pastor bonus; & solus eam curabit, visitabitque.* Epist. ad. Rom. Nos è contrario tam parùm fidei habemus, & humilitatis, ut facilè credamus, omnia absque nobis perdita esse, quæ causa est, cur nos ipsos non nisi frequenter perdamus. Humiliemus igitur nos, ministri Domini, quando non audiunt nos, neque obediunt nobis, nostri; *sacerdotes ejus gementes.* Thren. 1. In memoriam revocemus nostram ipsamet præteritam infidelitatem. Ah! nos ipsi non semper respōdimꝰ sollicitudini illi paternæ, quâ supremus pastor tanto tempore excoluit animas nostras per gratias suas, instructiones, sacramenta, & alia misericordiæ suæ signa, & effectus; dici de nobis potest: *non fuerunt memores multitudi-*

nis misericordiæ tuæ. Pſ, 105. 7. Pro Miſſa; memor eſto, dum filius Dei ſe tibi per ſanctam communionem dat, eum venire, ut viſitet vineam ſuam, & fructum repetat omniū gratiarum, quas tibi hucuſque contulit. Quid habes ei dare poſt tot Miſſas, & S. communiones? conare illum, ſaltem hodie, majori cum devotione ſumere, quám ordinariè ſoles, ut poſſis eidē idipſum dicere, quod olim S. Cæcilia dixit; *ſuſcipe ſeminum fructus, quos in me ſeminâſti.*

DIE SABBATHI.

Filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt. Luc. 15.

DE ERRORE, & CONVERSIONE PECCATORIS.

1. Quomodo peccator aberret?
2. Qualiter convertatur? & quâ ratione eum juvare debeant clerici.

PUNCTUM I. QUod ante omnia, in modo agendi hujus filii prodigi, conſiderare debemus, eſt id, quâ ratione peccator, à viâ verâ aberret? talis eſt hæc materia meditationis, ut nobis perinde eſſe non debeat; ſivè erret, ſivè nō erret,

erret, convertatur, vel non convertatur peccator; frater enim noster est; hinc jactura & perditio illius nobis cordi esse debet; nullùsque magìs ac vivaciùs illud sentiat, oportet, quàm clericus, qui obligat9 est ad querendos peccatores, etiam in abysso scelerum suorum, ut eos Deo iterū reconciliet. Primus gradus erroris seu deviationis in peccatore, est superbia, quæ est initium & origo omniū peccato rū. Eccles. 10. 15. Filius prodigus sui ipsius dominus & magister esse vult, ac vivere juxta libertatem suam; *pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit*, Amor independentiæ, & desideriū se ipsum gubernandi, causæ sunt, cur peccator excutiat à se jugum Dòmini, & se sanctis legibus ipsius subdere recuset; *à sæculo confregisti jugum meum: rupisti vincula mea; & dixisti: non serviam*. Jerem. 2. 20. Id, quod Dominus per prophetam suum deplorat. Prim9 hic est gressus, quem in regionem longinquam à Deo abiturus facit; *abiit in regionē longinquam*. Eheu! potèstne quis longiùs abire, quàm si fugiat veritatē, ut amplectatur falsitatem & mendaciū, quàm, ut seipsū tradat in manus amoris sui proprii, seque à Deo suo separet; non quidē gressibus corporis; sed affectione cordis? ùt Augustin9 loquitur. Cadit exinde in egestatem quā-

dam horribilē, & famem terribilē; *cœpit egere*. Perdit charitatē; meritū bonorū operum suorū, & omnium divitiarū spiritualium, quas priùs acquisierat. Tam inops efficitur, ut nequidē jacturam suam videat ampliùs, neque plagas. quas dæmones animæ suæ inflixerunt ùt pulchrè canit in poëmate suo, contra Pelagianos S. Prosper de ingratitud. c. 4.

Nec jam, captivos oculos, attollere in altum
Sponte potest, quoniam hoc etiam spoliante tyrāno
Perdidit, ut, quanto jacet sub vulnere, nôrit.

Denique stultitiis hujus mundi fascinatus, & falsis illius deliciis inebriatus, in omne se scelus conjicit, & ad illud ultimū impudentiæ devenit, ut etiam de turpissimis factis glorietur. *Dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè*; pascere porcos, planè res vilissima est; sed an non turpius est, non nisi laborare, & sollicitum esse, ut quis infamibus suis passionibus satisfaciat? quàm stupenda miseria! videre christianos, imò quandoque etiam clericos, ad talem turpitudinis statum redactos? *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*. Thren. 4. 5. Non plura dicamus; satis comprehendimus, peccatorem per eosdem gradus, ac filium prodigum, in profundum abyssi, descendere; de hoc solummodo cogitemus, utrum non ipsi quoque hanc viam secuti simus, & erubesca-

mus ad recordationem præteritorũ; *væ, væ; quibus gradibus deductus sum, ad profunda inferni?* S. Aug. l. 3. conf. c. 10. Et

PUNCTUM II. Consideremus in reditu filii ,prodigi ad Patrem suum, conversionem peccatoris. 1. Se ipsum ingreditur, ut videat extremam illam stragem, quam in ipso causavit peccatum; *in se reversus;* & in hoc suo in se ipsum regressu incipit reditus ipsius ad Deum; hinc videmus in scripturâ, Spiritum S. ad quemlibet peccatorem dicere; *redite prævaricatores ad cor.* Is. 46. 8. 2. Ille ipse, qui eum fecit, in se ipsum descendere, inspiravit ei pariter resolutionem, ex hoc volutabro luti surgendi, in quo jacuerat; *surgam, & ibo ad Patrem.* Non est putandum, ait S. Augustinus, quasi ex seipso cepisset hanc resolutionem, projiciendi se in brachia illius, quem tantoperè offenderat per suos excessus; erat Pater cœlestis; qui secũdũ misericordiã suam bonitate suâ infinita dignã, eum sic excitavit ex hoc somno; *unde verò iste hanc cogitationem habuisset, nisi eam in occulto pater misericordissimus inspirâsset?* quæstionum Evangelii l. 2. q. 34. 3. Fatetur peccatum suum; *Pater peccavi;* sed hoc facit cum erubescentia quadam salutari, fide humili, spe firma, contritioue sincera, ad quæ deinde secuta fuit vera mutatio &

emẽ-

emēdatio vitæ; *ſurgens venit ad Patrem.* Non erat hæc ipſius reſolutio ſterilis, ùt noſtra; neque deſideria quædam, quæ fuerīt ſine effectu; effectivè, & re ipſa revertitur ad Patrem ſuum. 4. Hic charitativus pater brachiis expanſis eum recipit; *occurrens cecidit ſuper collum ejus.* Excellentiſſimum ſanè exemplar pro clericis, præſertim paſtoribus animarū, & confeſſariis. Videmus hìc teneritudinem, quâ utpote miniſtri Jeſu Chriſti uti debemus ad reconciliandos peccatores cum Deo; induamur ad exemplum hujus optimi patris viſcera miſericordiæ; occurramus illis: compatiamur eorum malis, miſceamus lacrymas noſtras ipſorum lacrymis; multùm olei, illorū plagis & vulneribus infundamus, monſtrando illis, nos intimè commotos, eorum ſtatu miſerabili, in quem decurrêre; & eouſque condeſcendentiā noſtram extendamꝯ, quantum fieri poteſt, ut neque ipſis noceamus, neque divinæ majeſtati præjudicemus, cujus miſericordia juſtitiæ illius non præjudicat; ante omnia autem moneamꝯ illos, ut nunquam obliviſcantur miſeriarū ſuarum præteritarum, ut itâ ſemper totâ vitâ ſuâ in humilitate coram Deo ambulent; *miſceamus abſynthio mel,* ait S. Bern. Pro communione; poſſumus convivium iſtud, quod filii prodigi pater parari juſſit,

ad testandum gaudiũ suum, ob illius reversionem, considerare tanquam figuram convivii eucharistici, quod est, quasi sigillum reconciliationis peccatoris; *epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hìc mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est.* Monstremus interim æquè per instructionem nostram, ac per ipsũ nostrum modũ agendi, seu com̃unicandi; cum quanta humilitate illi accedere debeant ad hanc divinam mensam, qui se illâ adeò indignos reddiderunt. O Domine! posśitne quis comparere ad hanc divinã mensam, ibique pascere se pane angelorum, qui se paulò antè spurcitiis porcorum defœdavit, quin confusione, dolore, admiratione, & gratitudine debitâ perfundatur, & denique desiderium ardentissimum conversionis sinceræ concipiat; dicatque? *jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

Erat JEsus ejiciens dæmonium; & illud erat mutum. Luc. 11. 14.

De spiritualibus mutis

1. Magnus est eorum numerus.
2. Quandonam contingat etiam clericos tales esse

PUN-

PUNCTUM I. DÆmon, qui mutum reddebat hominem, quem poſſederat, effectum nobis illum demonſtrat, quem in animabus cauſat, quique longè eſt communior, quàm ille, quē in corporibus cauſat. Nam, quemadmodū paucos reperire eſt, quibus per operationem dæmonis ſua lingva ligata ſit, ſic è contrario multi inveniuntur, qui lingvam cordis ipſius operâ & ſtudiò ligatam habent. Ut hoc intelligamus, aliô opus non eſt, quàm principalem illum uſum conſiderare, ad quem loquela noſtra deſtinata eſt. Nimirum uti debemus linguâ noſtrâ, ut Deum laudemus; ut oremus; ut peccata noſtra confiteamur; ut veritatem teneamus; & defendamus. Interim quoad hæc omnia major pars chriſtianorum, imò & clericorum, muti ſunt. Laudandus eſt Deus, & offerendum illi ſacrificium laudis, prout ipſe per prophetam ſuum præcipit, *ſacrificium laudis honorificabit me*. Pſ. 49. 23. Quis eſt, qui hoc, ùt oportet implere & exequi ſtudeat? ſæpiſſimè, nimium aliàs garruli & loquaces ſunt quoad hoc nimis, qùàm muti, quando agitur de laude Dei, prout S. Aug. l. 1. conf. c. 4. annotavit; *væ tacentibꝰ de te, quoniam loquaces muti ſunt*. Oportet confiteri peccata ſua? quot ſunt, quos diabolus mutos reddit, replē-

dô

dô animas illorum falsâ aliquâ erubescentiâ, quæ eos confiteri talia non finit, qualia non erubuerunt patrare? non solùm per hoc eos impedit, ne peccatorum remissionem acquirant, sed insuper eos in malis suis consvetudinibꝰ confortat, in malo indurat. *Quoniam tacui*, ait David, Ps. 31. *inveteraverunt ossa mea.* Denique dandũ est veritati testimoniũ, illáque defendenda? major hominum pars, hac in parte, silentium tenet peccaminosum; hinc est, quòd tot innocentes per calumniam opprimantur; quòd ii, qui negotia cum potentioribus tractanda habent, tam parùm auxilii & protectionis inmundo obtineant, adeò ut Sapiens dicat, eos nullum omninò habere consolatorem: *vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & neminem consolatorem.* Ecclesiastis 4. 1. Ferè omnes homines ligatam habent lingvam, per suas cupiditates, & per diabolum, qui eis dominatur. Nulla verba habent, quæ charitati, vel veritati dent, sed tantum proprio suo interesse, aut propriæ phantasiæ, & sic *justus perit, & non est, qui recogitet cordé.* Is. 57. 1. Quàm multi dantur spirituales muti; examina teipsum, an non ex illorũ numero sis; & ut hoc cognoscas;

PUNCTUM II. Considera, quomodo clerici in possessionem dæmonii muti deve-

veniant? Fit hoc 1mo., *quoad Deum*, preces ſuas omittunt, ipſum laudare, & pro acceptis beneficiis gratias ei agere negligunt; quando orationi non vacant, vel partem officii divini omittunt. 2. *Quoad ſeipſos*; quando omittunt ſapienti cuidam directori, ſeu patri ſpirituali fideliter detegere ſtatum conſcientiæ ſuæ; vel, dum erubeſcunt, vel negligunt, vel omninò contemnunt accedere ad ſacramentum pœnitentiæ. 3. *Quoad proximum*; quando veritatem omninò negant, vel immutant; quãdo non catechiſant, nec inſtruunt eos, quos curæ illorum commiſit Deus; quando non corrigunt tot peccatores, qui alios ſcandalizant, quì ex eorum correctione fortè proficerent, uti ſunt, qui jurant, blaſphemant; libertini, ebrioſi, obtrectatores &c. Quando ſe non opponunt malis conſvetudinib9, & abuſibus, in parochiam introductis, qui negligunt pacificare diffidentes, componere lites, quæ inter chriſtianas familias exoriuntur; qui in adminiſtratione ſacramentorum, præſertim baptiſmi, pœnitẽtiæ, & matrimonii nullam dant inſtructionem, ſeu doctrinam iis, qui ea ſuſcipiunt; unô verbô, omnes illi, qui in talibus occaſionibus tacent, ubi obligati eſſent ad loquendum, quod paucis iſtis verbis comprehendit propheta; *canes muti, non valentes*

tes

tes latrare; videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. Iſ. 56. 10. Heu! quàm multi ſunt in eccleſia muti; deplora hoc corã Deo; David nondum adhuc rex loquebatur regibꝰ cum & in omni ſimplicitate, & tali cum libertate, ac ſi cum particularibus, & privatis quibuſdam loquebatur; *& loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.* Pſ. 118. 46. Et nos adeò debiles, adeò timidi ſumus, ut quamvis videamus in oculis noſtris violari legem Dei, nil dicere audeamus; neque ad magnos, neque ad parvos, neque dominis, neque privatis quidquam interdicimus. Qualis ſocordia! vide, an non tu ipſe in tam peccaminoſum ſilentium incideris? ſi te in hoc reum & culpabilem animadvertis, procide ad pedes JEſu, qui *ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Roga illum, ut per contactum ſanctiſſimi corporis ſui, quod proximè ſumpturus es, lingvam tuam ſolvat, quo liberius deinceps loquaris toties, quoties id ipſius gloria & honor à te petit, ſi autem vis, ut in gratiã & favorem tui hoc miraculum miſericordiæ ſuæ operetur, longè ab ore tuo repelle omnem malum diſcurſum, ut verbũ Dei ibi locum inveniat. Monitum hoc eſt, quod apoſtolus tibi in hodierna epiſtola dat: *fornicatio autem, & omnis immunditia,*

nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magìs gratiarum actio. Ephes. 5. 3. & 4.

FERIA SECUNDA.

Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua, Luc. 4. 24.

De cavendo amore propinquorum.

1. Clerici suis propinquis renuntiare debent.
2. Quantum Præjudicium iis afferat, si eis nimis adhæreant.

PUNCTUM I. Utinam sententia ista, quam hìc pronuntiavit Christus in isto evangelio, valdè profundè cordi ac animo clericorum insculpta esset! sanè non ampliùs tam tenaciter & patriæ suæ, & consangvineis suis adhærerent. Quàm meritò commovere eos deberet exemplum Christi JEsu, si, ùt oportet, considerarent, quòd divinus iste salvator, qui tanta in Capharnaum operatus est miracula, & in aliis etiam civitatibus Judeæ, valdè pauca in Nazareth, patriâ suâ, fecerit, eo quòd similem ingressũ apud suos concives non invenerit, sed potiùs è contrario, plus de incredulitate, ùt S. Matthæus id annotavit: *non fecit ibi virtutes*

tutes multas propter incredulitatem eorum. Matth. 13. 58. Verùm eheu! major clericorum pars hoc parùm curat; inordinatus illorum amor, quo erga patriam & suos feruntur, omnem talem considerationem & reflexionem ab eis removet. Talis certè non fuit S. Paulus, dum à Deo intellexit, se ad prædicandum Christi Jesu evangelium in nationibus & gentibus vocatum esse; *continuò non acquievi*, ait, *carni & sangvini*, Galat. 1. 16. Aliqui ex ejus propinquis, cùm eum immobilem in suo proposito, ut christianus fieret, cernerent, consilium ei dederunt; ut S. Augustinus in expos. epist. ad Galat. notavit, ut in Jerusalem iret sub prætextu conferendi seu colloquendi cum apostolis, spe freti, fore eum à doctoribus legis, qui ibi residebant, ad hoc inducendum, ut christianam religionem minimè amplecteretur; verùm S. Paulus non ignorabat id, quod JEsus dicit, Luc. 14. 26. eum, qui ad se venit, & patrem, & matrem, fratres, & sorores, imò etiam propriam vitam, non odisset, non posse esse verum ipsius discipulum; judicabat igitur se tali consilio minimè cedere debere; agnoscebat nimirum, quamquam speciosum esset hoc ipsorum consilium, illud tamen carnali alicui in se affectui conjunctum esse; ergo

contra illorum opinionem ſecutus eſt vocem Dei, non ſolùm ut fieret chriſtianus, & evangelium Chriſti prædicaret, ſed privavit ſe inſuper per tres annos conſolatione iſtà, ut in Jeruſalem non rediret, ubi tales habebat, qui eum proxima cognatione ſecundùm carnem tangebant, ſed qui ei ſimul in principio ſuæ converſionis in laqueum, & in petram ſcandali eſſe poterant. Diſcamus exinde, quòd dum nos Deus ad miniſterium eccleſiaſticum vocat, non oporteat nos deſuper conſilium conſanguineorum noſtrorum exquirere, ne amor ille inordinatus, quem erga nos gerunt, obſtaculo nobis ſit ad id implendū, & exequendum, quod Deus à nobis requirit. Poſſumus hoc ipſum deſumere, & judicare ex reſponſo illo Chriſti JEſu duobus juvenibus dato, quos ad ſuam ſequelam invitaverat; ex quibus unus eum rogavit, ut liceret ſibi prius ſepelire patrē ſuū; cui reſpondit; ut relinqueret mortuis hanc curam ſepeliendi mortuos ſuos; alter dixit, quòd libenter eum ſequi vellet, modò ei permitteret priús domui ſuæ, ac ſuis valedicere; reſpondit ei; neminem, qui manum ad aratrum miſit, & retrò reſpicit, aptum eſſe regno Dei, Luc. 9. 60. Si ergo parentes noſtri, vel amici, talibus, vel fortioribus etiam prætextibus

bus uti contra nos vellent ad impediendū nos, ne id agamus, quòd Deus à nobis petit, vel ut obligationibus officii vel ministerii nostri non satisfaciamꝰ, tunc út ait S. Hieronymus epist. ad Heliodor. *aries iste pietatis, quo fides quatitur, evangelii retundendus est muro* Verùm, quomodò vel qua ratione hic nimius affectus erga patriam & suos clericis periculosus seu præjudiciosus est? id statim videbimus.

PUNCTUM II. Si vel parùm nos supra hoc reflectimus, videbimus affectū hunc, & nimiam adhæsionem erga suos, causam sæpissimè esse, cur clerici sint in contemptu. Non solet mundus ea æstimare, quæ jam novit; videmus, quòd Nazarethani debitum respectum, & reverentiam Christo JEsu non exhibuerint; dicebant enim: *nonne hic est fabri filius?* Matth. 13. 55. hinc etiam puniti fuêre,, & hæc ipsorū despicientia Christi Domini in causa fuit, cur favores & gratias suas aliis, ac extraneis reservarit. 2do, annon exinde abusus ille originem suam trahit, quo sibi sæculares, authoritatē quādā super bonis clericorū arrogant, dum vidēt eos tot bona corradere, adeò, ut vel ipsis quandoque necessariis se privent, modò suos ditare possint expensìs, ex sumptibus Ecclesiæ, & pauperum, & eis procurare vale-

ant talia officia, ſtatum, & conditiones, ut coram mundo honorabiles apparere poſſint; quòdque etiam in cauſa eſt, cur, pro eo, quòd quæ officii & obligationis ſuæ eſſet, implere ſtudeant, ad alia ſe non applicent, quàm ad temporalia negotia, rem domeſticam, cauſas forenſes, uno verbo, ad ea omnia, quæcunque ſuis utilia eſſe poſſunt; *quod ad alia officia confertur, hoc religionis cultui decerpitur,* ait S. Ambroſius l. de fuga ſæc. c. 2. Quia iſte, talis defectus & error eſt, qui non niſi valdè communis, & ordinarius eſt inter clericos, examina te, utrum non ipſemet etiam eidem ſubjectus ſis? non prohibetur tibi amare tuos, eiſque in neceſſitatibꝰ eorum ſuccurrere; ſed hoc tibi dicitur, ut amori huic amorem JEſu Chriſti & eccleſiæ ſuæ præferas, ſine quo non es dignus, ut ejus ſis diſcipulus. *Qui amat patrem ſuum, aut matrem pluſ quam me, non eſt me dignus.* Math. 10. Non interdicitur tibi, perſiſtere in patria tua, ſi ibi utilis eſſe poſſis pro ſalute animarum; verùm ſi Deus aliò te vocet, debes illi te ipſum abſolutè conſecrare, & ſine reſervatione ulla addicere te illius ſervitio, quem ipſemet pro parte, & hæreditate tua elegiſti; *qui cum propheta dicit, pars mea Dominus,* ait S. Hieronymus, epiſt. ad Nepot, *nihil extra*

Domi-

Dominum habere debet; quod si quidpiam habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Adhuc hodie igitur incipe, amorem hunc inordinatum erga tuos oppugnare, utpote scaturiginem multorum excessuum, quos hodiedum adhuc cernimus, prout concilium Tridentinum ait Sess. 25. c. 1. de reform. *quàm maximè potest, eos sancta Synodus admonet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquos, carnis affectum, unde multorum malorum in ecclesia seminarium extat, penitùs deponant.* Seriò expende hanc admonitionem, & vide, ut ad praxim eam reducas. Pro præparatione ad Missam vel communionem petere debes à Jesu Christo gratiam imitandi ipsum, in hac abrenuntiatione patriæ, ac consangvineorum cujus ipse tam præclarum nobis dedit exemplum. Proponere illum tibi debes, quemadmodum illum S. Bernardus cuidam clerico ante oculos posuit, qui se ab amore sæculi subtrahere volebat; *puer JEsus inter cognatos & notos quæritur, & tamen non invenitur,* ajebat ad illum S. hic Abbas: *fuge & fratres tuos & tu; si tuam vis invenire salutem* Epist. 107.

FE-

FERIA TERTIA.

Si peccaverit in te frater tuus; vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18. 15.

De correctione.

1. Obligatio illius. 2. Et utilitas.

PUNCTUM I. EST igitur necessariū facere correctionem, siquidem Christus ità vult, & charitas fraterna id à nobis exigit; si ex defectu nostro, & per negligentiam nostram Deus offendatur, & proximus noster pereat; de hoc rationem reddere debebimus aliquādò ei, qui curæ nostræ fratres nostros cōmisit; *mandavit unicuique de proximo suo.* Eccles. 17. 12. Quot effrœnes juvenes & servi periêre, qui ad genium & placitum suum vixerunt; quin ullus fuerit, qui ex charitate illos corripuisset? cogitate de hoc vos Patres, Matres Domini, & superiores, sed adhuc magìs vos ministri Domini' qui adhuc magìs obligati estis, quàm alii, ut pro salute animarum laboretis, & solliciti sitis. Obligatio hæc adeò est alligata ministerio vestro, ut non nisi id, quod estis, oblivisci debeatis, ait S. Hieronymus,

mus, comment. in Tit. si huic obligationi vestræ non satisfaciatis; *si sacerdos est, & non corripit delinquentes, sacerdotis officium præterit.* Non sufficit, si insuper pastor sis, ut præcisè cathedram ascendas, & in generali contra vitia concioneris; debes insuper in particulari quosdam reprehendere; ad singularia venire, considerare cujuslibet ex parochianis tuis infirmitates spirituales, & tanquam prudens ac sapiens medicus remedia adhibere, quin offensa ulla, quam apud eos ìncurrere posses, te ab hoc absterreat; *pasce fame morientem,* ajebat S. Ambrosius, loquendo de pauperibus, *si non pavisti, occidisti.* S. Gregorius vult pastorem, qui suæ in hoc obligationi deest, & non corrigit, ejusdem criminis reum esse. *Ità*! verba sunt S. hujus P. Hom. 12. in Ezech. *Si peccantibus fratrib9 subtraham9 correctionem, ubi subjectus ex sua culpa moritur, is, qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur.* S. Paulus adeò persuasus erat de hac veritate, ut, quidquid sanctum, quidquid terribile in nostra religione est, afferat ad persuadendum discipulo suo Timotheo hanc correctionem: *testificor,* ait 2. Tim, 4. *coram Deo & JEsu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus; prædica verbum, insta opportunè impor-*

tunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Toties legis verba iſta in Miſſa; fac igitur ſuper illis reflexionem aliquam; quomodo imples hoc præceptū? an non potiùs male adulatus es hucuſque peccatoribus, pro eo, ut eos corrigeres? quoties omiſiſti correctionem vel per negligentiam, vel ſocordiam, vel conniventiam? & fortaſſis etiam ideo, quia propria vita tua adeò inordinata & culpabilis eſt, ut non audeas reprehendere illud, quod ipſemet committis? roga Deum, ut te corrigat, ut in ſtatu eſſe poſſis, etiam alios corrigere, &c.

PUNCTUM II. Conſidera utilitatem correctionis hujus. Comprehenditur illa in iſtis evangelii verbis, quæ Chriſtus dixit: *ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* O quanta utilitas, lucrari animam Deo! quantus quæſtus, converſio alicujus peccatoris! quid te facere oportet, ut hoc conſequaris? timeo, ais, huic perſonæ diſplicere; &, ne, quod dicturus ſum, in malam partem accipiat; quid times? reſpondet tibi S. Auguſtinus, ſi ex deſiderio ſalutis talis peccatoris, & ex nullo motivo humano illum corrigis, omnia benè ſuccedent; ſi verè amas Dominum JEſum; ſi aliud non quæras, quàm illius converſionem, permiſſum tibi eſt, ut dicas, quid-

quid

quid necessarium & conveniens esse judicaveris ad hoc, ut eum à servitute peccati, ad quam devenit, eruas; *dilige, & dic, quod voles.* Multi, pergit hic S. P. in expos. ad Galat. sub finem. visi sunt, qui dum se super iis, quæ dicta ipsis fuêre, reflexerunt, se ipsos longè fortius ac severius reprehenderint, ac ab aliis fuerint reprehensi; & quamvis à facie medici, aliquantùm commoti, & turbati discesserint, nihilominus, quia vis & efficacia correctionis sensim in fundum animæ eorum penetravit, se ipsos à malo suo curatos experti sunt; *multi enim postea cogitantes, quæ audierunt, & quàm justè audierint, ipsi se gravius & severius arguerunt, & sanati sunt.* Ibid. in ps. 54. Verùm; hic peccator incorrigibilis est. Hoc tu non sis, ait alibi hic S. P. *Ipsorum tantùm est desperanda correctio contra quos habemus occultam luctam.* Si tibi dicat, sine me; importunus es mihi. Talis volo permanere, qualis sum; volo perire; huic respondere debes, eô ipsô, mi frater, ego idipsum nolle debeo; *sic vis errare? sic vis perire? quantò melius ego nolo.* idem in c. 34. Ezech. seu de pastor. c. 7. Siquidem minas mihi intentat Deus, si te facere permitto, quod vis, quòd ipse peribo. Hæ sunt admirabiles, & S. Augustino dignæ reflexiones; meditare il-

las,

las, & resolve te, ut eas in praxim deducas. Dispone te ad S. communionem per hoc, ut ante oculos tibi ponas amorosissima illa signa, quæ divinus pastor tuus, quem hodie sumes, aliis dedit; & quia dignatur ad te venire, ut te sanctificet, etiam tu noli recusare, ire ad peccatores, ut eos instruas, & corrigas, memor illius, quod nil gratius ei facere possis, quàm ad conversionem istorum laborare: *fratres mei, siquis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum: scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum* Jac. 5. 14. 20.

FERIA QUARTA.

Cæci sunt, & duces cæcorum. Matth. 15. 14.

De falsis directoribus.

1. Timendi sunt. 2. Et vitandi.

PUNCTUM I. OMnes clerici præsertim, qui se directioni spirituali animarum ingerunt, benè considerare debent imaginem hanc, quam Dominus noster de pharisæis ante oculos nobis ponit, convenitque omnibus fal-

sis

sis & perversis directoribus, seu ducibus spiritualibus, qui præsumunt alios ducere per talem viam, quæ ipsis incognita est. Scimus, pharisæos fuisse hypocritas, qui optimè de pietate discurrebant, quam tamen ipsi non coluerunt; qui scientiam legis jactabant, sed eam malè interpretati sunt; qui prætendebant illam docere populum, quod hæc sancta lex ordinabat, ipsi verò nunquam verum spiritum & intelligentiam horum præceptorum penetrârunt. Igitur coeci directores erant tantummodo valentes eos seducere, quos ducere volebant; Judæi autem, qui eos audiebant, bis cœci erant, quia cœcitati horum directorum suorum non diffidebant, & adeò infirmi ac debiles fuêre, ut eis excessivam quamdam charitatem in seipsos concesserint. Quod sunt clerici, in quos iidem defectus, & eadem vitia pharisæorum devenerunt? sed quàm jure timendi sunt tales? quod malorum in ecclesia similes clerici existunt causa, si præsumant alios in via salutis dirigere? *nullum puto, fratres charissimi,* ait S. Gregorius, *ab aliis majus præjudicium, quàm à sacerdotibus, tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.* Sed addamus etiã

hoc,

hoc, quòd inter perversos sacerdotes, nulli pejus faciant, quàm pastores hypocritæ, & falsi animarum doctores; isti sunt lupi rapaces, qui corrumpunt, perdunt & jugulant animas, & quidem tanto majori facilitate, quò sub pelle ovina, quâ teguntur, id est, sub exteriori specie pietatis, hoc impunè faciunt. Ah! quanta crimina abscondita sunt sub pallio directionis spiritualis, & pietatis, quando quis unâ & alterâ abutitur! una hæc est ex maximis plagis ecclesiæ, quam etiam uná cum sanctis deplorare debemus, *Considerate ergo, quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt,* ait S. Gregorius Hom, 17. in Lucam. *Hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi dominico non metuunt, contra quos Dei greges custodiri debuerant.* Et

PUNCTUM II. Considera, oportere nos habere magnam sollicitudinem, ut ab ejusmodi ductoribus nos liberemus. Facilè quis cavet sibi à peccatore noto, quilibet seipsum observat & custodit à tali, si quid mali dicat vel consulat, parum movet, quia aliud non expectabatur; sed difficulter quis cavebit sibi à perverso clerico, præcipuè à directore spirituali, cujus exteriora omnia composita sunt, & aliud non spirant, nisi pietatem. Sacerdos est, dicunt & quidem de semine Aaron, venit

ad

ad nos sine dubio, ut nos instruat; non ut decipiat; & fallat; *homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.* 1. Machab, 7. 14. Parati sunt eum cum reverentia audire; quidquid dicit, movet; quia præsumptionem habet pro se, insensibiliter virus perversæ talis doctrinæ intrò sumitur, quæ successivè & pedetentim totum, quod sanum est, corrumpit. Igitur benè attendere oportet, ad verba ista, quæ JEsus ad apostolos suos dixit de Pharisæis loquens: *sinite illos*; instructio hæc est nobis necessaria, quamque S. Paulus dedit discipulo suo Timotheo, dum eum præmonet de malis, quæ his ultimis temporibus instant. Erunt, ait, homines, qui sub ficta & falsa specie, seu imagine pietatis comparebunt: *& hos devita.* Fuge hujus generis personas, & ut melius adhuc agnosci possint, adjungit: *ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.* Isti sunt ministri sathanæ, & non JEsu Christi, qui pro eo, ut animas ejusmodi infelices à peccatis eorum liberent, & pro conversione eorum laborent, & conformiter regulis evangelii eos instruant, adulantur in excessibus eorum, ducùntque eos per longam & spatiosam viam perditionis. Debent clerici magna

soli-

ſollicitudine ejuſmodi cœcos ductores e-vitare: æquè ac ipſi laici & ſæculares; ſed hoc nondum ſatis eſt. Sicut omnes fieri poſſunt paſtores ſeu ductores animarum, ſic magìs inceſſanter applicare ſe debent ſtudio legis divinæ, ut ſciant ea, quæ à nobis requirit; conſulere regulas, ſeu doctrinas fundamentales evangelii, & vivere tali modo, qui & ipſe evangelio conformis ſit. Tunc erunt in ſtatu, ſeu capaces, ut alios, ſcientiam ſalutis, doceant, & ut ſapientes & prudentes directores aliorum evadant. Roga JEſum Chriſtum, ut hanc tibi gratiam concedat; abſcondit ille ſe in ſanctiſſima euchariſtia, ut durante hac peregrinatione vitæ tuæ dux tibi eſſe poſſit; ſtude illum omni poſſibili devotione ſumere; trade illi te ipſum, ut eum ſequaris per omnia; hoc enim erit medium, ut dicere poſſis cum apoſtolo; *docentes omnem hominem in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem, perfectum in Chriſto JEſu.* Coloſſ. 1. 28.

FERI-

FERIA QUINTA.

Facta autem die egressus ibat in desertum locum. Luc. 4, 42.

De sacra solitudine.

1: Clerici eam amare debent.
2. Rationes & motiva, cur hoc facere debent.

PUNCTUM I. QUi in vita spirituali proficere desiderat, ait author libri de imitatione, l. 1, c. 20. subtrahere se debet cum Christo de medio turbarum; oportet amare solitudinem, ut quis securè prodire possit; oportet tacere priùs, ut quis discretè & prudenter loqui sciat; disce prius, ut alios utiliter docere, & instruere valeas. Obedire oportet, ut sapienter aliis præcipere possis; *totum consistit in animæ recessu.* Quid? ipse noster divinus Pontifex adeò sanctus & *segregatus à peccatoribus*, Hebr. 7. 26. non intermittebat, quandoque segregare se à populo. qui eum sequebatur: imò etiam ab Apostolis suis, ut orationi vacaret in montibus, & in desertis locis; & nos, qui nõ nisi debiles ministri illius sumus, quomodo negligere audeamus medium adeò necessarium, ut & pro nostra. & aliorum salute utiliter laborare valeamus. Amemus igitur solitudinem, quam zelosissimi etiam sacerdotes adeò fideliter amplexi

ſunt ; interpolabant labores ſuos apoſtolicos per frequentes ſpirituales receſſus, & ibi inveniebant id, quod verbis ac concionibus ipſorum efficaciam dabat ; ſacra iſta ſolitudo centrum ipſorum, & quaſi elementnm erat ; in quodam ſtatu violento ſe eſſe reputabant, ſi coacti fuêre, illam deſerendi ; exhibebant ſe quidem promptos ad ſuccurrendum neceſſitatibus eornm, verúm cor eorum ſemper verſabatur in ſolitudine, quam tanquam verum paradyſum, & beatitudinem anticipatam interpretabantur. *O ſolitudo, paradyſus ſuſcipiens in cœlum! ô eremus familiarius DEO gaudens, quid agis frater in ſæculo, qui major es mundo?* S. Hieron. ad Heliod. de laud. vitæ ſolitar. Non ſine ſpirituali ſtupore legere quìs poteſt in S. Bernardo planctus illius tenerrimos, quos emittit, eo quòd ſe à chariſſima ſua ſolitudine extractum viderit, Grandis iſte, & verè magnus ſanctus capaciſſimus ſane erat ad ſanctificandum totum mundum, quin ullum periculum foret, ne ab illo ipſe inficeretur, quique omne illud commercium ignorabat, quàm quod JEſum Chriſtum concernebat, & Eccleſiæ ejus utilitatem. Teſtatur nihilominus, ſe toties quaſi à DEO elongatum reputaſſe, quóties à monaſterio aberat. Scimus, quali quantóque zelo admonue-

monuerit Eugenium Papam, discipulum quondam suum, ne se tantopere occupationibus exterioribus applicaret, ut sui ipsius oblivisceretur; dedicavit in hunc finem illi illos quinque admirabiles libros de consideratione, in quorum primo, eum ità c. 5. & 7, alloquitur: *omnes, de fonte publico, vivunt, pectore tuo, & tu seorsim sitiens stabis &c. memento proinde reddere teipsum tibi &c. Non totum te, nec semper dare actioni sed considerationi aliquid tui, & cordis & temporis sequestrare.* Verum, ut magis adhuc solitudinem diligas, & melius utilitatem illius capere valeas.

PUNCTUM II. Considera rationes, quæ tibi eam persuadeant. Duæ sunt principales; prima desumitur ex sanctitate statûs tui, quæ à te petit, ut quia ad cultum divinum consecratus es, & ut in domo Domini, vasa Domini, portes, quàm maximè elongeris à commercio mundi, & corruptione illa, quæ ibi regnat, *recedite, recedite, exite inde; pollutum nolite tangere; exite de medio ejus; mundamini, qui fertis vasa Domini.* Is. 52. Quale scandalum, videre Clericum, de quo aliud non exspectatur, nisi sapientia, modestia, gravitas, & recollectio, qui in continua dissipatione & distractionibus vivat, quòd ille, quem nonnisi in Ecclesia quærere, & videre o-

porteret, & in charitatis operibus versari, in foro publico, in viis & compitis versetur! &, meliorem partem temporis sui, vanis filiorum hominum crepundiis insumat! venationibus, lusui, ac convivis intersit; quale scandalum, videre ministrum Christi JEsu, cujus lingua Evangelio consecrata est, effundere se in jocos, discursus inutiles, plenos vanitatis & stultitiæ! primum esse, qui sacratissimos S. scripturæ sensus in sensum ridiculum vertat, & objectum vani risûs faciat? unde venit scandalum istud, nisi ex vita aliqua mundana & dissoluta, qualem plurimi Clericorum ducunt? *diversi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum.* Thren. 4. Unicum medium pro hoc malo sacra solitudo & secessus est. 2da ratio, ad amplectendam solitudinem trahitur è functionibus sacri nostri ministerii, quæ sunt, orare, studere, prædicare, administrare SS. Sacramenta, exercere opera charitatis; facilè autem quilibet videre potest, omnia hæc secessum, & solitudinem requirere. Non potest quis orare, nec studere, quin se à rumore & tumultu hujus mundi abstrahat; reliqua exercitia, ùtùt exteriora, non minorem recollectionem exigunt; & quia in iis ordinariè plures errores & defectus admittuntur, à quibus vel religiosissimæ

animæ

animæ non sunt exemptæ, ùt S. Leo ser. 4. in quadrag. annotavit: *necesse est de mundano pulvere. etiam religiosa corda sordescere.* Hinc sequitur, quòd subinde sacrum quemdam secessum facere debeamus, ut nobis ipsis redditi, proprios defectus & errores cognoscere, eos deplorare, nos ab iis purificare per pænitentiam, & à DEO novas gratias obtinere valeamus, quò majori deinceps utilitate pro aliis laborare, & minus periculi pro nostra salute habere valeamus. Propone vitam ducere adeò separatam, quantùm tibi status & officium tuum permittunt; & quamvis obligatus sis habitare in medio peccatorum, ut eos vel sanctifices, vel convertas per instructiones, & bona exempla tua, non intermitas tamen, aliquot diebus in anno talem spiritualem secessum in te suscipere. Idem fecit JEsus tempore ministerii, & missionis suæ, & adhuc hodiedum tibi exemplum aliquod præbet in sanctissimo ac divino Sacramento, ad quod hodie accessurus es. O utinam hæc ipsius vita solitaria, & occulta, quam in sanctissima Eucharistia continuat, doceat nos vitam quãdam solitariam, & recollectionis spiritualis plenam ducere, ut sic in animas nostras copiosam illius benedictionem, & gratias

 traha-

trahamus: *ducam eum in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Oseæ 2. 14.

FERIA SEXTA.

Mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Joan. 4. 27.

De cautela Clericorum circa alterū sexum,

1. Nonnisi rarò cum illis conversari debent, & valdè circumspectè.
2. Cur ita?

PUNCTUM I. Benedicta sit infinita Redemptoris nostri charitas, qui per se ipsum laborem hunc subire voluit, ut pauperem hanc mulíerem in gravissimis fidei & religionis nostræ mysteriis instrueret, O quam exemplum hoc docet, & admonet Clèricos, ut omnem cathechizandi rudes & ignorantes occasionem arripiant, verùm, quia de hoc alibi locuti sumus, considero hic Apostolorum admirationem, dum divinum magistrum suum, sic loquentem cum muliere, viderunt; quod satis clarè indicat, eum parùm conversatum fuisse cum altero sexu; & quòd nos adhuc rariùs id facere debeamus, qui tam longè ab illius innocentia & sanctitate absumus. Verum est Clericos quandoque obligari, ut cum fæminis conversen-

verſentur, ſed fieri hoc debet, ait Apoſtolus, 1. Tim. 2. *in omni caſtitate!* cum caſtitate cordis, corporis, oculorum, aurium, verborum; cum cautela ſumma, temporis, locorum, & perſonarum. Prudentiæ eſt ſcire, tractare cum ſexu altero, eúmque juvare, qui infirmus eſt; verùm periculoſiſſimum eſt, niſi ſuper cuſtodiam noſtram ipſi ſimus, & nobis ipſis minimè fidamus. Vel minima familiaritas cum quacunque fœmina, quæcunque illa ſit, ſuſpecta nobis eſſe debet; imó pactum quoddam inire debemus cum oculis noſtris, ut nullam aſpiciamus; & cum lingua noſtra, ut nulli ſine juſta neceſſitate loquamur. Sed neque hoc nobis ipſis imaginari debemus, quaſi ſub ſpecioſo prætextu charitatis, & directionis ſpiritualis, frequenter liceat nobis communicare cum (ſic dictis) filiabus devotionis ſeu ſpiritualibus. Non eſt hic ex minoribus vel levioribus quibusdã laqueis diaboli, unus, ut ita cadere faciat Clericos illos, qui devotionem aut pietatem quamdam habent. Hæ ſpirituales colligationes ſeu vincula degenerant quandoque in grave ſcandalum Eccleſiæ, in amicitias & amores humanos, & omninò carnales. *Quodſi ergo*, concluſio eſt magni cujusdam ſancti, *cum ipſis congrediaris, neceſſitas aliqua te obſtringat; oculos humi*

dejectos habe; atque ipsos quoque, quonam modo spectandum sit, doce; cumque pauca, quæ ipsarum animas adstringere, atque illustrare queant, locutus fueris, statim avola; ne fortè diuturna consuetudo vires tuas emolliat. Isidor. Pelun. l. 2. epist. 284. Pallud episc. Si autem scire cupis rationes, quæ te ad talem tantámque circumspectionem obligant;

PUNCTUM II. Prima trahitur ex cura & solicitudine, quam habere debes, de tua propria reputatione. Si frequenter cum mulieribus agis, statim actiones tuæ censurabuntur, & fabula fies populo, & materia plurium discursuum inter sæculares. Valdè igitur circumspectus esse debes in hoc puncto, ut ministerio tuo non noceas, quod omnì modo honorare, & venerari debes. *Solus cum sola secretò & absque arbitro vel teste non sedeas*, ait S. Hieronymus; epist. 2. ad Nepot. de vita Cleric. *caveas omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita.* Tam exactus erat S. Augustinus quoad hoc, ut Possidius vitæ illius scriptor asserat, quòd nullam unquam inviserit fæminam, quin unum è Clericis suis secum habuerit; nulli permisit in domo sua manere, ne quidem propriæ sorori, quamvis viduæ, & virtutis omninò probatæ; nec cum sorore habitare

bitare consensit; dicens: *quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt*; annotatio est S. Gregorii M. post Possidium l. 7. epist. 39. 2da ratio desumitur ex periculo, quod quis incurrit, si apud fæminas moretur, & familiariter cum iis agat; tale enim est, quo non nisi ordinariè valdè, virtus castitatis, quæ tam pretiosa esse debet Clericis, vulnus quoddam patitur. Sed, ait, est neptis mea, consanguinea, vel affinis; persona multæ & magnæ virtutis? dic, quod vis, non potes illam apud te habere, nisi ætatem illam habeat è canonibus, vel saltem á statutis tuæ Dioecesis præscriptam. Dices iterum; mulieres magis aptæ sunt ad œconomiam, quàm vir & juniores adhuc magis, quàm vetulæ. Turpis prætextus! qui sanè refutationem non meretur. Audi, quid dicat S. Hieronymus; *periculosè tibi ministrat cujus vultum frequenter attendis*. Hier. & alibi Epist. de vit. susp. cont. *quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere*. 3tia ratio, quæ te tandem omninò convincat, est obedientia, quam debes Ecclesiæ, quæ tibi per Apostolum 1. Tim. 5. 22. dicit; *te ipsum castum custodi*. Qui propterea vult, ut societatem fæminarum evites præsertim juniorum. *Adolescentiores autem viduas de-*

 vita.

vita. Quantùm ad cohabitationem in eadem domo, concilium Nicænum censuit dispensari non posse, nisi quoad matrem, sororem, amitam, vel materteram. Ex his desume resolutiones tuas. *Nec in præterita castitate confidas; nec sanctior David; nec Salomone potes esse sapientior,* ait S. Hieronymus; canon. 3. epist. ad Nepot. perpetuò invigila, ne vel in uno momento perdas talem thesaurum, quem fortè multo labore non ampliùs recuperabis. Pro præparatione ad Missam vel communionē pete à JEsu Christo, ut thesaurum istum tibi conservet; roga, ut caro ipsius adoranda, quam sumpturus es; tibi talem puritātem & sanctitatem commūnicet, quæ ministrum S. altaris deceat; hoc ipsum est, ad quod invitat Ecclesia per hanc orationem, quam pro præparatione ad Missam tibi præscribit: *ure igne S. Spiritûs renes nostros, & cor nostrum Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.* Præpar. ad Missam.

DIE

DIE SABBATHI,

Nec ego te condemnabo ; jam amplius noli peccare. Joan. 8. 11.

De modo agendi Clericorum cum peccatoribus.

Debent cum iis mansuetè agere ad exemplum Christi JEsu.

2. Mansuetudo ista non est incompatibilis cum correctione.

PUNCTUM I. MIrare hic, quāta cum mansuetudine tractet JEsus peccatores, & ut à nobis ipsis non discedamus, recordemur solummodo, qualiter nos ipsos olim tractaverit? ô quam meritò exclamare debemus cum Propheta regio: *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ. Domine, quam abscondisti timentibus te ;* Ps. 30. verùm quia nos sumus ministri illius, & ad eum peccatores trahere debemus, imitari nos oportet hanc illius mansuetudinem in exercitio functionum nostrarum. Virtus ista adeò emicuit in Salvatore nostro, ut Apostolus volens aliquid à Corinthiis obtinere putarit, nil efficacius se posse prætendere, quàm ut eos sic adjuraret; *obsecro vos per mansuetudinem & per modestiam Christi.* 2. Cor. 10, 1. Colligi enim potest, quàm chara fuerit divino magistro

giſtro noſtro virtus iſta, & quàm chara etiam eſſe debeat Chriſtianis, maximè autem Clericis, ſine cujus auxilio ſeu ſubſidio charitas nullatenus conſervari poteſt; eo quòd ſecundùm S. Auguſtinum in expoſ. ad Galatas, non minùs quam humilitas, cuſtos illius ſit. *Mitem autem eſſe, & humilem, charitatis conſervatio eſt.* Tam neceſſaria eſt paſtori animarum, ait S. Gregorius Papa, ut, quamvis caſtigatio aliqua adhibenda ſit, nihilominus ſemper conſervare debeat ſigna charitatis; & modus illius agendi tam prudens, & temperatus eſſe, ut ſimul conjungat ſeveritatem patris, & dulcedinem ac teneritudinem matris S. Bernardus hujus opinionis erat, virtutem hanc non minùs neceſſariam eſſe, ut aliquid boni præſtetur, inter homines, quàm fidem, ut quis Deo placeat; *neque enim hominibus, ſine lenitate, plusquam Deo, ſine fide placere, poſſibile.* Serm. 5. in vigil. Nativ. Dom. Utinam benè perſuaſi omnes eſſemus de hac veritate! pluribus opus non foret ad moderandum zelũ animarum, quem ſæpius contra peccatores concipimus, ſed quia quis ſibi imaginari poſſet, manſuetudinem ac lenitatem iſtam incompatibilem fore cum correctione.

PUNCTUM II. Scito, lenitatem iſtam de,

de qua hic loquimur, non esse mollem quamdam condescendentiam seu indulgentiam, quæ vitia toleret, quin puniat, aut remedia convenientia afferat; absit à nobis quàm longissimè talis mansuetudo, quæ verìssima quædam crudelitas foret. Contrarium nobis ostendit JEsus Christns, quãdo ad hanc mũlierem adulteram dixit; *vade, & noli amplius peccare.* Vult, ut peccatores reprehendamus cum charitate; non verò, ut insultemus superbi, prout Pharìsæi faciebant; vult, ut eis malum, quod fecerunt, remonstremus; non verô minas intentemus, & acriter eos reprehendamus, memores illius sententiæ S. Augustini: *nullum est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere alter homo; si desit rector, à quo factus est homo.* l. 50. hom. 23. Hinc in loco alio advertit idem S. P. ejusmodì vitia inveterata faciliùs tolli mansuetudine & exhortatione, quàm minis & severitate; *ista tolluntur magìs docendo, quàm jubendo; monendo magìs, quàm minando.* Idem Epist. 64. Ministri Domini! provisionem igitur aliquam de virtute hac vobis facite; opus enim illâ habetis, in omnibus occasionibus & respectu omnis generis hominum. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines*, ait S. Paulus Tit. 3. haurire in abundantia illam

de

de ſinu JEſu Chriſti, quem hodie ſumpturi eſtis; haurire inſuper illam de ſinu ipſius Patris cæleſtis; & æterni, unde ipſe Chriſtus originariè ſuam habet. Diſcite à manſuetudine illa, quâ quotidie erga vos utitur & erga maximos quosvis peccatores, qualis veſtra eſſe debeat erga veſtros. Nolite timere, ne talis lenitas vel in minimo ſanctæ ſeveritati noceat, quam quandoque adhibere debetis verſus peccatores. Non ſunt invicem incompatibiles, hæ duæ virtutes, ſiquidem ſcriptura nobis indicat, eas perfectiſſimè inter ſe unitas, in DEO eſſe, utpote *qui attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia, ſuaviter.* Sap. 8. 2. Roga JEſum Chriſtum, qui te iis extremè indigere ſcit, ut pariter illas in corde tuo conjungat, dum ad te per S. Communionem venit; *dulcis & rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via; diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas.* Pſ. 24.

DOMI-

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

JEſus ergo, cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum,, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Joan: 6. 15.

QUID NOS DOCEAT CHRISTUS FUGIENS REGNUM?

1. Docet Clericos, ut dignitates fugiant.
2. Rationes, cur ita facere debeant.

PUNCTUM I. UNde hoc, quærit S. Gregorius M. in ſuo paſtorali, quòd JEſus videns Judæos venturos, ut eum raperent, ſibique in Regem conſtituerent, hanc dignitatem declinarit, & aufugerit? *quis enim principari hominibus tam ſine culpa potuiſſet, quàm is, qui hos nimirum regeret, quos ipſe creaverat?* verùm, quia homo factus eſt, reſpondit hic S. Pontifex, non ſolùm. ut nos per paſſionem ſuam redimeret, ſed per omnes totius vitæ actiones inſtrueret, noluit eſſe Rex; benè autem crucifigi voluit. *Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetit, ut membra ejus diſcerent favores mundi fugere; terrores minimè timere*

timere; pro veritate adversa diligere; prospera formidando declinare. ibid. En instructionem, quam nobis divinus Magister hodie dat; videamus modò absque adulatione & exsepalpo, quomodo illam sequamur & exsequamur? qualem sensum & opinionem de dignitatibus & honoribus habemus? estne in nobis mortua & extincta gloriæ cupiditas? ubi est Christi modestia, quando de hoc agitur, ut elevemur ad sacerdotium illius? ubi est horror & tremor noster de ista summa dignitate? ô utinam omnes, qui proximo die Sabbathi ad SS. Ordines suscipiendos se sistent, benè sibi ante oculos ponerent hoc exemplum Salvatoris, sine dubio tam numerosa non foret ordinatio. *Multi enim non tanta alacritate currerent ad honores,* ait S. Bernardus de offic. Episc. c. 7. *si sentirent esse & onera.* Verùm, ut hunc affectum, & appetitum magìs reprimamus.

PUNCTUM II. Considera illas, quæ nobis quemdam horrorem ingenerare deberent quoad dignitates ecclesiasticas, imò vel quoad ipsum sacerdotium. 1ma est, periculum illud, & tentationes iis annexæ. *Terribilis est locus iste*, dicebat S. Bernardus, Epist. 238. ad Eugenium Papam scribens, qui antea Monachus erat Claravallensis; & idipsum dicere oportet

cum

cum proportione etiam de inferioribus dignitatibus. Particularis ſeu privatus non niſi de ſe ipſo rationem reddet, nonniſi ad propriam ſanctificationem, ſeu perfectionem laborare debet; ſed qui directionem & regimen aliorum in ſe ſuſcepit, & ad illorum ſanctitatem & profectum nil confert, pro ſingulis rationem reddendam habebit; quæ cauſa fuit S. Gregorio M. n. 1um Reg. ita ſentiendi; *plerique vivunt ſubditi, qui moriuntur Prælati; nam bonis ſubditis benè vivere ad ſalutem ſufficit; Prælatis verò propria vita non ſufficit.* 2da qualitates illæ excellentes & eminentes, quas requirunt ecclesiaſticæ dignitates, fugam illorum nobis perſuadere debent. Conſideratio iſthæc tremorem incuſſit Chryſoſtomis, Ambroſiis, Auguſtinis; etiamnum intimè quis commovetur, ſi quis amaros illos gemitus legat, quos ultimus iſtorum ad Epiſcopum ſuum Valerium perſcripſit, à quo fuerat in Coadjutorem Epiſcopatûs Hipponenſis aſſumptus; *visne ergo, ut peream, Pater Valeri? ubi eſt charitas tua?* Auguſtin. Epiſt. 50. Quidnam reſpondere potes ad talia exempla? tu, qui nec adeò illuminatus es; nec tot tantáque talenta poſſides, ac iſti ſancti Doctores. 3. Denique conjice oculos tuos in indignitatem tuam. Quid? exclamat

hic S. Hieronymus Epist. 83. ad Ocean. *Ignorat momentaneus sacerdos humilitatem, mansuetudinem rusticorum; ignorat blanditias christianas; nescit seipsum contemnere; de dignitate transfertur ad dignitatem; non jejunavit; non flevit; non mores suos sæpè reprehendit, & assidua meditatione correxit:* Et nihilominus hujusmodi homines sunt ipsissimi, qui ordinariè quàm maximè ecclesiasticas ambiunt dignitates; noli imitari hos temerarios; conjice potius oculos tuos in exempla sanctorum, & specialiter illius, quod tibi hodie dat Sanctus sanctorum, quem proximè sumpturus es in S. Communione; roga JEsum, ut cordi tuo illum sensum infundere dignetur; quem te habere oportet de sacerdotio, & dignitate illi annexa; breve compendium tibi suppeditat S, Gregorius in verbis proximè sequentibus, quæ quotidie ante oculos mentis tuæ versari deberent; *virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus nec coactus accedat.* Pastor P. 1. c. 9.

FERIA

FERIA SECUNDA.

Scriptum eſt : zelus domûs tuæ comedit me. Joan. 2. 27.

DE ZELO CLERICORUM PRO TEMPLO,

1. Curam gerere debent, ut ibi debitus DEO honor exhibeatur:
2. Ut Eccleſiæ eorum pulchræ & benè ornatæ ſint.

PUNCTUM I. DIſcipuli JEſu videntes, magiſtrum ſuum divinum, profanatores templi ex eodem ejeciſſe, recordati ſunt, quòd de ipſo ſcriptum eſſet : *zelus domûs tuæ comedit me.* Utinam & nos ejusdem memores eſſemus, ſine dubio ſtuderemus zelum Chriſti imitari, & impedire tot irreverentias, immodeſtias, & alia indigna, quæ quotidie in Eccleſiis committi videmus. Recordemur itaque, Eccleſias noſtras domos eſſe DEI, & domos orationis ac precum; ſed ſimul etiam memores ſimus, nos eſſe officiales & miniſtros magni hujus Domini, quem populus chriſtianus ibi adorat, & conſequenter procurare nos debere, ut debitus ei honor, reſpectus, & reverentia referatur, & exhibeatur; inſinuari, & abſque hæſitatione dici debet; *pavete ad ſanctuarium meum, ego Dominus.* Levit. 26. 2. Sed ipſi etiam exemplum

modeſtiæ noſtræ, ſilentii, & recollectionis cujusdam, illis monſtremus. Non alio ſpiritu in Eccleſiam intrando, quàm prout Propheta regius; *introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo*, Pſ. 5. 8. Quomodo enim laicos corrigere vel reprehendere audeamus ob irreverentias illorum, ſi easdem & nos ipſi admittimus; *ſacerdos enim DEI omnipotentis; Angelus eſt; Angelus autem riſum neſcit; DEO cum metu & pavore miniſtrans*, ait S. Iſidorus Peluſiota Epiſt. 319. Explicemus item populo ſanctitatem horum ſacrorum locorum; monſtremus ipſis fontem baptiſmalem, in quo baptizati ſunt; ſacra tribunalia, in quibus à peccatis abſoluti; Cathedras veritatis, ubi in veritatibus evangelicis inſtructi; ſacram menſam, ubi ſacro pabulo refecti ſunt; ubi victima ſalutis noſtræ immolatur; & denique Sanctum ſanctorum, qui die ac nocte nobiſcum eſt in ſanctiſſimo Sacramento, ubi eum reverentur, & continuò adorant angelici ſpiritus. Utere hiſce motivis, ut DEO eum honorem, qui ipſi in Eccleſia debetur, concilies; verùm quia corpore & ſpiritu conſtamus, & exteriora etiam plurimùm ad talem reverentiam conducere poſſunt.

PUNCTUM II. Magnum zelum oſtē-

de

de in expolienda & ornanda Ecclesia DEI. Concilium Tridentinum habitum año 1590 ait, majestatem locorum sacrorum non solùm apparere ex consecratione, sed insuper etiam ex munditie & decore illorū; quia, si tantàm curam & solicitudinem adhibemus, ut nostras proprias domos, mundas & ornatas conservemus, quàm turpe erit illam negligere ubi convenimus, & congregamur ad adorandum, & orandum DEUM? præcipit deinde Episcopis, ut sub rigorosis pœnis obligent subalternos pastores, ut Ecclesiam, altaria, tabulatum, pavimentum, imò & muros, & omnia similia, munda & splendida conservent. Et verò, cui non meritò bilem moveat illa stupenda negligentia, quam in pluribus locis, & apud plures parochos præsertim ruri videre est, quoad omnia illa, quæ sacrificium Missæ & cultum divinum concernunt? an quis sine nausea videre possit calices rubiginosos & sordidos; corporalia, purificatoria, & alia linea tam fæda, ut vix absque nausea ea quis tangere audeat; eoquòd longo tempore non amplius lavata sint? ornamenta talia, quæ omninò trita, vel rupta sunt, & veteribus cētonibus similiora, quàm ut servire debeant pro ornamentis sacerdotis? missalia adeò rupta, ut quis potius, bo-

næ memoriæ ſuæ, fidere debeat, quàm ut ex eis preces & orationes neceſſarias recitare poſſit, ſacriſtias pulvere & ſordibus, aranearum telis, & aliis ſpurcitiis plenas, dum interim eorum lecti; cubicula: & cameræ, vix non inſtar templi Salomonici niteant; *numquid tempus eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?* Aggæi 1. 4. An non planè terribilis & lacrymis digna negligentia hæc eſt, quæ libertinos noſtri ſæculi facit ridere, & illudere myſteriis noſtris, ac illud contemnere, quod in religione noſtra ſanctiſſimum, & omni poſſibili veneratione dignum eſt? an quis ſibi perſuadeat Eccleſias ita defœdatas, ac in tam miſerabili ſtatu poſitas cernens, quòd ſint ſanctuaria DEI, ubi pretium redemptionis noſtræ diſpenſatur? an non hoc de novo JEſum Chriſtum etiam poſt glorioſam Reſurrectionem ſuam in ſtabulum quoddam detrudit? annon per hoc ipſi clarè monſtramus, parùm nos curare; imò contemnere honorem ipſius? nam ſi Dominus eſt, ubi eſt reverentia noſtra, quam illi debemus? *ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus.* Malach. 1, 6. Ingemiſcamus ſuper hujusmodi irreverentiis! vide, utrum non ipſe etiam talium reus ſis? ut te quamprimùm emendes, ut dum Salvator tuus

ad

àd te venit per S. Communionem, tibi non exprobret; te pro eo, quòd ille Patrem suum stupenda humiliatione, & quasi annihilatione sua in hoc sanctissimo Sacramento honorat, illum inhonorare ob modicam illam vel penè nullam reverentiam, quam illi in Ecclesia sua exhibes; *ego honorifico Patrem meum, vos autem inhonorastis me.* Joan. 8. Roga illum, ut tibi donare dignetur amorem & zelum omninò novum pro sanctitate & decore domûs suæ. *Domine dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Ps. 15.

FERIA TERTIA.

Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Joan. 7, 16.

DOCTRINA, QUAM CLERICI PRÆDICARE DEBEANT.

1. Prædicare debent doctrinam Christi, & non hominum.

2. Quàm culpabiles sint illi, qui hoc non faciunt.

PUNCTUM I. VErba ista, quæ locutus est Christus ad Judæos, quod doctrina sua non sit sua, sed ejus, à quo missus erat, merentur sanè, ut materia cujusdam meditationis sint, siquidem Salvator noster per hoc no-

bis detegit non solùm, quomodo ipse circa hoc dispositus & comparatus fuerit, sed insuper quales omnes ministri sui esse debeant. Christus JEsus, ùt homo nihil fecit, cujus ipsum verbum divinum, humanitati ejus unitum, non fuisset principium & causa; omnes veritates, quas per suam humanitatem annuntiavit hominibus, à verbo accepit, & quemadmodum ipsū verbum divinum naturam suam à Patre suo habet, ita etiam omnem scientiam suam ab eo haurit, & ejusdem cum eo est voluntatis. Verissimum igitur est dicere, Christum JEsum nil docuisse ex se ipso, & quòd nunquam fecerit suam voluntatem, sed voluntatem Patris sui. En! habes hic magnum illud exemplar Clericorum, & qualiter dispositi ac comparati esse debeant, qui ad ministerium prædicationis à DEO vocati sunt; oportet, ut ad exemplum magistri sui dicere possint: *mea doctrina non est mea.* Joan. 7. 16. Non debent proprios conceptus à se inventos prædicare, sed quæ DEus loquitur: *audies de ore meo verbum*, ait DEus ad Ezechielem Prophetam, Ezech. 3. 17. dum eum misit ad prædicandum populo suo; & *annuntiabis eis ex me.* Prædicator juxta id, quod S. Paulus ait, legatus JEsu Christi est; *legatione pro Christo fungimur, tanquam*

quam DEO exhortante per nos. 1. Cor. 5. 20. Legatus ex proprio nil loquitur, sed instructioni suæ, quàm à principe accepit, se accommodat; si ergo electus, & destinatus à DEO es ad annuntiandum Evangelium suum, memor esto illius, quod Apostolus alibi ait, missum te esse ad prædicandum Evangelium, non verò inventiones tuas, vel aliorum hominum. *Segregatus in Evangelium DEI.* Rom. 1. 1. Vult dicere, quod nullatenus adhærere debeas tuis privatis, ac propriis opinionibus, neque subtilibus Philosophorum ratiocinationibus, vel aliorum authorum profanorum, sed Evangelio Christi; non prout mundus, & corruptio humani cordis sibi illud format, aut maginatur, sed ita prout prædicatum fuit à Sanctis; nullam in eo veritatem contentam celando, nec quidquam tacendo, quod ad salutem animarum facere possit; item sine acceptione personarum illud prædicando; *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. 15. Hinc omnia, ut sic dicam, mutuare debes à Christo JEsu, zelum, pietatem, & ejus doctrinam. Facísne ita? examen super hoc tecum institue. Et

PUNCTUM II. Considera, quàm graviter errent, qui circa hoc culpari possint, quòd non ita faciãt? imo inobedientes sunt

Ecclesiœ, quœ prædicatores in Concilio Tridentino sess. 24. de ref. c. 4. instruens ordinat, ut legem divinam explicent, & fundamentum doctrinæ suæ è S. scriptura hauriant; *sacram scripturam, divinamque legem annuntient.* 2dà. convertunt id, quod in ministerio ipsorum Sanctissimum est, in commercium aliquod superbiæ; siquidem, ùt Christus in Evangelio ait; *qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quœrit*, Joan. 7. 18. Se ipsum autem honorare, & ostentare spiritum, ac propria talenta sua, non est agere, ùt ministrū Christi, sed potiùs sequi instinctum diaboli, qui principium & caput est omnium superborum. 3tiò exponunt se periculo incurrendi maledictionem illam, quam DEus apud Ezechielem falsis Prophetis minatur; *vœ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.* Ezech. 13. 3. Væ prædicatoribus, qui carent vera scientiâ legis; & nihil dicunt, quod ad conversionem populi mei facere posset; *vident vana; & divinant mendacium, dicentes, ait Dominus: cùm Dominus non miserit eos.* ibid. 6. Sequitur: *& violabunt me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quœ non moriuntur, & vivificarent animas, quœ vivunt, mentientes populo meo; credenti mendaciis* Ibid. 19. 4tò. Si quis decisiones

atque instructiones suas non fundat in S. scriptura, & traditione Ecclesiœ; quale præjudicium scientiæ christianæ quoad mores non affert? quid aliud ex hoc sequi potest, quàm talis doctrina, quæ sit morum corruptio, & origo omnium excessuum; *hœc est omnium malorum causa*, ait S. Joan. Chrysostomus, in epist. ad Hebr. *nescire scripturas: absque armis imus ad bellum, & quomodo oportet nos esse salvos?* Resolve te igitur adhuc hodie, quòd fidelius ac tenacius deinceps adhærere velis doctrinæ S. scripturæ & SS. PP. recipere doctrinam Ecclesiæ, eàmque coram DEO meditari; ut nil populo dicas, seu proponas, quod non per orationem à DEO obtinueris; *ut hoc dicat sacerdos, quod ex divina lectione didiserit; & quod DEus illi inspiraverit; non quod præsumptione humani sensûs invenerit*, ait quidam ex SS. PP. (S. Prosper seu author de vita contempl. c. 20.) Pro præparatione ad Missam roga DEum, qui te hodie sanctissimo corpore reficit, & pascit; ut tibi etiam hanc gratiam largiatur, qua possis te etiam nutrire iis, quæ in sacris libris continentur, sine quorum scientia & praxi quilibet Clericus aliter prædicare non potest, nisi ad propriam suam condemnationem. *Qui aliter docet, & non acquiescit sanis sermoni-*

bus

bus D. N. J. C. & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ; ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum. ex quibus oriuntur invidiæ; contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum; & qui veritate privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. 1. Tim. 6. 3.

FERIA QUARTA.

Aperuit meos oculos. Joan. 9. 30.

De cæcitate spirituali.

1. Quomodo incurratur.
2. Quinam ſint illius effectus?

PUNCTUM I. DUo genera cœcorum invenimus in hodierno Evangelio; unum cœcum corporalem; alios ſpirituales; corporalis eſt ille cœcus natus, cui Chriſtus Dominus viſum reddidit per miraculum, quod manifeſtum ſignum & probatio divinæ miſſionis ſuæ erat. Cœci ſpirituales ſunt phariſæi, qui pro eo, ut divinitatem Salvatoris agnoſcerent, apertè ei contradicunt, accuſando eum, reum violati Sabbathi, & extra Synagogam hunc hominem ejiciendo, quem ita miraculosè ſanaverat, quique illis ingenuè totam rem narraverat, prout contigit. Si has duas ſortes

cœcorum parumper consideramus, haud difficulter agnoscemus, unam longè magìs deplorandam esse, quàm alteram. Infortunium cœci nati tale est, quod cuilibet homini contingere potest; sed cœcitas pharisæorum effectus illorum puræ malitiæ est; sunt in tenebris, & volunt etiã in iis permanere; *excœcavit illos malitia eorum.* Sap. 2, 21. Talis est status, in quem infinitos quasi christianos peccatum reducit, imò & Clericos; & ecce! quomodo quis in eum cadat, quam primùm quis non satis attendit, & curat veritates religionis, seu fidei nostræ; *diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Ps. 11. Non tãtùm oblivioni dantur hæ magnæ veritates, sed ultrò ignorantur, ne in praxim deduci debeant; *& facta est veritas in oblivionem.* Is. 59. 15. Adeò contemnitur, ut ei etiam vanitas præferatur, & mendacium; *noluit intelligere ut benè ageret.* Ps. 35. Tandem omninò obstinatò impugnatur; veritatem Herodi, & fratris sui uxori dicit Joannes Baptista; ipsi verò resolvunt se, eam in sanguine ipsius suffocandi; *odium peperit veritas; non potuit æquo animo tolerari, quod homo DEI sanctus monebat*, ait S, Augustinus. Serm. 10. Evangelium obstinatis & incredulis prædicat S. Paulus, Galat. 4, & inimici ejus

facti sunt ; *inimicus factus sum, vobis verum dicens.* O statum deplorabilem! eheu! quantæ corruptionis non est capax cor hominis, si ei propria sua malitia pro consiliario & duce servit! verùm ut melius adhuc comprehendas spiritualem hanc cœcitatem.

PUNCTUM II. Considera effectus illos, quos producit. 1mò impedit animam, ne videat bonum illud, quod DEus ab ipsa requirit, *comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.* Ps. 39. 13. Cor ipsius mille passionibus ardens tam tetrum fumum in altum protrusit, ut ratio seu intellectus ipsius nequiverit amplius solem videre justitiæ. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ps. 57. 2dò non solùm cœca est anima respectu boni, quòd facere deberet, sed etiam respectu mali, quod fugere oporteret. Si cœcus corporaliter cadit, id advertit ex dolore, quem ex casu sentit. Non tergiversatur multum, ut confiteatur se cecidisse; rogat potius, alios pro auxilio, & quidquid potest, adhibet, ut resurgat; sed qui secundum animam cœcus est, nescit, quando cadit; *via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruant.* Prov. 4. Quot gressus, tot lapsus in nova præcipitia, & quidem eò periculosiùs, quò minùs id advertit, *ambulabunt,*

ut

ut cæci, quia Domino peccaverunt. Sophon 1. 17. Pro complemento infelicitatis suæ spiritualiter cœcus, malum pro bono, & bonum pro malo, accipit, errorem pro veritate, veritatem pro errore, defendit. *Væ*, ait illis Propheta, *qui dicitis malum bonum, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* If. 5. 20. 3tiò. Traduntur tales in desideria inordinata, à quibus ordinariè ducuntur in interitū; quod Philosophis, paganis, & gentibus contigit; *sicut non probaverunt DEum habere in notitia; tradidit illos DEus in reprobum sensum*, ait S. Paulus, Rom. 1. 23. *ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Hoc ipsum etiam Clericis evenire potest. Philosophi eò devenerunt, quia à superbia sua se seduci passi sunt, & ingrati DEO extiterunt; *quia ergo fuerunt superbi & ingrati*, ait S. Augustinus, in Pf. 13. *digni habiti sunt, qui traderentur in concupiscentias cordis sui.* Examinemus tantùm, quænam magìs ordinariè causa lapsuum maximè infamium in & apud Clericos sit, & eandem caussam inveniemus. *Si vigilanter intenditur*, ait S. Gregorius M. in Job. l. 26. c. 13. *multis sæpè superbia, luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus, quasi in altum erexit, caro in infimis mansit.* O quàm jure timendum est hoc infortunium! vide, an

an in nullo te reum invenias hujus ſpiritualis cœcitatis? & quem effectum fortè in te jam produxerit? ut te ſanum & illæſum ab ea conſerves, roga DEum, ut tibi aperiat oculos ad videndas res ſupernas; claudat verò rebus terrenis. Recurſum in hunc finem ſume ad divinam Euchariſtiam, cùm ſit Sacramentum lucis; ſi Angelus Tobiæ viſum reſtituit per fel piſcis, quid non efficiat corpus JEſu Chriſti, qui eſt lux mundi, ſi illud ſumas, prout oportet? ſancta quadam ſolicitudine, & intimo affectu ad eam accede; & poſtquam eam ſumpſiſti, dic pro gratiarum actione ſequentia ex Propheta: *quoniam tu illuminas lucernam meam Domine; DEus meus illumina tenebras meas*. Pſ. 17. 29. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum; & doce me juſtificationes tuas.* Pſ. 118. 135.

FERIA QUINTA.

Nunquid petivi filium à Domino? nunquid non dixi tibi, ne illudas me. 4. Reg. 4. 28.

De amore pastoris erga suos.

1. Affectum quemdam verè maternum erga illos habere debent.
2. Hunc habere nequeunt abſque unione cum Deo.

PUNCTUM I. CONſiderarunt SS.PP. (S. Aug. ſerm. 207. de temp. & ſerm. 11. de V. A.) miraculū

iſtud

istud Elisæi tanquam imaginem charitatis infinitæ filii DEI, qui, ut naturæ humanæ vitam redderet, se ipsum contraxit, si ità loqui fas est, & exinanivit, ac demisit ad nos usque in terram per mysterium incarnationis suæ juxta hæc S. Joannis Damasceni verba, quæ sanè absque sensu devotionis legi non possunt; *totus toti unitus est, ut toti mihi salutem largiretur.* Verùm quia alibi de mysterio incarnationis locuti sumus, considerabimus hìc in ista Sunamitide affectum maternum, qui figura quædam est illius, quem Clerici, præsertim pastores animarum pro populo suo habere debent, nil magìs optabat mulier hæc, quàm ut filium haberet; *quid quæris* ait servus Elisæi ad dominum suum; *filium non habet.* Quid aliud optare debet minister Ecclesiæ, quàm ut novos filios Christo JEsu procuret; sive concionetur, sive confessiones audiat; hic debet esse scopus, quem omnibus suis sacris functionibus præfigere debet ad exemplum S. Pauli; *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Galat. 4. 19. Apparet matris affectus, & amor ex solicitudine illa, quam habet, suum infantem nutriendi. Similiter pastor nonnisi nutricem se esse credere oportet, in medio populi sui, obligatus his dare panem veritatis,

ritatis, aliis lac charitatis, *tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* 1. Theſſal. 2. 7. Si infans, quem mater tenerè diligit, moriatur, inconſolabilis eſt. *Anima ejus in amaritutine eſt.* En! quid de Sunamitide dicatur! hoc ipſum etiam de paſtore reſpectu animarum; quæ pereunt, verum eſſe debet; quò plus à via aberrant, eò magis plorare debet; & optandum eſſet, tantam fore illius charitatem, ut idipſum audire mereretur, quod DEus ad Samuelem dixerat: *uſquequo tu luges Saul?* 1. Reg, 16. 1. denique currit Sunamitis iſta versùs montem Carmeli, petitura ab Eliſæo reſuſcitationem filii ſui. Paſtores, qui in ſcriptura appellantur Salvatores, etiam in hoc puncto mulierem hanc imitari debent; *aſcendent ſalvatores in montem.* Abdias. Oportet, ut procidant coram DEO, ad petendum ab eo remiſſionem peccatorum; & ſi etiam correctiones illorum nil amplius prodeſſent, non tamen ceſſare deberent à fundendis precibus pro ipſis; *agendum voto & precibus*, ait S. Auguſtinus, l. 3. contra Parm. c. 1. *ſi corrigi objurgationibus non poteſt.* Verum ah! ubi inveniemus tales paſtores, qui hanc maternā teneritudinem pro ſuis habeant? visne ſcire, an illam ſaltem in aliquo gradu poſſideas?

PUN-

PUNCTUM II. Considera ministrum Christi JEsu; ut pro suis habere velit viscera misericordiæ, & tale maternum cor, quod S. Augustinus serm. 49, de V. D, vocat *charitatis curam*, unitum debere esse DEO per sanctitatem vitæ, & exercitium orationis; nam cùm DEus sit animæ spōsus, ut hic S. P. ait, *legitimum maritum, anima, DEum habet.* Impossibile est, illam fæcuudam reddi, nisi per unionem istam cum DEO, ac commercium, sive deinde fæcunditas hæc ad intra-maneat, per progressum in virtutibus, sive foras pro grediatur per progressum illū ac fructum, quem in aliis procurat. Si Ecclesia quæ est magna illa ac principalis JEsu Christi sponsa, sine ipso nihil potest; imò nequidem os aperire, ut adeó quotidie dicat, *Domine labia mea aperies.* quid boni pastores privati possint, nisi incessanter uniti maneant cum hoc divino animarum sponso? per continuam illius præsentiam oportet, ut ei suas indigentias proponant & miserias, per hanc suam cum ipso familiaritatem & continuum comercium cum DEO debent iram illius placare, quem nos irritavimus, & ut illi pro nobis placeant DEO, dum nos ei displicemus, prout de Phinees dictum est, quòd per suam bonitatem & zelum suum, indignationem

DEI contra Israël averterit; *in bonitate & alacritate animæ suæ placuit DEO pro Israel* Eccles. 45. 29. Examina nunc, quæ tua sit cum DEO unio? esne tam frequenter in conspectu & præsentia illius, ut tanquā alter Moyses dicas; *obsecro! peccavit populus iste peccatum maximum; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo.* Exod. 32. 31. Esne bene persuasus de hoc, quòd minister altaris omnibus creaturis mortuus esse debeat, ut non nisi soli DEO & pro salute animarum laborare valeat? quòd eminere debeat in studio contemplationis, *præ cæteris contemplatione suspensus*, quam principalem qualitatem pastoris esse vult S. Gregorius, Pastor. p. 2. c. 5. qui propterea manifestè ab hoc sacro ministerio excludit illos, qui spirituales non sunt, & parùm familiaritatis cum DEO habent? eheu! mi DEus; quot ergo à functionibus ecclesiasticis & pastoralibus excludendi erunt? vide, an sis è numero illorum? contremisce ad hoc examen, & recurre ad JEsum Christum in SS. Sacramento, ubi nobiscum se unire desiderat, sed ùt toties ad illum accedas, prout fit, oporteret te esse, aquilam quamdam spiritualem, & ad omne illud, quod in perfectione sublime est, elevare te; hæc est annotatio S, Chrysost: Homil: 24. in 1.
adCo-

ad Corint. super ista verba Salvatoris; *ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Humilia te, & pro gratiarum actione roga JEsum, ut misericordiæ quodam obtutu te dignetur, ac te sibi uniat. *Aspice in me, & miserere mei.* Ps. 118.

FERIA SEXTA.

Domine, jam fœtet; quatriduanus est enim. Joan. 11. 39.

De lazaro.

1. Figura est peccatorum consuetudinariorum.
2. Quod JEsus fecit resuscitationem illius, imago est illius, quid circa tales fieri debeat?

PUNCTUM I. TRes invenimus in Evangelio mortuos resuscitatos à JEsu Christo; prima erat filia principis Synagogæ, recenter mortua, cujus corpus exanime adhuc domi jacebat. 2dus est filius viduæ Naimiticæ, quia actu ad sepulturam deportabatur. 3tius Lazarus jam à quatuor diebus mortuus, & sub lapide sepulchrali jamjam putrescens. Hæc tria genera mortuorum, tres species peccatorum, nobis repræsentant, qui conversione, & ut ad gratiam resuscitentur, opus habent. S. August. tract. 49. in Joan. Uni propter unum solum peccatum mortui sunt, & præcisè in crimen aliquod cadunt, figuratum hoc fuit per filiam prin-

cipis, quæ non nisi exspiravit ; resuscitata tamen statim fuit. Alii mortui sunt propter plura peccata, & jam ulterius in malitia progressi sunt, quos filius viduæ repræsentat ; qui jam proximus erat portæ civitatis, dum JEsus eum suscitavit. Sed datur adhuc alia & 3tia species peccatorum, qui jam à longo tempore in statu peccati vixerunt, & quasi jam putruerunt ob longum habitum, seu consuetudinem peccandi, hos nobis significat Lazarus jam quatuor diebus sepultus, quique accedentes ad ipsum jam inficiebat, quem JEsus etiam non suscitavit, nisi amoto prius grādi lapide, qui eum operiebāt ; lapis iste sepulchralis, ait S. Augustinus serm. 67. de verb. evang. vim nobis ostendit malæ consuetudinis ; *moles imposita sepulchro, vis consuetudinis.* O quàm terribile est hoc genus mortis ! peccator in tali statu positus 1. non ampliùs sentit malum suum, quia nihil boni & salubre in nobis est, quod consuetudo non extinguat, nulla bona desideria quorū cursū consuetudo consistat. *Quid non evertit consuetudo?* ait S. Bernardus lib. 1. de consid. c. 2. Ubi est anima, quæ per longam habitudinem in malo non indurescat ; *quid non assiduitate duratur?* 2. Insuper complacet sibi in malo, dulce & gratum illi est, quod prius odiosum & insuppor-

supportabile videbatur. Peccatum, quod modò ipsi prorsus connaturale est, prius difficultatem causabat, dum adhuc remorsus conscientiæ delicatior aliquantùm erat; *primum tibi importabile videbitur*, ait S. Bernardus ibid. Postea successu temporis assuesces, nec amplius molestum videbitur, *processu temporis, si assuefias, non judicabis adeò grave.* Tandem adeò leve experimur, ut ne quidem sentiatur amplius: *paulò post non senties*; denique omninò placet: *paulò post etiam delectaberis.* O quot dantur peccatores, qui hanc funestam experientiam habent, 3. peccatum tale tandem per obstinatam adhæsionem fortificatur, & vires sumit. *Ligatus eram*, ait S. Augustinus, conf. l. 9. c. 5. *non alieno ferro, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Ita S. Augustinus loquebatur ante conversionem suam, & baptismum, quod nobis satis clarè ostendit, quàm deplorandi sint consuetudinarii peccatores. Verùm, quia nos tanquam Clerici laborare debemus, pro illorum conversione.

PUNCTUM II. Id ipsum faciamus,

quod JEſus fecit, ut Lazarum à mortuis reſuſcitaret. 1mo. Veniens ad locnm,ubi Lazarus ſepultus jacebat, infremuit ſpiritu, turbatus erat, & lacrymas fundebat; omnia hæc ideo fecit, ait S. Auguſtinus, ut nos doceret, tam facilè non eſſe ac nobis ipſis imaginamur, ſuſcitare magnos peccatores de morte ad vitam. Horror peccatorum ipſorum & nos& ipſos fremere faciat, oportet: *quare fremuit & turbavit ſemetipſum in reſurrectione Lazari*, ait hic S. P. tract. 29. in Joan. *Niſi quia fides hominis ſibi meritò diſplicentis fremere quodammodo debet. In accuſatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat conſuetudo peccandi.* 2dò mandat Chriſtus, ut lapis ſepulchralis auferatur. *Tollite lapidem.* Sepulchrum hoc ipſum cor peccatoris eſt, quod gratiæ divinæ per longam conſuetudinem peccati clauſum eſt, ut ergo convertatur, oportet amovere lapidem, ſeu petram ſcandali, & omne id, quod novi lapsûs occaſio eſſe poſſet. 3. JEſus clamat voce magna; *Lazare veni foras.* Oportet terribiles illas minas adhibere, quarum plenum eſt Evangelium, ut tales obſtinati peccatores ac impœnitentes ſuſcitentur, debemus configere carnem ipſorum clavis extremi judicii, quod eos exſpectat. 4to denique poſtquam JEſus ſu-

ſcitavit.

scitavit Lazarum, mandat Apostolis suis, ut eum solvent: *solvite illum, & sinite abire.* En! quid nos facere debeamus tanquam ministri JEsu Christi, & successores Apostolorum; solvere debemus peccatores, sed attendere oportet, ait S. Gregorius, ne tales solvamus, & absolvamus peccatores, qui adhuc sepulti jacent in consuetudine & habitu peccati, sed eos solummodo, in quibus signa vitæ advertimus, qui verè compuncti sunt, quos internus ac sacer arbiter dignos judicare possit inæstimabili gratia absolutionis. *Ex qua consideratione intuendum nobis est,* ait hic S. Pontifex Hom. 26. in Evang. *quòd nos per pastoralem authoritatem eos debeamus absolvere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Vide nùnc, utrum idipsum cum peccatoribus habituatis feceris, quod JEsus Christus pro nostra instructione in suscitatione Lazari observavit. Ah! quomodo id feceris aliis, quod fortè circa temetipsum nunquam adhuc fecisti? *putruerunt, corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Ps. 37. c. 6. Pro communione adverte, quòd dicitur in Evangelio: JEsum paulò post resurrectionem Lazari eum admisisse ad mensam suam. Hunc ipsum honorem nobis quotidie exhibet, dum post datam nobis per Sacra-

mentum pœnitentiæ vitam gratiæ nos ad S. communionem admittit; ita nimirum vitam, quam dedit nobis, divinus hic Salvator conſervare vult; non enim ſolummodo per hunc vivificum cibum eam conſervat, ſed, ne amplius moriamur, ipſe vult eſſe vita vitæ noſtræ. O bone DEus, quàm bonus es erga peccatores prorſus indignos tua bonitate; dicam ergo pro gratiarum actione: *ſecundùm miſericordiam tuam vivifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.* Pſ. 118. 88.

DIE SABBATHI.

Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, Joan. 8. 12.

De submissione nostra, quam Christo debemus.

1. Revereri debemus ùt doctorem & magiſtrum noſtrum.
2. Audire illum debemus, & inſeparabiliter eidem adhærere.

PUNCTUM I. ADoremus JEſum Chriſtum tanquā lumen mundi, magiſtrum & doctorem univerſi, qui ſolus omnes homines illuminare poteſt, & ab iis diſpellere ignorantiæ tenebras, quas peccatum induxit. Memores ſimus hujus pulcherrimi verbi, quod ad diſcipulos ſuos dixit, ut doceret tam nos,

quàm

quàm ipsos humilitatem & submissionem, quam illi debemus. *Magister vester, unus est, Christus*. Matth. 23. 10. Non habemus, nisi unum magistrum, qui est unicus æterni patris filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI reconditi. Ille solus est, quí sine tot ambagibus definitionũ, divisionum, & distinctionum, sine alligatione ad certa principia & conclusiones *docet hominem scientiam*. Ps. 93. 10. Dum scientiã nomino, intelligo veram illam scientiam, nimirum salutis; quia nulla ex aliis meretur hoc nomẽ, cùm nõ sint nisi massa quædã incertitudinum, & obscuritatum, & quia aliàs multùm temporis inutiliter consumimus, felicius quis quandoque eas ignorat, quàm ut intellectum suum illis obruat. Hic incomparabilis doctor cathedram in cœlo habet, ùt S. Augustinus ait, tr. 3. in epist. Joan. & exinde lux illius lucebat in tenebris, & tenebræ eã non comprehenderunt. Incapaces erant homines, ut in seipsos descenderent per propriam sui cognitionem, hinc corpus visibile assumpsit, ut cum hominibus rudibus ac terrestribus tali modo loqui posset, qui eorum infirmitati congrueret. Gratias agamus huic divino doctorì, quòd lumẽ veritatis suæ nobis comunicaverit; ah! secùs essemus sanè, sine facula fidei, & sine Evangelio, & nil aliud, nisi tenebræ,

bræ, ignorantia, error & infidelitas! verùm quia non ſufficit illum tantùm recognoſcere pro doctore & magiſtro noſtro,

PUNCTUM II. Diſce exinde te aliū, audire non debere; *ipſum audite.* Matth. 17. 5. En! quid de nobis ordinaverit Pater æternus! Chriſtus JEſus, ſolus eſt magiſter, cui adhærere debemus; ipſe eſt, ait S. Auguſtinus, qui omnes inſtruit, qui inſtruuntur, ſive dein hoc faciat immediatè per ſeipſum, uti fit in meditatione & oratione; ſive per miniſterium paſtorum & prædicatorum ſuorum; ſive per lectionem librorum ſacrorum, ſemper ipſe eſt, qui docet, homo non niſi miniſterium quoddam exhibet, & præcisè ad corporales aures loquitur', ſed hic divinus magiſter eſt, qui auribus internis ſeu cordis loquitur, per quem veritatē cognoſcimus, illam amamus & facimus; *ſonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt.* ait hic S. P. (Auguſt. ibid.) O JEſu! ego adoro te, ùt lumen meum, tu es, qui illuminas me; tu es, quem ſequi debeo; tu es divinum exemplar, quod imitari debeo. O JEſu! ah! non ſemper ſecutus fui ſanctum lumen tuum! quoties eidē oculos clauſi, ut falſa lumina intellectûs mei ſequerer, quæ non niſi veriſſimæ tenebræ ſunt? an mirum ſit, quòd exinde erraverim? fac mihi Domine hanc gratiam,

ut

ut ad te redeam, & te nunquam amplius ex oculis & conspectu meo perdã; fac me ambulare in lumine tuo, & dirige gressus meos, ut exempla tua sequendo, & me tibi cõformando, non sim amplius unus ex filiis tenebrarũ, qui nesciunt, quò vadunt, & qui evitare non possunt proprium interitũ suum. *Domine DEus meus! exaudi, respice, & vide, & miserere, & sana me &c. O lux, quàm videbat Tobias, cum clausis oculis istis filium docebat vitæ viam, & ei præibat, pede charitatis, nunquam errans &c. Erigo ad te invisibiles oculos; ut tu evellas de laqueo pedes meos.* August. l. 10. conf, c, 34. Idipsum à te peto, quod S. Augustinus per hæc verba; *ô lux mentis! ô lucens veritas! ô vera claritas! expelle tenebras, desuper faciem abyssi mentis meæ.* solil. c. 1. n. 4. Specialiter autem in S. altari invenies hunc divinum doctorem; lumen & oraculum Prophetarũ; accede cum docilitate tali, quæ discipulum decet, rogans eum, ut te docere dignetur, *bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Ps. 118. 68. Et pro gratiarũ actione audi eum ad cor tuum loquentem. Loquere Domine, quia audit servus tuus, quia verba vitæ æternæ habes. Loquere mihi ô JEsu, ut animæ meæ consolationẽ aliquam afferas, quæcunque demum tibi placuerit; loquere ita efficaciter ad me, ùt

vera

vera vitæ meæ mutatio conſequatur. *Loquere igitur Domine, quia audit ſervus tuus, verba enim vitæ æternæ habes; loquere mihi ad qualemcunque vitæ meæ conſolationem, & ad totius vitæ meæ emendationem, tibi autem ad laudem & gloriam, & perpetuum honorem.* de Imit. Chriſti l. 3. c. 2.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. 46.

De innocentia vitæ clericis necessaria.

1. Soliciti eſſe debent vitam ſanctam & regularem ducere.
2. Motiva ad ita vivendum.

PUNCTUM I. QUamvis nullus ſit præter JEſū Chriſtum, agnum ſine macula, qui adeò aſſeveranter dicere poſſit: *quis ex vobis arguet me de peccato?* nihilominus poſſunt quandoque Clerici hîs ipsîs verbîs pro bono Evangelii uti. S. Paulus, qui tam humilis fuerat, pro teſtibus vitae & puritatis ſuæ in moribus, eos ipſos ſumpſit, quos per prædicationem ſuam inſtruxerat. *Vos ſcitis*, ait Act. 20. ad Presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ, quos ad ſe vocaverat Miletum, *qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino, cum omni humilitate, & lacrymis &c. argentum, aut aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi*

ipsi scitis. Possumus ergo hoc ipsum facere sine læsione humilitatis christianæ, in certis quibusdam occasionibus, ubi ad gloriã DEI & salutem animarum, id conducere dignoscimus. Verùm quisquis hoc facere vult, solicitus esse debet, ita vivere, ut nil in eo reprehendi possit. *Oportet irreprehensibilem esse*. 1, Timoth. 3. 2. Non debet posse ullius peccati reus convinci; non intelligo hic peccata talia, quæ fragilitati humanæ inevitabilia sunt, sed speciatim de illis, quæ uno ictu animam occidunt, ut S. Augustinus serm. 29. de V. D, loquitur, quæque incompossibilia sunt, cum gratia sanctificante. Si quilibet christianus liber ab iis esse debet, quantò magìs Clericus, cujus virtus longè debet esse perfectior. *Non mediocris est virtus sacerdotalis*, ait S. Ambrosius, *cui cavendum non solùm, ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem*. Vide utrum in hoc statu sis? utrum locum Christi JEsu teneas? proportionatam cum illo innocentiam possideas? an, non quidem in conspectu DEI, qui corda nostra penetrat; in præsentia cujus Angelorum puritas non subsistit; saltem corã hominibus dicere valens, *quis ex vobis arguet me de peccato*? Talis esse debet status tuus, si Ecclesiam intras; oporteret vel ipsam innocentiam baptismalem, usque ad hoc tempus conservasse;

ſe; ſed, reparaſtine illam ſaltem per pænitentiam? anne videre eſt, quomodo in te modò reſplendeant virtutes chriſtianæ & ſacerdotales? ah! quàm imperfectus adhuc es! qua fronte audebis jactare innocentiam tuam, quando tam multos forte teſtes habere potes malæ vitæ? teipſum ingredere, & examina, ac

PUNCTUM II. Reflecte te paululùm ſupra motiva, quæ Clericos obligant, ut vitam ſanctam ac regularem ducant? imò ſunt lux mundi; *vos eſtis lux mundi*, ait ad illos JEſus, Matth. 5. 14. in perſona Apoſtolorum; illuminare debent populum, non ſolùm lumine doctrinæ ſuæ, ſed etiam puritate & ſanctitate vitæ, Quod ſi ex illo loco eminenti in quo illos poſuit DEus, pro eo, ut claritatem de ſe emittunt, plus fumi, quàm lucis emittant, nonne idipſum abſurdum in mundo ſpirituali eveniret, ac ſi aſtra cæli, non niſi tenebras terræ effunderent? *Vos eſtis ſal terræ.* Hoc eſt ſacerdotes debent animas præſervare à corruptione hnjus ſæculi, & à peccato, ſi verò ipſi per malum exemplum ſuum animas corrumpunt; ſi ipſi vigorem ſuum amittunt; ſi languent ipſi, ob vitam quamdam omnino mollem, & nimis quàm commodam. Ad quid aliud utiles erunt, quàm ut projiciantur, ac pedibus hominum conterantur?

tur? *quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Ibid. v. 13. Denique, sunt medici animarū, quomodo autem curabunt alios, si ipsi ægrotent? quomodo fideles ad castitatem hortabuntur? ad temperantiam? ad fugam societatum mundanarū, si ipsi convinci possint, ducere vitam inordinatam, & dissolutam? *qua libertate laicos corripere poterunt sacerdotes*, ait Concilium Tridentinum, sess. 14. de reform. in procem. *cùm tacitè ipsi respondeant eadem se admisisse, quæ corripiunt?* benè tecū perpende rationes istas, & pro fructu meditationis istius, detestare, magìs, qualecunque, peccatum, siquidem adeò contrariū est, unioni, quam cum DEO habere debes, & functionibus tuis ecclesiasticis quotidianis? vive ergo tali modo, ut moribus tuis, ante oculos hominū, ponas sensibilē quamdam imaginē vitæ, quam JEsus Christus duxit super terrā; *sacerdos, Christi expressa forma*; ait S. Cyrillus Alexandrinus de ador. in spir. & verit. En! habes formam, quam incessanter ante oculos tuos habere debes. En regulā sanctitatis tuæ! hoc unicè ex conformitate cum hoc divino originali desumere debes; utrum ad eam perfectionē perveneris, quam DEus à te requirit; *luceat imago Christi in operibus nostris, &*

factis. ait S. Ambrosius, lib. de Virg. *ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis.* Quia verò ex te ipso nil potes, confugere debes ad hunc adorandum mediatorem tuũ, quem S. Paulus in hodierna epistola nobis ante oculos ponit, tanquam Pontificẽ nostrũ, qui nos reconciliare debet DEO Patri suo per sacrificiũ Missæ, cujus ipse principalis offerens est. Roga illum, ut tibi meritum & fructum illius applicet, & te ita purificet, in sanguine suo, quẽ hodie sumpturus es, ut imposterum ei majori iñocentiâ, & sanctitate servire valeas; *si enim sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationẽ carnis; quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum, semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Hebr. 9. 13.

FERIA SECUNDA.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum; & vado ad eum, qui me misit. Joan. 7. 33.

De vita præsenti et futura.

1. Vita præsens, brevis.
2. Futura, beata.

PUNCTUM I. SCivit JEsus divino suo lumine illustratus principes sacerdotũ & pharisæorũ, secretò misisse quosdã de suis, qui eum caperent, quo non obstante tamen perrexit loqui ad po-

pulum

pulum, totum dissimulando, eisque manifestavit, se comprehendendũ, & ligandũ, non alio tempore, quam quo ipse vellet; cognoscere se benè voluntatẽ, consilium, & insidias inimicorum suorũ; illos tamen nec minimã in illum habere potestatẽ, nisi paulò post, quando ad Patrem suum, quo missus fuerat, rediturus esset. Si verba hæc Salvatoris nostri paulò accuratius nobiscũ expendimus; inveniemus in illis magnũ solatium pro justis cõtra persecutiones & malitiã inimicorũ suorum; tam pro tempore præsenti; quàm in futurum. Quantùm ad præsens; brevitas hujus vitæ, potens motivũ esse debet, ut omnes malorũ contra nos machinationes contemnamus; *omnis potentatus brevis vita.* Eccles. 10. 11. Qualis enim hæc potentia, quæ non nisi momento durat; quæ transit, dum de ea loquimur, & quolibet instanti minuitur? quilibet ergo bonus, omnibus iis, qui, nescio, quæ moliuntur, ut ipsi noceant, dicere potest, nil mihi nocere potestis, nisi quãdiu vobiscum & inter vos sum; sed hoc non nisi modicum tempus erit; vadam enim ad eum, cujus partes & causam sustineo; ipsius ergo protectione quæcunque de me mala cogitatis, nil mihi nocebunt; potest etiam hoc addi, hujusmodi perversos homines, aliam potestatem in hac vita non

habere, nisi in nostra superflua bona, quibus carere possumus ; & sic dicere possumus eâdem cum S. Augustino fiduciâ omnibus inimicis nostris, qui nos persequuntur; *sæviant persequendo ; nihil in me moritur, nisi mortale ; erit in me aliquid, quo persecutor pervenire non possit, ubi habitat DEus meus ;* in Ps. 26. En! quid justos consolari debeat super terram! quidquid mali hìc in terra sustineant à malis & perversis, tantum hoc sibi persuadeant, hoc non diu duraturum ; & quod *laus impiorum brevis sit. & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Et hoc quoad præsentem vitam ; pro futura

PUNCTUM II. Aliam in hisce verbis Salvatoris invenient consolationem, *quæretis me, & non me invenietis ; & ubi sum ego, vos non potestis venire.* Habent boni post hanc vitam securum locum, quo pertingere non possunt mali machinationibus suis, quia huc penetrare non possunt, nec invidi, nec injusti, nec calumniatores ; omnes enim tales vel omninò non intrabunt illũ, vel ipsorum amici & defensores evadunt. *Vidi calumnias : quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium ;* Ecclesiast. 4. 1, vidit hæc Sapiens ; sed tantùm *sub sole* ; supra solem neque calumniæ, neque lacrymæ, neque planctus, neque gemitus erunt, *neque luctus neque clamor.* Apoc. 21. 4. Ecce! quid nobis

nobis omnē timorem malorum & persecutorum nostrorum auferre debeat! nimirū dicere illis possumus, vos non potestis eò venire, quò ego vado, si tales permaneatis, quales modò estis; adhuc modicum restat, & tunc erimus in hoc securitatis loco, quò perversi nunquā pervenient; *mox inquam,* exclamat S, Bernardus hìc, epist. 98. n. 7. *& ibi exultant justi in conspectu DEI. Ibi, ibi, benignissime JEsu, ibi statim, ut de hoc sæculo nequam, sanctus quisque eripitur; adimpletur lætitia cum vultu tuo; vox una exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Anima nostra erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Vide potentia motiva, quæ te consolentur in turbulentiis & oppressionibus vitæ istius! vide ut iis benè utaris! talibus enim pluries subjacebis, si vivere velis, ùt bonum & pium decet Clericū. Vide, quomodo adhuc hodie persecutiones sustineat divinus magister tuus; noli ergo mirari, si & tu persecutionem in & à mundo patiaris. Pete igitur ab eo pro præparatione ad Missam, ut non solùm participes de sanctissimo corpore ipsius per S. Communionem, sed etiam de cruce ejus & passione, ut sic etiam partem aliquam habere possis in gloria cum ipso. *Communicantes Christi passionibus gaudete; ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* 1, Petri 4. 13.

FERIA TERTIA.

Manifesta te ipsum mundo. Joan' 7. 4.

De vana gloria.

1. Mundus eam quærit.
2. Christus eam damnat.

PUNCTUM I. FAcilè ex his verbis, consanguineorū Christi, spiritū & modū loquendi, quē mundus observat, colligimus. Quod etiam ipsū Evangeliū aūotavit; *nec enim fratres ejus credebant in eum.* Quod vel maximè manifestabant, per suas carnales, & prorsus viles, & proprium interesse eorū, spectantes de ipso, cogitationes, & intentiones. Parùm, vel omninò non curat mundus, imitari Christum, cùm modicā ei fidem adhibeat. Damnat Christus JEsus ubique vanam gloriā; mundus eam approbat & laudat, & ferè in omnibus, quæ facit, eam quærit. Et ut à te ipso non abeas, quoties consanguinei tui hoc ipsum tibi suaserunt; *manifesta te ipsum mundo* imitatúsne es in ejusmodi occasionibus, humilitatem divini magistri tui? an non potiùs secutus es temeraria, & ambitiosa eorū consilia? an non ideò studes? concionaris? & functiones tuas ecclesiasticas peragis? an non per ista, nescio, qualis apparere vis coram mundo, & ab aliis te distinguere? an non ideò sublimiorē & eminentiorem statum, & officia ambis? an non libentiùs

bentiùs concionaris, quàm Cathechismũ tradas? an non libentiùs divitibus, quàm pauperibus inservis? potiùs in civitatibus, quàm in pagis habitare vis? an non ob hanc causam de scientiis libenter loqueris, & tãto cum vigore & fervore disputas? novitates invenis? opiniones exoticas defendis? modum extraordinarium dicendi, & perorandi affectas? denique pro eo, ut talentis à DEO tibi concessis utaris ad gloriam illius, an non ea ad tuam propriam gloriam vertis & usurpas? *diligentes gloriam hominum magìs, quàm gloriam DEI?* Joan. 12. Seriò te circa hæc examina; quia vanitas subtile venenum est, quod se facillimè insinuat, sæpissimè etiam in ipsa opera bona; periculosa sagitta est, ait S. Bernardus, in Ps. *Qui habitat* in hæc verba; *A sagitta volante*, quam quis difficulter evitare potest; *Time sagittam; leviter volat; leviter penetrat; sed non leve infligit vulnus; citò interficit; nimirum sagitta hæc, vana gloria est.* Et ut adhuc magìs ab ea abhorreas;

PUNCTUM II. Vide, quàm efficaciter in Evangelio vitium hoc damnat Salvator! quàm acriter reprehendit scribas & pharisæos, *quod omnia opera sua faciant, ut videantur ab hominibus?* genimina viperarum, sepulchra dealbata, eos nominat, & hypocrytas, qui jam receperunt mercedem

 suam;

ſuam, *Amen dico vobis, receperunt mercedẽ ſuam.* Matth. 6. Fortiter inculcat populo & diſcipulis ſuis, ne eos imitentur ſi nolint optima ſua opera, carere mercede; attendite, *ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Quid? visne theſaurum cœli perdere pro fumo honoris? DEus te cuſtodiat à tali cœcitate! *non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Galat. 5. 26. Noli ergo eſſe mancipium inanis gloriæ! ſi etiam miracula patrare poſſemus, omnia ad DEI gloriam referre oporteret. Memor eſto verborum, quæ ad Apoſtolos ſuos dixit JEſus: *cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Utamur iſtis rationibus in illis occaſionibus, ubi vana gloria & complacentia nos ſeducere vellet. Domine DEus meus! quia omnis gloria hujus mundi non niſi vanitas eſt, ne permittas, obſecro, ut me ipſũ quaſi conſummam, ut illam acquiram! ad viliſſimam nimirum conditionem inſectorũ me ipſum reducerem, quæ ſe eviſcerant, ut vel unam tantùm muſcam capiant. Qualis ſtultitia! aperi oculos meos mi DEus! ut amorem meum & æſtimationem meliùs applicem, neque talibus rebus impendam, quæ dignæ illis omninò non ſunt! *aranea*
dè

de suis visceribus telam texit, & texendo tabescit, ut muscam vilissimam capiat. Quid aliud facit homo, qui se eviscerat in expensis, & in curis, ut muscam sive mustum odoriferæ opinionis, & favorem linguæ meretricantis acquirat. Petrus Bles. Ep: 16. Pro præparatione tua ad Missam vel Comunionem adora hodie Christū JEsum in Eucharistia tanquā Regem humilium; occultat se oculis nostris, ut ab eo discamus occultare nos corā oculis hominum. Ora eum instanter, ut superbiam tuam curet; totaque devotio tua sit, ut te ipsum deprimas, & in præsentia ipsius te quasi annihiles, dicendo cum Propheta regio' Ps. 30. 14. *oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde; factus sum tanquam vas perditum.*

FERIA QUARTA.

Loquor vobis, & non creditis. Joan. 10. 25.

De prædicatione.

1. Oportet prædicare veritatem, quin hominibus displicere timeamus.
2. Quænam regulæ observandæ?

PUNCTUM I. QUamvis Judaei, ob invidiam, & duritiem cordis sui, facti sint inimici, & persecutores veritatis, nihilominus non intermisit Christus Dominus illis annuntiare eam,

etiam hodie adhuc eis dixit, ſe eſſe Meſſiam & Filium DEI, non obſtante eorum reluctantiâ, quâ eum ægerrimè audiebant, diſcamus exinde, non tacere veritatem, quamvis ad guſtum fortè eorum non ſit, quibus eam prædicamus. *Amant homines veritatem*, ait S. Auguſtinus, conf. l. 10. c. 23, *lucentem, oderunt eam redarguentem*. Si non niſi in generali de virtute, & vitiis loquimur, ſi populo non niſi veritates ſpeculativas religionis noſtræ proponimus, laudant nos, amant nos[f], admirantur, ait S. Hieronymus in epiſt. ad Galat. c. 4. ſi verò ad particularia deſcendendo, eos ad praxim, & executionem, obligare velimus, ut vitia declinent, viam perfectionis amplectantur, tunc inſupportabiles eis evadimus; *libenter enim, quod delectat, auditur*, & offendit omne, quod noluimus. Erat S. Paulus unus è primariis Evangelii miniſtris, qui hoc ipſum expertus fuit. Galatæ ipſum initio ùt oraculū auſcultarunt; tam charus ille erat[g], ut vel proprios oculos ſibi eruiſſent, eique dediſſent; verùm quamprimùm eis, practicas quasdam veritates, prædicare voluit, quæ ad guſtum eorum non erant, inimicus eorum factus eſt, *ergo inimicus factus ſum vobis, verum dicens?* Galat. 4. maluit autem Apoſtolus iſte amicitiam illorū perde-

perdere, dicendo veritatem, quàm hanc negligendo, illam conservare; *non enim sua quærebat, sed quæ JEsu Christi*, ait S. Augustinus serm. 46. de pastor. in Ezech. Ministri Domini! si eodem spiritu animati estis, quo S. Paulus agebatur, quocunque demum labore opus sit, neque immutabitis quidquam coram populo vestro, quicunque demum ille sit, de veritate, quam eis, scitu necessariam esse ad salutem, noveritis. Sit ingratum, quantumcunque velit, quod dicitis; quantumcunque malè vobis affecti reddantur; nolite quidquam horum timere; *nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis*. l. 2. de Trinit. in procemio. Sed quia circa hoc certas regulas observare oportet.

PUNCTUM II. Discamus ad hoc, ut quis liberè omnibus dicere, & prædicare veritatem valeat, necessarium esse, imò ut quis eam propria sanctitate & bonô exemplô sustineat, & confirmet; *vita enim authoritatem tribuit verbo*, ait S. Hieronymus comment. in ep. ad Tit. ad hæc verba: *nemo te contemnat.* Vita ergo procedens prædicatoris, nequaquam contraria esse debet, verbis illius; aliàs ipsa verba memoriam eorum in auditoribus refricabunt, ob quæ illis concionator odiosus, fiat, & contemptibilis. 2. Opportet annuntiare

& præ-

& prædicare veritates, modo quodam convenienti, & proportionatò qualitati, & indigentiæ auditorum, ac obſervare omnes circumſtantias, ac conjuncturas temporis & locorum. Hinc dicebat Chriſtus ad Apoſtolos ſuos; adhuc multa haberem dicere vobis, ſed non poteſtis portare modò 3tiò. Oportet defendere & prædicare veritatē abſque ulla paſſione; quia, ùt S. Auguſtinus l. 32. contra Fauſtum c. 10. ait, *non intratur in veritatem, niſi per charitatem.* Non dedet id fieri, neque ex deſiderio propriæ oſtentationis, neque ex ulla conſideratione humana, quòd veritatem defendamus, ſed unicè ex amore DEI, & proximi, ad gloriam DEI & ſalutem animarū, pretio ſanguinis divini emptarum. En totum, quod facere debeat concionator in exercitio miniſterii ſui; ſimiliter, ac propheta regius, comparatus ac conſtitutus eſſe debet, & dicere cum illo, *mihi adhærere DEO bonum eſt, & ponere in Domino DEO ſpem meam, ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.* Pſ. 72. Vide, ut memineris omnium iſtarum regularum; magnæ utilitati tuæ ſervire poſſunt, quarum vel ignorantia, vel non uſus, vel non prout oportet, ſæpè turpes errores, & ſequelas irreparabiles, poſt ſe trahere poſſunt. Roga DEum veritatis, quem proximè

ximè sumpturus es, pro gratia, ut eas amplecti ac sequi, & observare valeas. *Dirige me in veritate tua, & doce me; quia tu es DEus Salvator meus.* Ps. 24, 5.

FERIA QUINTA.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Luc. 7. 47.

DE CONVERSIONE S. MARIÆ MAGDALENÆ.

1. Fuit prompta.
2. Humilis.
3. Et fervens.

PUNCTUM I. ANte omnia adoremus misericordiam Filii DEI erga peccatricem hanc, & humiliter oremus, ut eandem quoque nobis exhibere dignetur, qui pariter peccatores sumus, ùt illa fuit. Prima circumstantia conversionis hujus, prout ab Evangelio notatur, est, quòd fuerit *prompta; ùt cognovit*, quàmprimùm primi radii gratiæ divinæ, intellectum illius irradiârunt, statim currit ad domum pharisæi, & quærit ibi cœlestem medicum; non tam citò aperuit oculos suos, ad videndam terribilem difformitatem illam, in quam anima sua devenerat, ac pati noluit, se ulteriùs in tali statu morari, & vel unico adhuc

huc momento, objectum odii DEI sui, esse; itaque statim è lecto, in quo jacuerat, surrexit, & ad eum quasi volavit, mediantibus alis charitatis, *nescit tarda molimina, gratia Spiritûs S.* ait S. Ambrosius l. 1, in Luc. c. 1. An pari fidelitate & nos gratiæ divinæ correspondimus? quot dilationes affectatæ, pugnæ, resistentiæ, vani conatus intercessêre, qui sine effectu semper erant, quia nimirum ipsi amavimus catenas & captivitatem nostram, & ingratum nobis erat ab illa liberari? Magdalena perpetuum quoddam divortium cū mundo, adhuc in flore ætatis suæ init, dum ludi, risus, deliciæ, obviis brachiis ei obviabant, & mille dulcedines promittebant; nos autem exspectamus, quousque ætas nostra impotentes nos facit, fruendi voluptatibus vitæ hujus. In singulos dies prætextus quærimus, & obtendimus, ne restituere debeamus DEO cor nostrum, quod ipsi tot titulis debetur;

PUNCTUM II. Secunda circumstantia conversionis Magdalenæ fuit profunda *humilitas*, quæ eam ad pedes JEsu abjecit, sine hæsitatione, absque ullo respectu humano. Elevabat se supra omnia humana judicia, neque timebat, immolare se publico derisui omnium præsentiū, etsi fabula fieret totius Judææ, quia a-
liud

liud præ oculis non habebat, nisi peccata sua, & cor illius verè contritum erat, & humiliatum. Ponebat os suum in pulvere, ut ita spem aliquam acciperet; osculata est dein sacratissimos pedes Salvatoris sui, ut sic veniam ab eo peteret præteritorum peccatorum; *accessit non ad caput Domini, sed ad pedes*, ait S. Augustinus lib, 50. homil. Hom. 23. *& quæ diu malè ambulaverat, vestigia recta quærebat.* Vide, quomodo humilis ista pœnitens in lacrymas defluat; vide sanguinem cordis illius per oculos ejus prorumpentem! ô felix inundatio, & diluvium, quod impuras flammas extinguit, quibus illa ardebat; quod peccata abluit, dæmones expellit, & Angelos lætificat. Disce exinde, quo affectu ac sensu humilitatis, & confusiouis ad JEsum Christum accedere debeas; scito, te procumbere, & quasi annihilare te ipsum debere coram tremenda Majestate illius post tot in illum commissas offensas. Quid? te ipsum dæmoni prostituisti, mille sordibus ab eodem fædatus! recenter ab hoc volutabro venis? & tu prætendis ab eo blanditias, & privilegia filiorum? loqui vis cum DEO quasi cum amico, & mensæ illius assidere? *heri de luto tractus*, ait S. Bernardus. *hodie vultui gloriæ præsentaris.* Putamus pluribus

opus

opus non esse, quàm recitare, seu narrare infamias nostras, ut quamprimum admittamur ad participanda divina mysteria; & quod magis deplorandum, ad intrandum in statum ecclesiasticum, & suscipiendum ipsum sacrosanctum JEsu Christi sacerdotium. Riga, riga prius pedes Salvatoris tui, lacrymis tuis, & purifica te in salutari balneo pœnitentiæ, qui de hoc cogitas, ut pro aliorum criminibus mediator & intercessor evadas. *Væ ministris infidelibus qui necdum reconciliati reconciliationis alienæ negotia, quasi homines, qui justitiam fecerint, apprehendunt*, ait S. Bernardus, de convers. ad Cler. c. 18. *Væ filiis iræ, qui fideles se mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur, væ, qui ambulantes in carne, DEO placere non possunt, & placare velle præsumunt.*

PUNCTUM III. Denique 3tia circumstantia, quam admirari debemus, in conversione Magdalenæ, est fervor *amoris. Remittuntur ei peccata multa*, ait ipse JEsus, *quoniam dilexit multùm.* Iste amor prorsus ardens, & flagrantissimus fuit principium omnium illarum sanctarum crudelitatum, quas deinde totâ vitâ suâ in seipsam exercuit, item jejuniorum, vigiliarum, humicubationum, ciliciorum, & mortificationis JEsu Christi, quam in corpore

suo

suo deinceps usque ad finem portavit. Omnia hæc, quæ nos adeó terrent, ipsius ordinaria, & familiaria exercitia, imò deliciæ erant. O bone DEus! quàm longè absumus ab ejusmodi piis, & sanctis excessibus, non tantùm vitam pœnitentem non ducimus, cum S. Magdalena, sed voluptatibus mundi frui, & pro commoditate nostra vivere volumus. O utinam saltem ea pati, & sufferre sciremus, quæ statui nostro necessariò annexa sunt, media sufficientissima inveniremus, ut, vel in sanctos etiam, evaderemus. Pro præparatione ad Missam roga JEsum Christum, ut in cor tuum, sicuti in cor Magdalenæ, infundat amorem pœnitentem, qui te omne id patienter sufferre faciat, pro ipso, quod tibi patiendum occurrit, ut deinceps etiam cum S. Ignatio Martyre, epist. ad Rom. dicere possis, *amor meus crucifixus est.*

FERIA SEXTA.

Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Joan. 11. 47.

De prudentia humana.

1. Consilia illius,
2. Defectus, quos committit.

PUNNCUM I. SPectaculum planè extraordinarium, & stupendum exhibet nobis hoc Concilinm con-

tra Christū congregatum. Illi, ex quibus constat, capita sunt religionis Judaicæ, quorum Præsidens erat summus Pontifex. Non examinatur in illo modus vivendi, neque doctrina Christi; admittunt multa, & magna ab eo patrata miracula fuisse, imò ipsimet convicti erant recentissimi circa illud, quod in persona Lazari contigit, miraculum hoc evidens erat, & inauditum, omnia illa, olim à Prophetis patrata, superans, & tale, quod convincere debuerat Judæos, ut crederent, JEsum Christum. verè Messiam, & Filium DEI esse. Nihilominus pro eo, ut in favorem illius sententiam ferrent, conclusio sit, eum mori debere. *Vos nescitis quidquam,* ait ad illos Caiphas; non cogitatis, quia expedit vobis, ut unus solus moriatur, ne tota gens & natio pereat, dum se vindictæ, & ultioni Romanorum exponit. *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem* En consilia, quæ mundus dat; quæ sapientia humana quam S. Jacobus, cap. 3. 15. *prudentiam carnis* nominat, invenit! *terrestris, animalis, diabolica, & inimica DEO* juxta S. Paulum Rom. 8. 7. Sit JEsus Messias, vel non; parùm hoc curat Caiphas; aliud non considerat, nec attendit; quàm Romanos; & quasi DEus minùs timendus foret, quàm homines; mavult illius indignationi, & iræ se expo-

exponere, condemnando innocentem ad mortem, quàm displicere Romanis, si crederet in Christum. O detestandam politiam! interim nimis quàm verum est, quod valdè multos sui imitatores habeat Caiphas: ex christianis, imò etiam ex Clericis, & Religiosis, sunt, quorum modus vivendi, & agendi plenus fictione, & simulatione est! patratur malum, quod in intentione habetur, & sub specioso prætextu boni cujusdam tegitur; monstrant exterius, amare se justitiam, & in corde, absconditam malitiam habent, quæ in causa est, cur non timeant violare legem DEI, & præcepta ecclesiastica, quoties occasio se offert, satisfaciendi passionibus suis, & ad finem sibi propositum perveniendi; modò alii hoc non advertant; unô verbô tam artificiosi, & ingeniosi sunt, ut perfectè sciant, alii apparere, alii esse. *Hujus mundi sapientia est*, ait S. Greg: Papa, *cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare.* Sed ut melius comprehendas, quàm falsa sit hæc sapientia, & quàm perniciosa ejus consilia;

PUNCTUM II. Considera defectus, & errores; quos committit; imò doctrina ipsius à diametro opposita est doctrinæ JEsu Christi; *quidquid in opere veritas appro-*

bat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat aït S. Gregorius, ſufficit, ſi principalia ipſius principia conſiderentur; ut hoc nobis certò perſuadeamus, docet hominem illum eſſe vecordem, & abſque intellectu, qui honores ultrò non quærat, vel ultro oblatos recuſet; eſſe aliquem omninò ſine ſenſu, qui voluptates non amet; qui iis non fruatur, dum poteſt; ſtultus ſit, oportet, qui paupertatem amat, & eam divitiis præfert; oportere, unô verbô, omni conatu, & niſu, laborare, ut quivis in hac vita felix & beatus ſit &c. An non omnia hæc, & tota iſta ſtructura, doctrinæ morali Evangelii, extremè contraria ſunt? 2. virtutes illius aliud non ſunt, quàm quales erant paganorum, & philoſophorum virtutes, quæ foris apparebant, intus verò nil ſoliditatis, nil veritatis habebant. Si patientiam aliquam in illatis injuriis præſefert, vindictam ſibi in corde reſervat; & ſi eas quandoque ſuffert, ideo fit hoc, quia mediū non invenit, quomodo ſe vindicet. Teſtatur amorem aliquem in proximum, illū ipſum tamen non aliter, quàm, ſi etiam ſuus interſit, ſi ſigna quædam pietatis & religionis de ſe præbet, non niſi hypocriſis, & pura politia eſt; intus enim aliter diſpoſitum cor non habet. quàm quomodo mundo placeat, nullatenns autem DEO.

Deni-

Denique si aliquid sibi proposuit, nihil est in mundo, quod illi servire non debeat, ut id assequatur, sacrum sit, vel profanum, virtus, aut vitium, veritas, sive mendaciũ; nil eam cohibere vel retinere potest; omnibûs utitur, pro sua voluntate, modò exteriora speciem quamdã veritatis retineant, & ad finem præstitutum perveniant. Examina te super his defectibus humanæ prudentiæ, & vide, utrum renuntiaveris hisce maledictis principiis? ésne benè persuasus, quòd DEO ejusmodi principia maximo horrori sint, & quod omnes perituri sint, qui eisdem utuntur? *perdam sapientiam, & prudentiam prudentium reprobabo.* 1. Cor. 1. 19. Præparatio tua ad Missam sit, ut abomineris hanc falsam & DEO inimicã prudentiam; *sapientia carnis inimica est DEO, legi enim DEI non est subjecta; nec enim potest.* Rom. 8. 7. Roga divinum sponsum animarum, qui complacet in eo, quòd se simplicibus communicare possit, pro hac gratia, ut in hac sancta simplicitate, & simplici sapientia ambulare possis, quæ adeò opposita est prudentiæ hujus sæculi, ùt Gregorius notavit; *at contrà sapientia justorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera, ùt sunt, diligere, falsa devitare.* En, quâ sapientiâ indigeas! ne cesses eam à Domino petere; *si quis vestrûm indiget sa-*

pientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter. Jac. 1. 5.

DIE SABBATHI.

Si quis mihi ministrat, me sequatur ; & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Joan 12. 26.

De imitatione Jesu christi.

1. Exemplar est, quod imitari debemus.
2. Quàm efficax sit ad ingerendum nobis amorem virtutis.

PUNCTUM I. DUm Salvator noster ait: *qui mihi ministrat me sequatur*; proponit nobis juxta animadversionem S. Augustini tract. 57. in Joan. vitam suã pro norma & exemplari, qualiter nos vivere debeamus; quid est; *me sequatur? nisi me imitetur.* JEsus Christus originale nostrũ est; nos imagines ad illud factæ, esse debemus; dux noster est, vult ut in viis suis, non in nostris, ambulemus; *hoc est enim, me sequatur; vias ambulet meas, non suas.* Pergit S. Doctor. Grandis igitur occupatio, & labor Christiani, specialiter autem cujuslibet Clerici, hæc est, ut meditetur vitã, quã Salvator noster vixit, quãdiu in terra versabatur ; continuò præ oculis suis habere debet nobilẽ hunc Dominũ, ut profundè cordibus nostris insculpamus ideã actionũ suarũ, quæ nobis pro regula nostra vivendi, serviat. Considera nunc, quàm exemplaris, & ir-

& irreprehensibilis fuerit vita tam privata! quàm puulica Filii DEI; quomodo, dum etiam cum hominibus conversabatur, DEO unitus fuerit, quē contemptū divitiarum, & honorum hujus mundi? qualem horrorem voluptatū, & comoditatum hujus vitæ ostenderit? quàm prudens in verbis? quàm modestus in incessu? quàm continens in oculis? quàm sobrius in sumendo cibo & potu? quàm humilis in tanta, qua apud homines erat, reputatione? quám patiens etiā in gravissimis injuriis? quàm mitis & mansuetus in modo suo agendi fuerit? considerare eū vis etiam quoad vitā suā publicā? videbis, quales labores & defatigationes subierit, ut ministerio suo satisfaceret? quàm sedulus ac studiosus ad docendū homines viā salutis? quàm fervens in stabilenda pietate; in impugnando, & destruendo peccato? quàm zelosus pro gloria & honore Patris sui? quàm exactus in submittendo se ejus sanctissimæ ordinationi? quantæ charitatis ad lucrandas DEO animas? immensa, inflamata, invincibiiis, hæc erat, nullis neque tormentis, neque injuriis cedens En! quid in te exprimere debeas, ut boni Clerici officio, & obligationi satisfacias; *describe tibi in corde tuo, mores, & actus suos; quàm humiliter se habuit inter homines, quàm benignus inter discipulos; quâm modestus in*

edendo & bibendo; dicebat S. Bonaventura de instruct. Novit: part. 1. c. 32. junioribus suis religiosis, quos ad imitationem JEsu hortabatur: *in omnibus factis & verbis illud exemplar respicias; incedens, stans, sedens; & comedens, tacens & loquens, solus, & cum aliis; hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium semper aliquid de ipso cogitare; unde vel provoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad amandum eum.* Fecistíne hæc omnia? ut verò exactior evadas in hoc puncto tanti momenti;

PUNCTUM II. Nota, quòd si exemplum Sanctorum tanti ponderis est, ad excitandū nos ad virtutē, Christi JEsu exēplum longè adhuc fortius, & efficacius esse; quia non solùm perfecta norma est, quā imitari debemus, & quā imitati sunt omnes Sancti, quales nimrū non evasêre, nisi quia vestigiis ejus inhæserunt; sed insùper dat nobis vires, ut currere valeamus in stadio virtutū; & ipse solus est, à quo perfectionē & consum̄ationē illius, ac coronā cursui nostro debitam sperare possumus. Hinc invitat nos Apostolus, ut nunquā ab oculis nostris eū dimittamus, si ad æternam cum ipso gloriam pervenire cupimus, *curramus ad propositum certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem JEsum.* Hebr. 12. 2. Quemadmodū enim infantes

in suis iñocentibus conflictibus, continuò oculos suos, in Patrem suum defixos habent, discipuli in magistrum, eorum motus & actus observando, sic etiam in sancto curriculo sacerdotii, quod amplexi sumus, si currere volumus debitè, & prout oporret, ut propositam coronam & bravium assequamur, oculos nostros in JEsum conjicere debemus, authorē, & consumatorē fidei nostræ, hanc enim ipse cordibus nostris infudit, rogare ergo illū debemus, ut eā per charitatē, operatricem in nobis, facere dignetur. *Non vos me elegistis!* dicebat discipulis suis Joan. 15 16. *sed ego elegi vos.* Omnia in nobis incepit JEsus Christus; igitur omnia etiā finire, & ad bonū exitū perducere debet. Inseparabiliter igitur ei inhæreamus, non absterreat nos crux ipsius; ipse enim *sustinuit crucem confusione contempta.* Habitus fuit & tractatus instar impostoris & blasphemi; despicere eū volebant ex parte parentū suorū, exprobrando illi vilitatē & paupertatē illorū, patria etiā ipsi objiciebatur; pro seductore habitus fuit, ut doctrina illius redderetur odiosa. Totū hoc sustinuit, ut nobis consolationi esset, si similiter ab hominibus tractemur, ait Augustinus in Ps. 63. v. 7. *hoc appellabatur nomine Dominus JEsus Christus ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores.*

An autē meliorē & pro Chriſto JEſu gratiorē præparationē ad S. Comunionē afferre poſſes, quàm ſi ei conteſteris magnū illud deſideriū tuū, eū imitandi, rogando eū humillime per ſumā charitatē illā, quâ ad nos venire dignatur, ut nobis imaginē quamdā vitæ ſuæ divinæ, ac omniū virtutū imprimere velit; ut illā tandē & ipſi in nobis exprimere, & oculis fideliū exponere valeamus, per ipſa opera noſtra bona, eis dicendò, quòd S. Paulus & verbo & exemplo ſuo ad Corinthios 1. ep. 4. 16. ajebat;; *imimitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti,*

DOMINICA PALMARUM.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21. 5.

De ingressu Christi Domini in animas nostras per S. Communionem.

1. Hunc annuntiare debent Clerici populo.
2. Quid eos facere oporteat, ut eum triumphalem, & glorioſum reddant?

PUNCTUM I. RENovat hodie Eccleſia, iſtâ Dominicâ Palmarū (quæ verè talis eſt, quia tales in manibus noſtris portare ſolemus) per hanc cæremoniā, memoriam triumphalis illius ingreſsûs Chriſti Domini in Jeruſalem, dum totus quaſi mundus ei obviā proceſſit, portantes palmas, in manibus ſuis, in ſignum læti-

lætitiæ, & cantando in ipſius honorem, cantica laudis & benedictionis. Monet, & hortatur nos per hoc, ut aliũ illius ingreſsũ, nimirũ in animas noſtras, per S. Communionẽ, adhuc nobiliorẽ, & ſplendidiorẽ faciamus. Clerici, qui miniſtri ſunt JEſu Chriſti, obligationẽ habent denuntiandi populo hunc ſuũ triumphum, & añuntiandi hunc ſuũ adventũ animabus fideliũ, per filiã Sion præfiguratis. *Dicite filiæ Sion; ecce Rex tuus.* Manifeſtare, & declarare illis debent, qualis ſit Rex iſte, qui eos viſitare dignatur, & quòd plenus ſit miſericordia & manſuetudine, quódque æquè pro minimo, ac pro maximo adveniat. *Venit tibi manſuetus*; quòd non ſolùm ſit manſuetiſſimus, ſed humillimus ex omnibus Regibus, quantum ad ſuũ apparatũ, ſiquidẽ ad nos venit ſub apparentia parvæ cujusdã hoſtiæ, & ſub vilibus ſpeciebus panis, figuratâ per hunc ipsũ adeò humilẽ ingreſsũ ſuũ in Jeruſalẽ, *ſedens ſuper aſinam.* Ah! quid non facere nos oporteat, ad recipiendũ condignè tam bonũ Regem! vide jam, quid per hanc Quadrageſimã feceris, ut populũ tuũ diſponeres ad dignã Coñunionẽ Paſchalẽ! fuiſtíne exactus in tradendo Catechiſmo, ſeu inſtructione quoad Sacramẽta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ? ut omnes parvi & magni, docti & indocti benè uti va-

leant

leant hîs duobûs Sacramentîs? quia verò hoc ipsū tempus modò est, quô ejusmodi doctrinæ in praxim deduci debeant;

PUNCTUM II. Considera Clericos, præsertim illos, qui confessionibus audiendis vacant, multùm conferre posse, ut hunc ingressū JEsu Christi per sacrā Comunionē, in animas fideliū, reddant triumphalē, & gloriosū. Meminisse ad hunc finē debent, Christū discipulis seu Apostolis suis mandâsse, ut solverent asinā & pullū ejus, eosque ad ipsū adducerent; *solvite, & adducite mihi.* Per quod insinuatur, quòd tanquam successores Apostolorū solvere non debeant peccatores, nisi ad ipsius mandatū, observando, & sequendo regulas illas, quas nobis in Evangelio quoad hoc reliquit, & ab Ecclesia præscriptæ sunt. Debent fidelibus inspirare magnā reverentiam erga JEsum Christū ad exemplū populi hujus, *qui straverunt vestimenta sua in via.* Monere debent eos, ut palmas in manus suas sumant, id est, postquā victoriā de passionibus reportarunt, exhortari eos debent, ut obviā illi eant, per fervorē devotionis, per actus laudis, fidei, desiderii amoris &c. Ac sibi caveant, ne tam infelices sint, ut perfidiā Judæorū imitentur, qui; etsi priùs cum gaudio & lætitia Christum exceperint, postea tamen eū crucifixerunt. Ah! quoties adhuc

huc isto Paschalis Comunionis tempore, à multis crucifigitur Christus? sive deinde per eos, qui indignè proximo die Sabbathi ad SS. ordines recipiendos accedunt; sive per comuniones, & confessiones sacrilegas multorū laicorū? quot oscula Judæ ei dabuntur? quot Herodes & Caiphæ erunt, qui Christū ad se recipiunt, ut ei illudant? vide, & cave, ne saltem talia ex tua conniventia & negligentia accidant; quia valdè timendū est, ne vel hoc maximè tempore magìs inhonoretur, & offendatur, quo vel maximè honorari deberet. Con. Lateran. c, *omnis utriusque sexus*. Scito, Ecclesiā tibi permittere, ut ipsā etiam Comunionē Paschalē differre possis ad magis probandos pœnitentes tuos, & ad impedienda sacrilegia; quæ per præcipitatas absolutiones contingere possent, præsertim apud eos, qui consuetudinarii sunt, vel semel tantùm in anno confiteri, & quidē coactè solent. Pro Missa tam in præparatione, quàm in gratiarū actione, vide, ut JEsum crucifixūm intimè in animo tuo habeas, quò possis peccatoribus ingenerare verū, & magnū horrorē de suis sceleribus; offer te una cum divino Salvatvre tuo, in sacrificiū, tam pro tuis, quàm pro peccatis populi, quæ nimirū extiterunt causa mortis ejus. Hoc ipsū facere deberet quilibet saserdos, quoties cele-

celebrat, maximè autem hoc sacratissimo tempore. *Debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Hebr. 5. 3.

FERIA SECUNDA.

Hoc sentite in vobis; quod & in Christo JEsu. Philip. 2. 5.

DE HEBDOMADA SANCTA.

1. Quam obligationem habeamus; eam sanctè transigendi.
2. Praxis id faciendi.

PUNCTUM I. QUando Apostolus dicit, ut idem sentiamus, quod JEsus Christus, indicat nobis, quòd ejusdem cum illo Spiritûs esse, & nos cum illo conformare debeamus, si illius esse volumus; nam, prout alibi dicit, *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Sed, si nunquam hoc ipsum sentire debemus, id nos præsertim, hâc septimanâ sanctâ, facere oportet, ubi magnū ac grande illud opus redemptionis nostræ consummavit, ubi Ecclesia deplorat mortem sponsi sui, per tot lugubres cantus, & cæremonias; ubi nobis ante oculos nostros ponit totū id, quod pro nobis passus fuit; *in misericordia æterna misertus sum tui.* An non igitur moveat nos talis, tantáque misericordia? si hujus oblviscamur, an non vel ipsi muri, & lapides templi insensibilitatem nostram

nostram nobis exprobrabunt? *etiam lapides clamabunt* Verùm particularis aliqua ratio, seu causa adhuc magìs obligat Clericos, ut tempus hoc sacrosanctum sanctè transigant; nimirum, quòd cæremonias Ecclesiæ hâc sanctâ septimanâ consuetas obire debeant, quarum sensum & significationem comprehendere utique debent, ut eas dignè, & cum ædificatione populi obeant. Debent insuper, si Confessarii sunt memores esse, specialiter hoc tempus ab eis exigere, ut peccatores cum DEO reconcilient; *dedit nobis ministerium reconciliationis.* 1. Cor. 5, 28. Quod sanè nos ad hoc obligat, ut nos integrè sacrificemus servitio proximi nostri, quemadmodum ipse Dominus noster JEsus Christus ipsū pro nobis obtulit, & sacrificavit.

PUNCTUM II. Considera, Clericum, ut tempus istud sanctè transigat, debere imò exactè interesse divino officio; diutiùs insistere meditationi passionis Salvatoris nostri, & hanc devotionem etiam populo inspirare; *erit semper vita tua quasi pendens ante te.* Deuter. 38. 36. ac in hunc finem manere in solitudine quadam spirituali, subtrahere se à societate hominum; abstinere ab occupationibus, & negotiis exterioribus, neque necessariis, neque utilibus; rigorosiùs jejunare, & alias insuper

morti-

mortificationes voluntarias in ſe ſuſcipere, ſecundùm conſiliū Patris, ſeu Directoris ſui ſpiritualis; *univerſi ſiquidem Chriſtiani hac ſeptimana, aut præ ſolito, aut præter ſolitum, pietatem colunt; modeſtiam exhibent, humilitatem ſectantur, induunt gravitatem ut Chriſto patienti quodammodo compati videantur*, ait S. Bernardus fer. 4. hebd, S. ſerm. de Paſſ. Quid ergo non faciant Religioſi & Clerici? 2. renovare oportet zelum noſtrū pro ſalute animarum; corrigere abuſus; auferre ſcandala; componere lites, terminare proceſſus judiciales; reconciliare inimicos; uno verbo; benè uti hoc tempore, ubi peccatores per veram & ſinceram converſionem ad DEum convertendi ſunt; *quis enim tam irreligioſus*. pergit S, Bernardus ibid. *qui non compungatur? quis tam inſolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam delicioſus, ut non abſtineat? quis tam flagitioſus, ut non contineat? quis tam malitioſus, ut non pœniteat his diebus?* ſine dubio difficilia ſunt ejusmodi exercitia bonorū operū; visne autē hac ſeptimana recuſare aliquid pati, in qua tanta ſuſtinuit], & paſſus eſt filius DEI? visne tempore hoc meſſis iners ſtertere, ubi *meſſis multa, & operarii tam pauci* ſunt? accede igitur ad altare tali cum præparatione, ne tibi Dominus exprobret illud, quod ſcriptum eſt;

torcu-

torcular calcavi solus, & de gentibus, non est vir mecum; circumspexi, & non erat auxiliator; quæsivi, & non fuit, qui adjuvaret. Is. 63. v. 35.

FERIA TERTIA.

PASSIO D. N. I. C. IN HORTO OLIVARUM.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Marc. 4. 34.

1. Dolor, quem de peccatis nostris sentit.
2. Contritio, quam nos de illis habere oportet.

PUNCTUM I. INcepit JEsus passionem suã in horto olivarum, ubi sciebat, Judam, qui se obligabat, se eum inimicis traditurũ, venturum. Dum exspectavit horam, in qua debebat sacrificare corpus suum, suppliciísque illud exponere, immolabat interim animam suam Patri suo, eique offerebat sacrificium cordis contriti, & humiliati; segregatus itaque parumper à suis Apostolis, procidit in faciem suam, & tribus horis perseveravit in profundissima & ferventissima, quæ unquam fuerit, oratione. O quis dicat, quales fuerint affectus? quis sensus animæ illius hoc tempore? mysterium est, quod nos penetrare non possumus. Sufficiat nobis scire, quòd pondus & onus, quo tunc premebatur DEI Filius, omnia

noſtra peccata, & mundi totius crimina fuerint; *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Iſ. 54. 5. Dici poteſt, eum coram Patre ſuo in iſta occaſione apparuiſſe non ſolùm, ùt ſceleratiſſimum ex omnibus hominibus, ſed talem, qui omnium prorſus hominum pec cata, ſolus in ſe habuerit. *Omnes quaſi oves erravimus; unusquiſque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitatē omnium noſtrûm.* Ibid. v. 6. O quis computare, aut numerare poſſit peccata totius mundi, dicamus, minùs quid, quis vel ſola peccata noſtra dinumeret? & propter tot, & tanta peccata; pro tot peccatoribus, cor JEſu affligitur, & contriſtatur; quis miretur poſt hæc, ſi Jeremias Propheta dicat, contritionem illius, inſtar vaſti maris, immenſam, & abſque fundo, fuiſſe? *magna eſt velut mare, contritio tua; & quis medebitur tui?* Thren. 2. 13. ſic etiam Evangelium advertit, quod ſanguinem & aquam ſudârit in horto iſto, præ exceſſu quodam triſtitiæ, cujus rei exemplum in nullo alio homine legimus, ſiquidem nullus unquam hominum, tanto dolore perculſus fuit, ac Chriſtus JEſus, in his circumſtantiis. Adoremus divinum hunc Salvatorem agonizantem, & præ dolore, noſtri causâ, quaſi morientem, &

PUN-

PUNCTUM II. Discamus exinde, qualis debeat esse contritio, quam nos de peccatis nostris habere oportet. Perpendamus ex eo, quod in Christo factum est, qui solùm apparentiam peccatoris habuit, quid à nobis fieri deberet, qui reipsa, & veri peccatores sumus? *si hæc in viridi ligno fiunt, quid in arido fiet?* Luc. 23. neque nobis sufficiat, si tantùm nos hanc veritatem capimus, conemur illam etiam populo persuadere; specialiter illis, qui ad nos in tribunali pœnitentiæ, hoc tempore paschali, veniunt, ubi tot reperiuntur peccatores, qui hanc internam cordis contrìtionem, supremam, supernaturalem, universalem, & efficacem, ut oporteret, de peccatis suis non habent. Postulemus eam à Salvatore nostro tam severè pœnitentiam agente pro nobis, & pro aliis, O divine Salvator! qui per novam inventionem amoris tui deplorasti peccata mea sanguineis lacrymis in horto olivarum, dona mihi, quæso, saltem aquam lacrymarum, ut sint oculi mei duo fontes lacrymarum, ad deplorandum iniquìtates meas. Fac, ut considerans, quòd causæ fuerint agoniæ tuæ, talem de iis tristitiam, & afflictionem sentiam, qualem à me requiris. Ego me in manus tuas projicio, patientissime JEsu! qui ex amore talis peccatoris,

qualis ego ſum, tradidiſti te in manus DEI viventis, qui flagellis vindictæ ſuæ tam atrociter in te ſæviit! fac me id ſentire in meipſo, quod peccata mea merentur, ut poſſim tandem dicere cum quodam ſancto pœnitente: *ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Job. 6. 4. Pro præparatione ad Miſſam conſidera, quòd, ut dignè de calice iſto benedictionis participes, quem JEſus tibi præſentat, debeas pariter etiam participare de ipſius calice doloris, humiliter tolerando, quidquid DEO placuerit, ut patiaris pro peccatis tuis, dicens cum divino redemptore tuo, Matth. 26.42. *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.*

FERIA QUARTA.

PASSIO D. N. I. C. IN CIVITATE JEROSOLIMÆ.

Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Iſ. 53. 4.

1. Chriſtus patiens, animare nos debet ad ſatisfaciendum juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris.
2. Qua ratione id fieri debeat?

PUNCTUM I. DUm Paſſionem Domini noſtri hodie legis, ſubſiſte parumper ad ea! quæ in Jeruſalem paſſus eſt, ſiquidem civitas hæc ingrata, theatrum illud magnum fuit Paſſio-

nuu

num Christi, æquè ac planctûs, cujusdam Prophetæ, *popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Mich. 6, 3. Vide, quomodo per plateas infortunatæ hujus civitatis rapiatur, opprobriis variis, & maledictis affectus, à tali populo, cui non nisi bene semper fecit; tractatus ùt malefactor, perductus à tribunali uno, ad aliud, quin ullus fuerit, qui defensionem illius in se susciperet. Quid non toleravit apud Caipham, Pilatum, & Herodem? perlustra hæc omnia in spiritu, & verum reperies id, quod dictum fuit per Jeremiam Prophetam, quòd nullus unquam fuerit dolor, similis huic; *attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. 1. 12. Quia nil dicendo de variis convitiis, sputis, & colaphis, vel sola illius flagellatio horrorem & tremorem alicui causat. Sufficit dicere, Pilatum putâsse, sic se placare posse furorem, & rabiem Judæorum, per istam crudelem tractationem, per quam talis effectus fuerat, ut non nisi leproso similis fuerit, neque speciem, neque decorem ullum hominis amplius habuerit; *& nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum.* Is. 53. 4. 5. Ecce! quanti constiterint Christo Domino peccata nostra; omnibus nimirum tormentis se exposuit,

ut illa expiaret; *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Et nos, qui culpabiles, & rei sumus, nil tolerare volumus? discamus itaque hodie à DEO patiente, modum, quo pro peccatis nostris satisfacere debeamus.

PUNCTUM II. Scire debemus 1mò quamvis Christus JEsus justitiæ divinæ, pro peccatis nostris, satisfecerit, & satisfactio illius infiniti fuerit meriti, illum tamen dispensare noluisse nobiscum, ut nullam pro iis ageremus pœnitentiam. Imò è contrario obligat nos, ut satisfactionem nostram satisfactioni suæ conjungamus; hinc dicebat S. Paulus, Coloss. 1. 24. *adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne mea.* Nil deest Passionibus Christi, nisi unio seu conjunctio Passionis, hoc est, ut & nos, in nobis ipsis, etiam puniamus, peccata, pro quibus ille tanta passus est. 2dò scire debemus, peccata, pro quibus nos satisfacere oportet, illa esse, quæ post baptismum comisimus; hinc SS. PP. prout Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. annotavit, Sacramentum pœnitentiæ, *baptismum laboriosum,* vocarunt, quia nimirum poena æterna, quam scelera nostra merentur, in pœnam temporalem, quam subire debemus, mutatur. 3tiò satisfa-

ctio

ctio nostra, duas habere debet qualitates. 1ma ut sit remedium & cautela in futurū, ita, ut virtutes contrarias vitiis illis, quibus subjecti eramus, exerceamus; *sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à DEO; decies tantùm iterum convertentes requiretis eum.* Baruch. 4. 28, 2da ut sint castigatio pro præterito, hoc est, quòd poenitentiam agere debeamus, secundùm proportionem enormitatis, numeri, & durationis peccatorum à nobis comissorum; *quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus; alto vulneri, diligens ac longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit,* ait S. Cyprianus de Lapsis. Vide, quomodo te quoad hoc punctum, tum erga te, tum erga alios gesseris? dixistine ad peccatores illud S. Joannis, Luc. 3, 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*? adimplestíne fideliter ipse eas, quæ tibi impositæ fuerūt, poenitentias? ah! pro eo, ut contra illas conqueramur, eas differamus, aut diminuamus, potiùs debuissemus, & adhuc deberemus illas augere, per certa quædam opera bona superaddita, siquidem illæ, quæ nobis imponuntur hodiedum, tam leves sunt, & adeò distant à rigore veterum canonum. Accêde cum hac dispositione, & præparatione ad altare; memor, quòd participare debeas de Passione

Salvatoris, cujus Passionem in Missa renovas, si etiam gloriæ ipsius particeps esse velis, *si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Rom. 8. 17.

FERIA QUINTA.

Sciens JEsus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo, ad Patrem; cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. 1.

De institutione sanctissimæ Eucharistiæ.

1. Amor, quem nobis Christus in illa demonstrat.
2. Quid amor iste à nobis requirat?

PUNCTUM I. QUod in hac sancta die institutionis sanctissimæ Eucharistiæ facere debemus, hoc est, ut laudemus, & extollamus bonitatem Salvatoris, in hoc ineffabili dono, quod Ecclesiæ suæ contulit. *Nihil omisit*, ait S. Joan. Chrysostomus, in Joan. c. 13. *quod vehementer amantem deceret.* Etsi super hac institutione reflexionem faciamus, inveniemus, quòd ostenderit nobis in hoc sanctissimo mysterio, amorem *sine reservatione*, *sine proprio interesse*, *sine fine.* Amavit nos *sine reservatione*, quia sub speciebus panis & vini, nobis id totum, quod ipse est, corpus suum, suum sanguinem, animam suam, suas gratias, merita

merita ſua, imò ipſam quoque divinita-
tem ſuam. An non jure merito cum
Guerrico Abbate, in Feſt. Pentec. ſerm.
1. inter op. S. Bernardi, exclamet quis:
*ô DEum! ſi fas eſt dici, prodigum ſui, præ de-
ſiderio hominis! an non prodigum, qui non
ſolùm ſua, ſed & ſeipſum impendit.* 2.
Amavit nos *amore* òmninò *puro*, abſque
omni proprio ſuo emolumento; ut hoc ca-
piamus, aliò opus non eſt, quàm ut re-
cordemur, ipſam tunc noctem, ſeu vigi-
liam paſſionis ſuæ fuiſſe, dum hoc ſan-
ctiſſimum Sacramentum inſtituit, *in qua
nocte tradebatur*, ait S. Paulus, illo ipſo
tempore, quo congregati erant Judæi,
ut eum morti traderent; & Judas cum
meditabatur, & excogitabat occaſionem
favorabilem, ſeu opportunitatem, traden-
di eum inimicis ſuis. Itaque hoc fecit
tunc, ubi ſummam & extremam in-
gratitudinem ab hominibus, patiebatur,
& eo tempore, quo dignos ſe reddebant
ſummâ illius indignatione & irâ, quia ve-
rò divinus hic Salvator, non niſi cogita-
tiones pacis, & miſericordiæ cogitabat,
voluit extrema illius ſigna dare; & non
obſtantibus tot ſacrilegiis ac profanatio-
nibus, à malis Chriſtianis, imò ab ipſis e-
tiam ſacerdotibus, ſucceſſu temporis, cir-
ca hoc Sacramentum committendis, vo-

N5 luit

luit nobis relinquere divitias amoris sui, & breve compendium omnium suorum mirabilium, prout Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 2. loquitur: *in quo divitias divini sui erga homies amoris effudit, memoriam faciens mirabilium suorum.* 3. Denique institutio ista effectus fuit amoris cujusdam extremi, *& absque fine*, quem melius explicare non possumus, nisi cum S. Joanne, dicendo: *cùm dilexisset suos, usque in finem dilexit eos.* Hoc est, quòd, quasi sufficientia signa amoris sui DEI Filius non dedisset, per hoc, quòd factus sit homo, subjeceritque se omnibus nostris miseriis; voluerit insuper, cùm jam abitum pararet, ex hoc mundo, brevì póst in cruce moriturus, satisfacere amori suo & eousque eum intendere, quò possibile esset, in infinitum *usque in finem.* Et propterea perpetuum reddidit id omne, quod pro nobis fecit; non contentus enim erat, semel tantum pro nobis natum fuisse; inter nos vixisse & in sacrificium pro nobis oblatum, & mortuum fuisse, sed instituit tale Sacramentum, per quod singulis diebus renascere-tur, nobiscum conversaretur, & sine fine mortem, ac sacrificium renovaret; & hoc Sacramentum est illud sanctissimae Eucharistiae, per quod revera, in singula momenta, de novo producitur, seu nascitur

in

in manibus ſacerdotum ; per quod perfe-
ctè & efficaciter implet promiſſum ſuum,
quòd nunquam nos derelinquere velit, ſed
nobiſcum permanere uſque ad conſum̃atio-
nem ſæculi , per quod tandem omni tem-
pore, in omni loco, offertur, ùt hoſtia ſan-
cta, & victima perfecta , cujus perpetuum
ſacrificium, DEO Patri, omnem illam glo-
riam reddit, quam meretur, & ſuperabun-
danter , peccata totius mundi, expiat. O
Domine ! ingratus plenè debet eſſe , qui
tanti beneficii obliviſci velit; ſed quia Cle-
rici maximè de hoc myſterio participant,
& ad illud adminiſtrandum ordinati ſunt;

PUNCTUM II. Reflecte te parumper
quid omnium optimè facere valeas, ut in-
finitæ charitati, quam DEI Filius nobis in
hujus Sacramenti inſtitutione teſtificatus
eſt, debitè correſpondeas ? imò debes ha-
bere ſingularem devotionem, hodierna die,
eámque ſingulis feriis quintis per annum
renovare, ob memoriam hujus inſtitutionis,
per exercitium quorumdam bonorum ope-
rum. Quia in hac die propriè loquendo
incepit ſacerdotium novi teſtamenti , &
fundatum fuit miniſterium eccleſiaſticum ,
cujus ſacras functiones ipſe Salvator pri-
mus hodie peragere voluit, imprimis Epi-
ſcopi ; ordinando Apoſtolos ſuos, in Pres-
bytetos; ſacerdotis, conſecrando panem &

vinum;

vinum; diaconi, diſtribuendo, & porrigendo calicem ſuis Apoſtolis; ſubdiaconi, lavando illorum pedes, & dum ipſe materiã ſacrificii ſui præparavit. 2. Debes huic divino Pontifici gratias agere, quòd, cùm non habeat hoſtiam pretioſiorem ad offerendum, quâm ſuum proprium corpus, neque ſemper apud nos permanere poſſet, ut in perſona propria illam offerret, voluerit nos in locum ſuum ſubſtituere, ut perſonam ipſius repræſentemus; ipſius nomine hoc ſacrificium offeramus, ut adeò hæc oblatio uſque ad finem ſæculorum continuetur; dando hanc poteſtatem primariò ſuis Apoſtolis, & conſequenter omnibus iis, qui futuri eſſent, legitimi eorum ſucceſſores, per hæc verba, Luc. 22. 19. *hoc facite in meam commemorationem*, 3. Habere debes ſpecialem prorſus reverentiam erga omne id, quod auguſtiſſimum hoc Samentum concernit; item quoties ad illud accedis, ſive ad celebrandũ, ſive ad comunicandum, ſive ad audiendam Miſſam, eodem ſpiritu omnia hæc peragere debes, quo id egit Chriſtus, quando dixit, *quod pro vobis datur*, ibid. quæ ſtatim poſt illa verba addit: *hoc eſt corpus meum*. Ut oſtenderet, eos, qui hæc verba, ſuo nomine, pronuntiant, idem ſecum ſentire, hoc eſt, paratos eſſe debere, & ſanguinem ſuum, & vitam

ſuam

ſuam, pro gloria DEI, & peccatis populi, dare. Anne cum tali diſpoſitione ſemper acceſſiſti ad altare? vide, ut ſaltem ita diſpoſitus ſis, & paratus. Pro Miſſa, ſcire debes, omnes ſacerdotes hodie de manu celebrantisCom̃unionem accipere, ut Apoſtolos repræſentent, qui eandem de manu Chriſti JEſu acceperunt. Com̃unica hodie novo cum fervore, ut ita primum hoc ſacrificium Salvatoris honores, & conformem te reddas primo huic ac ſupremo ſacerdoti; cujus locum tenere, tibi gratia facta eſt; *ſic fiat ſacrificium noſtrum, in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine DEus.* Daniel. 3. 40.

FERIA SEXTA,

PASSIO D. N. I. C. IN MONTE CALVARIÆ.

Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. 8.

DE PASSIONE DOMINI.

1. De illa, omnibus diebus vitæ noſtræ cogitare deberemus.
2. Pauci chriſtianorum, imò & Clericorum de illa cogitant.

PUNCTUM I. QUia crudele ſupplicium flagellationis, furori & inſaniæ Judæorum, ſatisfacere non potuit, petierunt à Pilato, ut JEſus cruci-

crucifigeretur Pilatus dedit eum voluntati eorum; imposuerunt igitur illi crucem, obligando eum, tanquam alterum Isaacum, ad portandum lignum suum, super quo sacrificari, & consumi deberet, usque in montem. Postquam ad summitatem montis pervenit, qui instar altaris, pro hoc divino sacrificio, servire debuerat, permisit divinus iste agnus, tali cum patientia, cruci se affigi, ut ex ea nimis clarè elucesceret, quòd esset DEI Filius; *patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret*, ait Tertullianus l. de patient. c, 4. Cùm itaque suspensus per tres horas mansisset, & Patri suo spiritum suum commendasset, tandem exspiravit. Non opus est plura dicere, præcipuè Clericis, qui hoc in Missali legunt, & qui in cæremoniis Ecclesiæ, omnes circumstantias passionis Salvatoris sui intuentur; totum per hoc dicitur, si mors Christi hac die nobis ante oculos ponatur; omnisque meditatio nostra hujus diei, esse debet, ut stupore attoniti, & in profundo silentio, permaneamus, dum DEI Filium in cruce exspirantem pro salute hominis cernimus. O divine pastor animarum! an ita vitam tuam das pro ovibus tuis! o innocens agne! victima omnino pura, & voluntaria! itane te ipsum immolas loco hircorum,

id

id est, peccatorum, qui mortem promeriti sunt! o mors vere pretiosa, in oculis DEI, & Angelorum, quae vitam das hominibus, & primam pulchritudinem toti universo; quae adeò fructuosè cuncta reparas! quid facere possum ego, ad te honorandum, & ad gratitudinem meam tibi contestandam, quàm ut te adorem, mediter, benedicam, & sine fine gratias agam illi, qui mortuus fuit, ut in me peccàtum moriatur! & ab aeterna morte me liberaret. Verùm; estne haec occupatio nostra? sine dubio, non.

PUNCTUM II. Scimus quidem JEsum Christum, pro omnibus nobis, morti traditum esse; *pro nobis omnibus tradidit illum*, Rom. 8. 32. Quòd peccata nostra causa fuerint omnium eorum, quae in cruce pertulit; *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 1. Petri 2. 34. Et tamen, & passionis, & mortis suae, obliviscimur; *ecce moritur justus, & non est, qui recogitet in corde suo.* Is. 57. antiquus planctus est Prophetae in futurum; quem multi Sancti postea renouarunt. Narratur de S. Francisco Assisinate, quòd quadam die inventus fuerit, totus extra se raptus, & perfusus lacrymis, identidem verba ista repetens: *JEsus Christus mortuus est pro nobis, & nemo de hoc cogitat.*

gitat. Et ſanè, injuſtitia; & ingratitudo prorſus ſtupenda eſt, ita obliviſci eorū, quæ JEſus Chriſtus pro nobis paſſus eſt, crucifixusfuit inter duos latrones;& in ipſa agonia ſua doloribus mortis oppreſſus, de nobis cogitabat; pro nobis patiebatur; ſe ipſum offerebat, ad omnem aliam adhuc crudeliorem mortem pro nobis ſubeundam, ut nos à morte æterna liberaret, & vitam æternam ac beatam nòbis procuraret; interim, quis eſt, qui ſe hiſce occupet? qui de hoc cogitet? qui talia pro meditatione ordinaria aſſumat? non loquor ſolùm de chriſtianis, qui negotiis ſæcularibus diſtenti ſunt, loquor de Clericis, & ſacerdotibus, qui quotidie memoriam paſſionis hujus ad altare renovare velle, profeſſionem faciunt. Dicitur Miſſa abſque ulla reflexione, & attentione ad myſterium illud, quod ibi repræſentatur. Dicamus plus; dantur Clerici, qui adeò non meditantur, neque adorant JEſum crucifixum, ut potiùs aliud non cogitent, quàm quomodo ipſi diſpliceant; ipſum offendant, ac de novo crucifigant. An major dici, vel excogitari poſſit ingratitudo? reſolve te igitur ad inſtituendam quotidie parvam quamdam reflexionem ſupra paſſionem JEſu Chriſti, & ad inſpirandam populo hanc

ipſam

ipſam devotionem. Noli te excuſare, per neceſſitatem, quam habes, ſtudiis incumbendi; meliùs eſt minùs ſcire, imò omnia alia ignorare, cum Apoſtolo, & JEſum Chriſtum probè ſcire; & hunc crucifixum. *Non enim judicavi me ſcire aliud inter vos, niſi JEſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2. 2.

SABBATHO SANCTO.

Abſorpta eſt mors in victoria. 2. Cor, 15. 54.

De victoria Christi.

1. Chriſtus victor extitit de morte, dæmone, & inferno.
2. Arma, quæ nobis reliquit, vincendi inimicos ſalutis noſtræ.

PUNCTUM I. ADoremus hodie Chriſtum, in illo ſtatu, quo eum mortuum nobis repræſentat ecclesia; adoremus ſanctiſſimum Corpus illius, in ſepulchro, tanquam carnem ſanctam, victimæ DEO immolatæ, quæ corruptionem videre non poterat, ſed reſuſcitanda erat ad gloriam & immortalitatem. Adoremus animam illius ſanctiſſimam, quæ in limbum deſcendit, ut viſitaret, ac liberaret eos, qui in juſtitia ſeu ſanctitate, ex hac vita diſceſſerunt. Revereamur tamen ſimul triumphum divini hujus Salvatoris ob victoriam de morte,

no reportatam. *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne.* Osèe 13. 14. Non solùm perdidit mors stimulum suum; sed ipse etiam dæmon, qui, sub imperio suo, mortem, & omnes homines, sub servitute sua tenebat, ex integro humiliatus, & victus à Salvatore mundi fuit, qui mortem pati voluit, ut nos ab hac crudeli servitute liberaret; *ut per mortem*, ait S. Paulus, Hebr. 2. 14. *destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* O qualis confusio! quæ rabies hujus principis tenebrarum, dum se adeò privatum, spoliatum & per eum condemnatum vidit, quem ipse eliminare cogitabat! *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; Joan. 13. 31. sed è contrario, quantū prodigium! videre hunc divinum Salvatorem penetrare, ac *descendere in inferiores partes*, ait S, Paulus, *terræ*, & tantum gloriæ suæ, usque ad umbram mortis, deferre, ut ab illa, seu è carcere subterraneo, quem nos limbum appellámus, felices hos captivos educat, tanto tempore illius adventum præstolantes, imaginare tibi tunc, quale fuerit gaudium, beatarum istarum animarum, quas Dominus noster consolatione replevit, dum interim præsentia illius reprobos, ac ipsos dæmones horrendum perterrefecit. Participa de hoc eorum gaudio, & gratias huic

divino

divino Salvatori age, quod participes fecerit homines, fructûs victoriæ suæ. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum JEsum Christum.* 1. Cor. 15. 57. &c.

PUNCTUM II. Disce hodie à JEsu Christo, quomodo inimicos salutis tuæ vincere debeas? si media ista scire cupis; vade, & inspice corpus pretiosissimum illius, in monte Calvariæ, quod Nicodemus, & Joseph ab Arimathia, totum sanguine perfusum, de cruce solvunt, & deponunt. Probè considera, & expende omnia, quæ ad illius supplicium deservierunt, contrecta clavos, spinas, lanceam, & reliqua instrumenta passionis. Præ omnibus autem attende illius patientiam, humilitatem, & obedientiam, quam usque ad mortem, & quidem mortem crucis, exercuit. En arma! quibus ad terram prostravit potestates inferni; *expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Coloss. 2. 15. Vide arma illa quæ nobis reliquit ad debellandos inimicos nostros! hoc fiet per crucem, & per exercitia mortificationis; *in hoc signo vinces* Quomodo iis usus fuisti per hanc quadragesimam? anne jejunia, preces, instructiones, Sacramenta, quæ recepisti, te tibi ipsi, tuisque pravis inclinationibus mori fecerunt? attende! & si quid adhuc, de veteri

homine restaret; renuntia omnibus, antequam ad sacram mensam accedas, ubi manducabis carnes sacras agni immaculati qui pro te immolatus fuit, in altari crucis. Aspice etiam devotionem sanctarum mulierum, quae visitarunt sepulchrum Domini nostri, eásque imitare; memento, dum assistis benedictioni fontis baptismalis, quòd consepultus sis cum Christo JEsu, ut deinceps non jam tibi vivas, sed illi, renova protestationes, dum hoc primum Sacramentum suscepisti, à te factas, quòd olim adultis nonnisi in vigilia Paschatis, & Pentecostes conferebatur; quia autem resolutiones tuae valdè debiles & infirmae sunt, si gratiae divinae non innitantur, pete illam instanter à Christo Domino in hac triumphali die; ante omnia autem ora illum, ut extinguat in te omnes motus naturae tuae corruptae, ut dignus efficiaris cras cum illo resurgere; *si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus; simul & resurrectionis erimus*, Rom. 6. 5.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Surrexit, non est hic. Luc. 24. 6.

De resurrectione spirituali.

1. Resurgere debemus ad gratiam, quemadmodum Christus ad gloriam. 1. Signa Resurrectionis.

PUNCTUM I. HOmagium debitum Christo Domino, victori

ctori mortis & inferni, tam gloriosè resurgenti, ante omnia exhibeamus ! dicamus, & exclamemus cum omnibus Sanctis, quòd dignus sit agnus pro nobis occisus, *accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam. & benedictionem*, Apoc. 5. 12. Consideremus deinde, quem fructum ex hoc mysterio capere debeamus, totus fructus, quē Ecclesia à nobis exspectat, est, ut novam vitam incipiamus, & ad gratiam, quemadmodum Christus ad gloriam, resurgamus; *ut, quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. 4. Ut hoc fiat, debemus juxta doctrinam S. Pauli 1mò mori peccato; mortificare passiones nostras,; renuntiare vitæ animali ac sensuali, filiorum Adam, *hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. & ultrà non serviamus peccato.* Ibid. 6. Christus JEsus non intravit in gloriam suam, nisi postquam vitæ mortali mortuus fuerat; neque nos possumus vivere vitâ gratiæ & spiritûs, nisi postquam mortui fuerimus corpori & sensualitati nostræ; *si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini*, ait iterum Apostolus Rom. 8. 13. *Si autem spiritu facta car-*

nis mortificaveritis, vivetis. 2, Ambulare debemus in novitate vitæ; id eſt, debet mutatio aliqua in actionibus noſtris, & modo noſtro vivendi intervenire, ita quidem, ut, *ſicut portavimus imaginem terreni* hominis, *nunc portemus & imaginem cœleſtis.* 1. Cor. 15. 49. Reſurrectio eſt nova vita hominis novi, iſte novus homo cor ſuum, ſpiritum ſuum, oculos ſuos, aures ſuas, manus & pedes novos habet. Cor illius non vivit, niſi DEO; *mihi vivere Chriſtus eſt.* Philip, 1. 21. Spiritus aliter ſe non nutrit ; quàm æternitatem cogitando; oculi aliud non vident, niſi inviſibilia & ſpiritualia; aures non niſi, quæ ſalutis ſunt, audiunt; manus, nonniſi operibus bonis ſe applicant; pedes illius, id eſt, deſideria & affectiones non ſequuntur terrena iſta, ſed viam mandatorum DEI, alacriter, & cum gaudio currunt, En! quid intelligatur, per Reſurrectionem ſpiritualem! ſurreximusne ita hoc tempore Paſchali? quot ſunt, qui nonniſi apparenter reſurgunt; quibus idem applicari poſſet, quod à Samuele Sauli dictum eſt. *Quare me inquietaſti, ut ſuſcitarer?* 1. Reg. 28. 15. non poſſunt aliter, quia Eccleſiæ præceptum ita urget; quia adhortationi charitativæ paſtoris ſui reſiſtere non valent; dicunt: utamur Sacramentis, quia ita o-

portet

portet fieri; quia ad hoc coacti sumus, sed ejusmodi confessiones, & communiones nonnisi cæremoniæ quædam sunt, & plerumque Resurrectio ejusmodi hominũ vera non est. Alii verò quidem resurgunt, sed nonnisi ad modicum tempus, & ut brevi iterum moriantur, ùt Lazarus. Vix Festa Paschalia transiêre, & statim ad priores excessus revertuntur, & sic pauci sunt, qui verè ad gratiam resurgunt, quemadmodum Christus ad gloriam, dicere volo, ut ampliùs non moriantur. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Rom. 6. 9. Benè ad hoc attende, si confessarius es; non graveris dicere pœnitentibus tuis, quòd S. Bernardus serm. de S. Malachia dixit: *Pascha, transitus, non reditus est.* Adeò, ut si dignè festum hoc celebrare velitis, adeó benè ambulare, & progredi debeatis, ut antiquam viam, quam deseruistis, non repetatis ampliùs. Hinc JEsus è sepulchro suscitatus, nunquam ampliùs ad illud redit, & postquam à vita mortali ad immortalem transiit, non ampliùs priores infirmitates reassumpsit: *Christus non rediit, sed transiit; non remeavit, sed transmigravit.* Quia verò satis non est, si Clericus tantùm pro salute aliorum laboret;

PUNCTUM II. Te ipsum modò corã

DEO inſpice, & conſidera, utrum verè à morte ſurrexeris? tot jam anni ſunt, quibus tibi hoc Evangelium prædicatur, & quòd hoc ſolenne Feſtum Paſchatis celebres, qualem interim mutationem, in moribus tuis, videre eſt? quænam ſigna præteſers hujus tuæ Reſurrectionis? S. Paulus certa nobis dat in ſua epiſtola ad Coloſſenſes, ſuper quibus te examinare poteris. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt in dextra DEI ſedens, quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.* Coloſſ. 3. 1. & 2. Habésne hunc affectum & amorem pro cœleſtibus? hunc ſanctum affectum, qui tibi mundum hunc inſupportabilem reddat? hunc horrorem ſæculi, & omnium veritatum ejus? ſuſpirásne poſt JEſum? impatientérne toleras id omne, quod tibi impedimento eſt, ne eum poſſideas, illámque beatitudinem conſequaris, quam nobis promeruit? habésne curam iſtam, abſtinendi te à rebus iſtis terrenis, quæ affectione & amore noſtro indignæ ſunt, & nil aliud deſiderandi, quàm cœleſtia, pro quorum acquiſitione continuò laborare debemus? ſi ita eſt, tunc verè reſurrexiſti; ſi verò longè aliter conſtitutus, & comparatus es, an non meritò quis de tua Reſurrectione dubitare poſſit? vide ergo, ut adhuc

adhuc hodie te resolvas ad purificandum cor tuum ab hoc fermento malitiæ, quod corrumpit, ut fias nova conspersio, digna DEO consecrari, ad quod nos in hodierna epistola sua invitat Apostolus. Melius facere nil possumus pro præparatione ad Missam vel Communionem, quàm singula verba hujus textûs benè perpendere! *expurgate fœtus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* 1. Cor. 5. 7. Tempus est, ut spoliemus nos veteri homine, & novum induamus; ratio, quam S. Paulus affert, prorsus convincens est; *etenim Pascha nostrum immolatus est Christus JEsus.* Immolatus est Agnus iste divinus; nos manducare illum debemus, & pinguescere carne illius divina. Quænam non requisita sit puritas ad communicandum huic adorandæ victimæ, & ad assistendum huic convivio Agni immaculati! plus dicamus; non solùm manducamus Agnum sine macula; sed insuper conceditur nobis, ut ipsi etiam Agnum hunc immolare valeamus. Quæso! quid fortius, quid potentius dici possit, ad persuadendum nobis, vitam nobis prorsus novam; *itaque epulamini non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* Rogemus Do-

minum pro gratia ista.; *tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me.* Ps. 40. 11.

FERIA SECUNDA POST PASCHA.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni, Luc. 24. 34.

De resurrectione.

1. Certitudo Resurrectionis Christi, & nostræ.
2. Quàm nos confortare debeat veritas ista?

PUNCTUM I. INcipe Meditationem tuam ab actu fidei; crede firmissimè Resurrectionem mortuorum. Punctum hoc fundamentale totius Religionis Christianæ est, Tertullianus lib. de Resurr. cor. *fiducia Christianorum, Resurrectio mortuorum.* Ipse JEsus Christus sollicitè curabat, ut eam per authoritatē scripturarum contra Saducæos, qui illam negabant, stabiliret; plures integros discursus de hac materia cum Judæis habuit; sæpissimè de illa cum suis Apostolis & discipulis locutus est; in particulari eis suam prædixit Resurrectionem; manifestavit se eis pluries; & quodam die, plusquam quingentis discipulis, qui omnes mortui sunt, pro testimonio hujus veritatis, 1. Cor. 15. 6. & miracula, quæ ad illam confirmandam patrarunt, totum mundum ad fidem converterunt. Adeoque nullum de hac re dubium amplius superest,

est, ùt ait S. Augustinus l. 12. de civit. c. 8. *surrexit Christus, absoluta res est.* Porro si Christus, qui, prout Apostolus ait, primogenitus mortuorum est, *primitiæ dormientium*, 1. Cor. 15, 20. in, & cum carne sua surrexit, quam de nobis assumpsit, sequitur quòd etiam nos cum carne nostra surrecturi simus; ut adeò ipsius Resurrectio, certissima probatio, nostræ etiam futuræ resurrectionis sit. *Spera ergo*, concludit S. Augustinus, in Ps. 129. *in te futurum, quod præcessit in primitiis.* Dicamus hodie viva fide, id, quod longè ante adventum Salvatoris dixit Job: *scio, quòd Redemptor meus vivit; & in novissimo die de terra surrecturus sum; & circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEum meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius; reposita est hæc spes mea in sinu meo &c.* Job. 19. Eàmque è corde meo nunquam dimittam. En! veritatem talem, quæ sanè nos in omnibus miseriis vitæ hujus summè consolari debet, prout statim videbimus.

PUNCTUM II. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, ait S. Paulus 1. Cor. 15. 19. sed spes, quam habemus, melioris vitæ futuræ, in omnibus afflictionibus ac miseriis, quæ nos hìc exer-

cent,

cent, nos consolatur. Scimus, quòd brevi morituri simus, ac resurrecturi aliquando, ut immortalitatem induamus; scimus quòd si crucem nostram, bona voluntate, cum Christo portamus, etiam participes in gloria cum ipso futuri simus. Ecce! quid nos animare debeat ad nos ipsos mortificandos, & ad tolerandum ex & pro amore DEI, quidquid nobis mali occurrit. Ecce! quid SS. Martyres tam patientes effecerit, in mediis suppliciis, quis explicet, quanta eos, rabies tyrannorum, perferre & sustinere coëgerit; scimus crudelitatem Neronis eò processisse, ut eos pellibus animalium, aliisque materiis, facilè combustîlibus vestierit, ut in publicis plateis, pro faculis de nocte, servirent Romæ. Quid istos veros DEI servos conservare potuisset, nisi exspectatio illa gloriosæ Resurrectionis aliquando futuræ? calcar hoc erat, quo S. Paulus usus fuerat in medio laborum, & penè infinitarum miseriarum, & cruciatuum suorum, in ministerio suo, *propter spem Israel, hac catenâ, circumdatus sum*, Act. 28. 20. dicebat ad illos, qui eum persequebantur; & scribens ad discipulum suum, quem libenter heroici animi sui hæredem vidisset, expressè illi hoc commendat, ut ne oblivisceretur Resurrectionis Salvatoris nostri;

memor

memor esto Dominum JEsum resurrexisse à mortuis. 2. Timoth. 2. 9. O si fides mysterii hujus tàm perfecta, tamque viva in cordibus nostris foret, ac in corde S. Pauli, S; Timothei, tótque aliorum SS. Martyrum, quid non fieret à nobis pro gloria DEI, & salute animarum! *ah! Domine, adauge nobis fidem.* Luc. 17. Pro præparatione ad Missam considera, quòd per S. Communionem factum fuerit, Dominum JEsum, discipulis in Emmaus, se cognoscendum tradidisse; per hoc Sacramentum lucis, fortificavit in eis fidem Resurrectionis suæ; *cognoverunt eum in fractione panis.* Roga illum, ut hanc ipsam tibi gratiam faciat; utque eam merearis, eadem dispositione cum his duobus discipulis accede. Volo dicere, cum corde præ amore ipsius prorsus ardente, *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?*

FERIA TERTIA.

Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Luc. 24. 45.

DE LECTIONE S. SCRIPTURÆ.

1. Modus legendi.
2. Quis fructus ex illa capiendus?

PUNCTUM I. IN apparatione Christi Domini Apostolis suis, quam

quam in hodierno Evangelio legimus, refertur, quòd, poſtquam eis oſtendit ſanctiſſima ſua vulnera, & in præſentia illorum manducavit, ut eos de Reſurrectione ſua convinceret, intellectum illorum illuſtraverit, ſensumque ac intelligentiam ſcripturarum eis tradiderit, ut comprehenderent, quòd omnia, quæ paſſus fuerit, in illa contineantur, & ab ea prædicta fuerint. Inſtituamus ſuper hoc Meditationem noſtram, & diſcamus, quomodo libros ſacros legere oporteat, quorum cognitio & ſcientia æquè nobis neceſſaria eſt, ac Apoſtolis, ſiquidem talia populo explicare debemus. Primum, quod obſervare debemus in iſta Lectione, eſt, ut per brevem & ferventem oratiunculam ad JEſum confugiamus, qui ſolus *dignus eſt aperire nobis* divinum hunc *librum & ſolvere ſignacula ejus.* Apoc. 5. 2. Magnam reverentiam erga ſcripturam ſacram habere oportet; & doctrinas illius æternæ veritatis valdè honorare, quia verba illius nonniſi divina, & adoranda ſunt, prout ſacroſancta concilia loquuntur, *ſacroſancta & adoranda verba ſcripturarum.* Teſtari etiam foris reverentiam aliquam illis debemus, collocandū librum hunc divinum in loco quodam honoratiore cubiculi noſtri; 3. non debemus legere illam feſtinan-

festinanter, sed seriò ruminare, expendere singula verba, examinare omnia usque ad unum jota, quorum nullum superfluum & inutile est, ùt ex Evangelio scimus; providere etiam nobis debemus in hunc finem de bono commentarista, qui sit approbatus, quia hæreticis quamcunque docti & eloquentes esse videantur, omninò fidere non debemus; *ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.* Prov. 23. 4. Oportet eam legere cum magna humilitate, & totali submissione ecclesiæ debita, quæ hoc sacrum depositum à Christo JEsu accedit, quæque sola intelligentiam & sensum ejus nobis dare potest, authoritate quadam infallibili, prout docet. Concilium Trident. sess. 4. Decret. de Can. script. 5. Alium finem & scopum in lectione S, Scripturæ nobis præfigere non debemus, quàm JEsum Christum, qui ubique continetur in illa. *Totum ad Christum revocemus, si volumus iter rectæ intelligentiæ tenere,* ait S, Augustinus in Ps. 96, Non oportet quærere, nisi illum in lege, in figuris veteris testamenti, in Psalmis & Prophetis; quod ipsum Salvator noster indicare, & docere voluit in verbis hisce, quæ ad Apostolos dixit hodie: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos; cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri*

pleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & in Prophetis, & in Pſalmis, de me. En! qualiter oporteat legere ſcripturam divinam! legiſtine illam hoc modo? Quia autem non ſatìs eſt tantùm ſcire, quomodo legenda ſit;

PUNCTUM II. Conſidera, quem fructum, & quam utilitatem ex iſta lectione trahere. Non ſufficit, ut præcisè aſſideamus menſæ verbi divini; oportet, ut ſaturari ſatagamus, omnibus illis veritatibus, quæ in vaſto hoc volumine ſcripturarū ſacrarū continentur. *Quando ſederis, cum principe*, ait Sapiens, Prov. 13. 1. *diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam* JEſus Chriſtus hic princeps eſt, qui nos ad manducandum invitat; vult autem, ut iis tantum utamur, & fruamur, quæ ante nos ſunt; *ante faciem tuam*. Non verò iis, quæ longè à nobis diſtant, & quæ captum noſtrum tranſcendunt; id eſt, attendere oportet in lectione S. Scripturæ, ut in propriis cogitationibus, & conceptibus non evaneſcamus; neque propriā quæramus ſatisfactionē, ſed præcisè nutrimentum, & refectionem animarum noſtrarum, & medicinam malorum noſtrorum; non debemus quærere curioſitatem ſcientiæ, ſed ædificationem, unô verbô; magnus ille fructus, ex hac lectione, ca-

piendus

piendus est, ut omnia ad propriam sanctitatem applicemus, ut idipsum deinde etiam aliis applicare valeamus. Quæsistine hucusque hunc fructū in & ex hac lectione? examina teipsum; renuntiastine huic vanæ curiositati, à qua quàm plurimi ducuntur ad legendam S. scripturam? nunquamne abusus es verbis S. scripturæ, in conversatione, pro eo, ut eâ utaris tam ad tuam, quàm ad proximi profectum spiritualem? habuistine ardentem illum affectum erga sacram hanc lectionem, quem status tuus à te requirit, juxta consilium S. Augustini, qui lib. de vera relig. c. 11. ita ait: *omissis igitur; & repudiatis musis theatricis, & poëticis, divinarum scripturarum consideratione, & tractatione pascamus animum.* Habuistine recursum tuum ad illam in decisionibus, instructionibus, desolationibus, angustiis, ac pressuris tuis; conformiter consilio Apostoli & praxi omnium Sanctorum, qui propterea novum testamentum semper secum portabant, ut frequentius in illo legere possent. Vide, in quo hucusque defeceris; & pro dispositione ad S. Communionem vel Missam roga Dominum JEsum pro gratia, ut te emendare valeas. O JEsu! qui habes clavem scientiæ sacræ, æquè ac intellectûs nostri, & cordium no-

ſtrorum, fac nobis gratiam iſtam, ut intelligamus ſcripturam, eam amemus, & opere compleamus, fac nos principes gratiæ illius, qualem tot Sanctis donaſti; qui pulchritudine, & dulcedine eloquiorum tuorum capti, nunquam ſatis legere illa potuerunt, *Divinas ſcripturas ſæpius lege, imò de manibus tuis nùnquam ſacra lectio deponatur, diſce, quod doceas; obtine eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut poſſis exhortari in doctrina ſana, & contradicentes revincere.* S.Hieron. epiſt. adNepot.

FERIA QUARTA.

Dicit eis Simon Petrus: vado piſcari; dicunt ei: venimus & nos tecum. Joan. 21. 3.

DE LABORE MANUALI.

1. Non dedecet Clericum.
2. Quid facere oporteat, ut ſanctus ſit labor?

PUNCTUM I. EXemplum Apoſtolorum, qui poſt Reſurrectionem Salvatoris iterum reverſi ſunt ad piſcaturam, oſtendit; manualem laborem Clericos omninò non dedecere. Chriſtus hoc non ſolùm non prohibuit Apoſtolis ſuis, ſed è contrario potiùs ipſe exemplum dedit. Videmus in actibus Apoſtolorum, S. Paulum, hoc vas electionis, electum à DEO, ut portaret nomen ejus, in nationes orbis terrarum, labore manuum ſibi victum paraſſe; cùm Corinthi eſ-

ſet,

ſet, apud Aquilam morabatur, ut commodiùs arti ſuæ vacare poſſet. *Quia erat ejusdem artis, manebat apud eos, & operabatur; erat enim ſcenofactoriæ artis.* Act. 18. 3. Miletum veniens, monſtravit Epiſcopis, & Presbyteris, qui ibi convenerant, quomodo laborare, proprium commodum non quærere, & ſeipſos occupare deberent; *ipſi ſcitis*, ait Act, 20. 34. *quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Nullus igitur erubeſcat, neceſſaria vitæ, per laborem proprium, lucrari. Quis magis seriò aut utiliùs occupatus fuerat S. Paulo? quisnam majore jure, & titulo eximere ſe à labore, & ſecum quoad hoc diſpenſare poterat, ac ipſe? hoc exemplo, & tot aliorum virorum Apoſtolicorum, qui eum imitati ſunt, permota Eccleſia, à S. Spiritu edocta, ordinat, ut etiam ſapientiores, doctiores, & magis verſati in S. ſcriptura, victum ſuum aliquo labore manuali quærant. *Clericus, quantumlibet verbo DEI eruditus, artificiolo victum quærat*, ait Canon 51. Concilii quarti Carthaginenſis. O ſi regula iſta benè obſervaretur, non videre eſſet tot otioſos, & inertes Clericos; non invenirentur tot Clerici; & Religioſi currere per plateas, vel etiam foris, qui tempus ſu-

um converſando cum ſæcularibus, & inutilibus viſitationibus perdunt. Deplora hunc abuſum, quem tot boni deteſtantur, &qui plebi chriſtianæ nonniſi ſcandalo eſt. Ut in eundem exceſſum non cadas, aſſume laborem aliquem honeſtum, vel aliam ſtatui tuo convenientem occupationem, &

PUNCTUM II. Conſidera, quid te facere oporteat, ut ſanctè labores. 1mò perage laborem hunc, quicunque demum ille ſit, in ſpiritu quodam pœnitentiæ, ad imitationem illius, qui primus inter homines erat pœnitens, quemadmodum primus fuit peccator; *in ſudore vultûs tui veſceris pane tuo*. Gen. 3. Hinc S. Bernardus vult, ut inter laborandum quilibet conſtanter ſe reflectat ad hoc primum peccatum, quod cauſa fuit omnium eorum, quæ modò patimur. *Cauſam laboris cogitet in labore*, ait hic S. Abbas ſerm, 39. de diverſ. ad ſuos monachos Claravallenſes; *ut ipſa ei pœna, quam patitur, culpam, pro quo patitur, repræſentet; & dum videt vulnerum ligaturam, ipſa ſub pannis vulnera meditetur*. 2. laborare oportet in præſentia DEI, ad exemplum ſanctiſſimorum hominum, qui labori ſuo ſemper orationem conjunxêre. Nam ſi cor tuum otiatur, & nil cogitas, vel ſolùm communia quædam, quæ nonniſi præſentem vitam concernunt,

erit

erit labor veſter inanis in Domino, ait ulterius S. Bernardus. 3. Laborare debes abſque ulla alligatione, ſeu paſſione; ut abſque mora dimittas laborem, ſi hora orationis, aut ſtudii advenerit, vel miniſterium noſtrum ad alia nos vocet. Id, quod Concilium Carthaginenſe IV. Can. 51. & 52. efficaciter commendans Eccleſiæ miniſtris laborem manualem expreſsè ſibi reſervat, ſeu excipit. *Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolô, vel agriculturà, abſque officii ſui duntaxat detrimento præparet.* En! media, qua ratione laborem tuum ſanctificare valeas! ſtude illa in praxin deducere; & pro præparatione ad Miſſam, ad id te reflecte, quòd is ipſe, quem poſtea in S. altari ſumpturus es, in labore fuerit à juventute ſua: conſequenter recuſare non potes, eum in hoc imitari. Roga illum, ut occupationibus tuis benedicat, ut dignus efficiaris ingredi in requiem ſempiternam, & audire ad finem vitæ tuæ hanc dulcem ſententiam, quæ omnes illos conſolatur, qui in Domino moriuntur, poſtquam pro gloria ejus in hac vita laborarunt: *amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos.* Apoc. 14. 13.

FERIA QUINTA.

Revertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legénsque Iſaiam Prophetam. Act. 8. 27.

De lectione spirituali.

1. Utilitas illius.
2. Defectus, qui in ſea committi ſolent.

PUNCTUM I. ADora DEI providentiam, circa hunc eunuchum, de quo hodierna epiſtola loquitur. Æthiops iſte legit in via, Prophetā Iſaiam, & DEUS utitur hac ipſa lectione, ad adducendum eum, ad agnitionem JEſu Chriſti Filii ſui. Mittit ad eum unum ex diſcipulis ejus, qui hunc ei prædicaret. Bone DEUS! quàm admirabilis eſt providentia tua quoad ſalutem animarum! gratias DEO agamus pro bonitate, quâ neceſſitatibus noſtris invigilat, & tot bona nobis procurat per lectionem librorum ſpiritualium; agnoſcamus exinde, quàm utile & proficuum nobis ſit, quotidie talem lectionem ſpiritualem peragere. Converſio S. Auguſtini; mutatio illa ſubita duorum aulicorum, de quibus hic Sanctus in ſuis confeſſionibus loquitur; reſolutio, quam cœpit S. Ignatius de Loyola, ut ſe DEO integrè ſacrificaret, & converſiones infinitorum aliorum hominum

num, qui hunc feliciſſimum effectum lectionis ſpiritualis experti ſunt, ſatis oſtendunt nobis grandem utilitatem hujus ſancti exercitii, & quantas eidem gratias DEUS optimus annexuerit. Vide, ut horum exemplo proficias; & hodie adhuc propoſitum fac, eosdem imitandi, ſed quia fortè hanc ipſam conſuetudinem actu jam habes.

PUNCTUM II. Examina defectus illos, qui ibi committi ſolent, & quos fortè ipſe commiſiſti. Dediſtine quotidie fideliter tempus aliquod huic ſancto exercitio? antequam illam inceperis? petiiſtine gratiam à DEO, illud benè & fructuosè faciendi? finiiſtine illam pariter per orationem; perſuaſus de hac veritate, quam nos ſancti DEI homines docuerunt? nimirum lectionem ſpiritualem augere in nobis debere amorem orationis? *debet lectio orationi ſervire; præparare affectum; non horas præripere, nec ſuccidere moras*, ait quidam S. Abbas, (Gilb. Abb, in cant. ſerm. 7.) cujus opera inter illa S. Bernardi leguntur.

Legiſtine ſpiritualiter ex hoc fine, ut defectus tuos corrigeres, & in virtutibus proficeres? an non potiùs contrario ex curioſitate, abſque ordine, purè ex propria phantaſia hoc feciſti? luſtrando mo-

dò hunc, modò illum librum? quin te alicui alligaveris, qui tibi fructuoſior eſſe potuiſſet? qui eſt grandis error juxta doctrinam SS. Doctorum. *Fortuita enim & varia lectio, & quaſi caſu reperta, non ædificat, ſed reddit animum inſtabilem, & leviter admiſſa, levius recedit à memoria*, idem ad FF. de monte DEI. Legiſtine attentè, ſollicitus aliquid in memoria retinere, quo te per diem occupes? *de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ demittendum eſt, quod fidelius digeratur, & ſurſum revocatum, crebrius ruminetur; quod propoſito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat*. ibid. Denique ſtuduiſtine id opere exequi, quod legiſti, ad exemplum S. Ephrem, qui, ùt ab iis diſcimus, qui vitam ejus ſcripſerunt, nihil legit, quod non ſtatim in actionibus ſuis oſtendebat? *pingebat actibus paginam quam legerat*. Vita S. Ephrem. O quàm longè melius profeciſſes in virtute, ac modò profeciſti, ſi hoc ſancto exercitio tam exactè uſus fuiſſes, prout oportebat. Pro præparatione ad Miſſam; regularius id impoſterum te facturum propone juxta conſilium ſanctorum; ſequendo in hoc praxin communitatum, ubi obſervantia regularis viget, & eorum, qui

in virtute profectū facere cupiunt *Qui vult cum DEO semper esse, frequenter debet orare, & legere; nam, cùm oramus, ipsi cum DEO loquimur; cùm verò legimus, DEUS nobiscum loquitur.* S. Aug. serm. 112, de temp.

FERIA SEXTA.

Euntes, docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris; & Filii, & Spiritûs Sancti. Matth. 28, 19.

De administratione Sacramentorum.

1. Quàm sublimis & excellens sit hæc functio.
2. Quid fieri debeat, ut benè fiat.

PUNCTUM I. ADmirare hîc bonitatem infinitam Domini JEsu, qui dum instituit in Ecclesia sua Sacramenta; tanquam vasa, quibus thesaurum meritorum suorum inclusit, prout vetus aliquod concilium loquitur; *in quibus tanquam in vasis cœlestibus salutis remedia continentur.* Concil. Londin. Clericos ad hoc elegit, ut essent thesauri hujus dispensatores eisque eandem potestatem concessit; quam hodie Apostolis dedit. Qualis honor? electum te esse à Deo ad functionem tam nobilem & sublimem? anne

anne unquam gratias egisti DEO pro tanta gratia? ut autem magìs æstimes hanc dignitatem tuam, in qua te DEUS posuit, quid, quæso, diceres, de tali, quem Rex quidam, omnibus thesauris Regni sui, præposuisset? qui potestatem haberet vitæ & mortis? aperire & claudere posset carceres totius Regni? annon fateri oporteret, talem à Rege extremè honoratum? comparatio ista est, quâ S. Joannes Chrysostomus utitur; interim nonnisi levis quædam adumbratio est potestatis illius, quam à DEO accepisti quoad administrationem Sacramentorum, ubi in manibus tuis habes, thesaurum gratiarum? potestatem ligandi & solvendi, aperiendi, vel claudendi cœlum. Possitne major potestas dari, quàm ista? *obsecro! potestas hac major esse potest? Pater, omne judicium dedit Filio; cœterùm video ipsum omne judicium à DEO Filio ipsis traditum* ait idem S. P. Hæc illa specialis occasio & eventus, ubi cum Apostolo dicere possumus, spectaculum nos factos esse DEO, Angelis, & hominibus. *DEO!* cujus locum & authoritatem tenemus; *Angelis & hominibus,* qui sublimitatem ministerii nostri reverentur; *spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Dum ista cum sancto quodam horrore considerasti,

quàm

quàm sublimis sit functio, hæc administratio Sacramentorum, considera in secundo puncto, quid te oporteat facere, ut benè id facias.

PUNCTUM II. Primò oportet, ut studeas benè intelligere doctrinam de Sacramentis, quaenam sit eorum natura, seu essentia? quasnam oporteat afferre dispositiones ad dignam illorum susceptionem? instruere populum circa ista, tam ex cathedra, quàm in catechesi; de talibus etiam loqui; dum actualiter eadem administras, quantum nempe tempus permiserit, quòd Sacramenta, quæ confers, nil minùs contineant, quàm pretium, & infinitam virtutem sanguinis JEsu Christi; quódque origo sint, & scaturigo totius sanctitatis; *per quæ omnis vera justitia, vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur*; ut Concilium Trident. loquitur. 2. Discere debes cæremonias, cum quibus administrari debent, easque ita observare, prout præscriptæ sunt in rituali, cùm tali modestia, quæ assistentes ædificet; *providentes bona, non tantùm coram DEO, sed etiam coram hominibus*. Rom. 12. 17. 3. Principalis dispositio est, ut nunquam administrentur, nisi in statu gratiæ, ne, dum alios sanctificare vis, te ipsum condemnes. *Sit parochus*, ait Concilium Narbonense,

bonense, can. 13. *ab omni labe peccati lethalis alienus; ne dum aliorum quærit salutem, seipsum condemnet.* Vel prout Concilium Aquisgranense, loquitur, *ne lethalis peccati labe infecti; dum aliorum saluti student, sibi sint æternæ damnationis ministri* In quo concilia ista non nisi opinionē SS. PP. sunt secuta. *Necesse est*, ait S. Gregorius, lib. 1. epist. 24.. *ut munda esse studeat manus, quæ aliorum sordes diluere curat, nec tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa, stercoris lutum tenet.* Examina te nunc qualiter te gesseris in administratione Sacramentorum; considerastine illam tanquam unam ex principalibus functionibus statûs tui, credidistíne, dum sacerdotium iniisti, illam, in pluribus occasionibus obligationis tuæ quandoque indispensabilis, futuram? applicastine te cum omni attentione & fervore, qualem actio tanti momenti requirit? purificastine conscientiam tuam, quando jure timere poteras, utrum in statu gratiæ esses? observastine exactè omnes cæremonias Ecclesiæ, dum nullam causam habuisti, ullam omittendi? si in aliquo deliquisti, pete veniam à Domino, per JEsum Christum Filium suum, quem hodie de altari sumpturus es, & propone, quòd fidelius imposterum fungi velis ministerio tuo, quo

te

te honoravit. *Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Coloss. 4, 17.

DIE SABBATHI,

Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum. Joan. 20, 6.

DE USU VERITATUM, SEU DOCTRINÆ FIDEI NOSTRÆ.

1. Non sufficit eas tantùm considerare, oportet etiam in eas ingredi.
2. Quinam sint illi, qui hoc faciant.

PUNCTUM I. NOtatur in hodierno Evangelio, quòd, postquam S. Magdalena Apostolis nuntiavit ea, quæ ad sepulchrum JEsu Christi vidit, duo ex Apostolis statim ad illud cucurrerint. Junior ex illis, qui erat discipulus, quem diligebat JEsus; primus illic advenit, & postquam se inclinavit in illud, vidit linteamina ibi posita, sed non intravit; alter, nempe Simon Petrus, intravit, & omnia exploravit. Noli putare, quasi circumstantia hæc, ab Evangelio, notata, instructione seu doctrina careat; mirare potiùs infinitam DEI sapientiam, qui non cessat continuò, nos

nos per ſacram ſcripturam inſtruere nóſque docet, etiam quoad minimum quodvis verbum, ſalutares doctrinas, ibi detegere, ſi ea cum vera fide & attentione legamus. Repræſentant nobis hi duo Apoſtoli, duo genera perſonarum in Eccleſia, nimirùm veros chriſtianos; & illos, qui nonniſi quaſi ideales Chriſtiani ſunt; tales ſunt; quibus jam ſufficit, ſi veritates ſalutis vìdeant, ſeu cognoſcant, quin in eas ingrediantur, ſi cum ipſis diſcurramus de DEO, de ſepulchro Chriſti Domini, de cruce, de tolerantia, & ſimilibus. *Cum gaudio ſuſcipiunt verbum*, ſentiunt intra ſe ardorem quemdam & zelum, qui eos ſenſim calefacit, & quaſi ad currendum propellit; verùm eheu! brevi ſubſiſtunt; contenti ſunt veritatibus, quòd intellectum eorum convincant; verùm in easdem non ingrediuntur. O quot dantur chriſtiani hujus caracteris, imò etiam Clerici, qui optimè callent regulas, ſeu fundamenta evangelica, à quibus tamen minimè moventur; qui religionem & fidem in intellectu, non autem in corde ſeu voluntate ſua habent, Examina teipſum, utrum ex horum numero ſis: *ſermonibus philoſophari facile eſt*, ait S, Iſidorus lib. 2. epiſt. 183. *rebus autem arduum.* Et

PUNCTUM II. Conſidera, quinam

ſint

ſint illi, qui in ejusmodi veritates ingrediantur, ſeu ad praxin eas reducant? illi chriſtiani & Clerici ſunt, qui plenariè perſuaſi ſunt de omnibus, quæ fides noſtra nobis promittit, qui ſine hæſitatione credũt; qui abſque diffidentia ulla ſperant, & qui in omnibus gloriam dant DEO, ad exemplum Abrahami, de quo dicit Apoſtolus, Rom. 4. 20. *in repromiſſione DEI non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam DEO, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit DEus, potens eſt & facere.* Illi in veritates fidei ingrediuntur, qui eam pro regula ſtatuunt, verborum, & operũ ſuorũ; qui de rebus hujus mundi judicant non ſecundùm mundum, ſed ſecundum DEũ, & ea, quæ ſecundum naturã ſapiunt, doctrinæ fidei ſubjiciunt. Clericus, qui tali modo agit, ingreditur in veritates fidei; ille dicere poteſt cum Apoſtolo: *in fide vivo Filii Dei.* Galat. 2. Quique illis ipſis veritatibus obedit, easque exequitur, quas alios docere nititur. Iſte: ait quidam SS. PP, verè cum S. Petro ſepulchrũ Chriſti ingreditur, qui ſecundùm ſuam fidẽ vivit; & talis fides, quâ credit Dominum JEſum reſurrexiſſe à mortuis, ei reputabitur ad juſtitiã; *qui hæc agit, hic ſe oſtendit credere in eum, qui ſuſcitavit Dominum JEſum Chriſtum noſtrum à mortuis, & huic verè fides reputatur ad juſtitiam.* Orig. l.

4. in

4. in epist. ad Rom. Itane ingressus es in vetitates fidei? fortasse absque ulla difficultate credis veritates speculativas? sed quæ tua est mens circa practicas ? quando tibi proponitur infernus, æternitas, contemptus rerum mundanarum, & honorum hujus mundi, mortificatio passionum tuarum, fuga peccatorum &c. Ingrederisne in has veritates ? moventne te? videris ideo, aliam inire rationem vivendi? *quid proderit fratres mei*, ait S. Jacobus, cap. 2. *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Pro præparatione ad Missam ante oculos mentis tuæ tibi pone ardorem illum, quo ambo hi Apostoli ad sepulchrum currebant; *currebant duo simul*; accede ad altare, pari cum fervore, ut hanc vivam & operatricem fidem petas, & inde obtineas, quò per sanctitatem vitæ tuæ gratiam mysterii hujus, quod his diebus celebras, in te ipso conserves, prout Ecclesia idipsum pro te postulat, & tu cum illa sæpiùs petere debes ; *ut Sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt.* O JEsu! vive in me per fidem; *& concede quæsumus Domine! ut paschalis perceptio Sacramenti, continua in nostris mentibus perseveret.*

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST PASCHA,

Omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum; & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. 1. Joan. 5. 4.

De relapsu.

1. Periculum, quod in relapſu incurritur.
2. Media illum præveniendi, vel reparandi.

PUNCTUM I. Docet S. Joannes in hodierna epiſtola, illos, qui nati ſunt ex Deo, id eſt, qui gratiam adoptionis acceperunt, victores mūdi eſſe; ſed notare oportet, quòd tales non ſint ſemper, quia hanc gratiam amittere poſſunt. Quando S. Spiritus in animam ingreditur, confert ei nativitatem quamdam ſpiritualem, facìtque eam vincere mundum; ſed non ſumit in ea poſſeſſionē inamiſſibilem; vult enim, ut nos ipſi laboremus, & ſtudeamus eam conſervare; quò d non faciunt illi, qui in eadem peccata relabuntur poſt paſcha, à quibus per gratiam ſacramentorum liberati ſunt. Debet illis à clericis explicari grande illud periculum, quod per talem relapſum incurrunt. 1mo. *Ex parte Dei,* qui punit hanc ingratitudinem peccatoris, eum relinquendo inordinatis deſideriis cordis ſui;

dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum; ibunt in ad inventionib9 ſuis, Pſ. 80. 13. non reſpicit illum amplius; vel ſi reſpiciat, id fit cum tali horrore, ac nos videmus animalia illa, quæ ad vomitum ſuum redeunt; vel, quæ paulò antè abluta, iterum in antiquas ſordes & lutum ſe immergunt: *contingit enim eis*, ait S. Petrus 2. ep. 2. 22. *illud veri proverbii, canis reverſus ad ſuum vomitum; ſus lota in volutabro*. Hinc addit idem Apoſtolus, infideles mitiùs puniendos, quàm ingratos chriſtianos; *melius erat illis, non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato*. ibid. v. 21. 2do. *Ex parte peccatoris*, quem relapſus infinitè magìs debilem, ac infirmū reddit, ità quidem, ut S. Paulus Hebr. 6. non dubitet ità loqui: *impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutèſque ſæculi futuri, & prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam; rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*. Non credidit Apoſtolus, hoc abſolutè, & ſimpliciter impoſſibile eſſe, ut quis à relapſu reſurgat; ſed tam acri expreſſione uti voluit, ut difficultatem hujus rei nobis inſinuaret; & ità etiam in-

telligi

telligi debet, quod in alio capitulo hujus epiſtolæ ad Hebræos ait: *voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hoſtia pro peccatis.* Hebr. 10. Ratio hujus rei, quam affert, non minùs terribilis eſt. Si ille, ait, qui legem Moyſis violavit, ſine miſericordia ad mortem condemnatus fuit, *quantò magìs putatis, deteriora ſupplicia mereri, qui Filium Dei conculcaverit, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* 3tio. *Ex parte dæmonis*, qui longè fortior evadit, quàm antea fuerat; *aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum; nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Luc. 11. 26. Explica rationes iſtas populo efficaciter, ut horrorem illum concipiant, quem habere oportet, de peccato relapsûs. & c

PUNCTUM II. Inquire nunc media, contra hoc malum, ſive, ut illud prævenias, ſive ut repares, 1mum. eſt, ut id executioni mandemus, quod in hodierna epiſtola nos docet S. Joannes, nempe, ut obſtacula omnia, quæ noſtræ ſaluti mundus opponere ſolet, per fidem vincamus; *hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Per iſta arma victores evaſerunt ſancti de inimicis ſuis; gratiam Dei conſervarunt, & regnum cœlorum adepti ſunt;

per fidem vicerunt regna; operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Hebr. 11. 33. 2dum. ut nobis ipſis diffidamus, poſt tot experiẽtias, quas de debilitate noſtra & fragilitate habemus; *beatus homo, qui ſemper eſt pavidus; qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum.* Proverb. 28. 14. Oportet ſemper timere peccatum, evitare occaſiones periculoſas, malas ſocietates, & quidquid nos ad caſum impellere poteſt. Peccatum, licèt dimiſſum, relinquit nihilominus in anima quamdam inclinationem ad malum, cui, ſi quis reſiſtere negligat, brevi corruet; hinc tale nobis Sapiens dat conſilium; *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Eccleſ. 5. 5. 3tium. frequenter uti SS. ſacramentis, ut vitam gratiæ, per hæc ipſa media ideò nobis data, in nobis conſervemus; & de tempore in tempus novum ardorem concipiamus. Denique amare oportet orationem, & recollectionem; miſeriæ noſtræ, & indigentiæ, quã habemus, recurrendi ad Deum, memores. Hinc inceſſanter cum rege pœnitente dicere ad Deum deberemus: *miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.* Pſ. 6. 3. Vide, qualiter his mediis uſus ſis? & propone, quòd illis impoſterum, tam pro te, quàm pro aliis, uti velis; pro præparatione ad Miſſam, ad hoc te reflecte, quòd

ſi

si christianis adeò timendus sit relapsus, longè magìs id clericis convenire, siquidem major hic ingratitudo intervenit. Sufficiat scire, Christum JEsum eis concessisse dispensationem verbi, & sanctissimi sangvinis sui, licentiam eos habere, singulis diebus ad altare accedendi; & loquendi Deo os ad os, ùt amicus cum amico solet, ut agnoscamus, quòd si post tot ac tantas gratias ipsi divinum suum magistrum prodant, omnia ipsis timenda sint. Terra, quæ superno imbre irrigatur, nec aliud quàm spinas & tribulos producit, tandem maledicitur & igni adjicitur. O quàm terribilis est sententia ista, præsertim clericis; nos sumus terra ista supernè irrigata, propter gratias & benedictionem, quam ab ipso accipimus; quēnam autem fructum hucusque tulimus? ex quo sol justitiæ ortus est super terrā, quid aliud apparuit in terra nostra, nisi tribuli, & spinæ; multùm vitiorum; parùm virtutis. O Domine! qui tali terræ minaris! nonnisi iram, & maledictionem tuam, ut exinde nos ad mutationem morum nostrorum, & conversionem adhorteris, hanc nobis gratiam concede, ut nunquā in peccatum relabamur. *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur,*

 acci-

accipit benedictionem à Deo; proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima; cujus consummatio in combustionē. Hebr. 6. 7.

FERIA SECUNDA.

Cùm serò esset die illo una sabbathorum, & fores essent clausæ; ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit JEsus, & stetit in medio. Joan. 20. 19.

De qualitate corporum gloriosorum.

1. Quales sint hæ qualitates.
2. Quales debeant esse animæ nostræ, ut eas promereantur.

PUNCTUM I. ADoremus JEsum à mortuis suscitatum, in medio discipulorum se sistentem, quamvis fuissent portæ clausæ, monstrantem per hoc miraculum, quòd omnia illi aperta sint; omniáque corpora æquè, ac corda, & spiritus omnium hominum illi subjiciantur. Admiremur supremam ejus in omnem creaturam potestatem, & bonitatē illius, quòd ejusdem potestatis participes esse voluerit electos suos; quorum corpora aliquando quatuor his dotibus vestientur,

tur, quæ sunt 1mo. *impassibilitas*, quæ eos exemptos reddet ab omnibꝰ molestiis, quibus corpora nostra in præsenti vita exposita sunt; *non esurient, neque sitient, neque cadet super illos ullus æstus &c. Non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Apoc. 7. 16. 2. *Agilitas*, quæ eos promptos reddet & agiles, ut ab uno loco ad alium se transferre valeant, absque omni difficultate, & defatigatione, Apoc. 21. 4. *assument pennas, ut aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Is. 40. 31. 3. *Subtilitas*, quæ capaces eos faciet, penetrandi corpora etiam densissima, & solidissima, quin ea rumpātur, adeò ut nil eos retardare, vel retinere possit. Corpus nostrum defactò animale est: postea autem evadet spirituale. *Caro spiritualis; sed tamen caro, non spiritus. Quæ sit autem, & quàm magna spiritualis corporis gratia; quoniam nondum venit in experimentum, vereor, ne temerarium sit omne, quod de illa profertur eloquium.* S. August. l. 22. de civit. Dei. c. 21. 4. *Claritas*, quæ corpus alicujus beati longè pulchrius, clarius, & lucidius reddet, quàm sit sol, ùt ait scriptura. En! quænam sint qualitates corporis gloriosi, quàntum adhuc in vita capere possumus: S. Paulus eas refert in cap. 15. primæ suæ epistolæ ad

Corinthios, ubi, postquam probavit veritatem resurrectionis per tales res, quas quotidie præ oculis habemus, ità concludit: *sic erit & resurrectio mortuorum, seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget corpus spirituale.* Quanta consolatio pro tot istis, qui modò in afflictione positi sunt? qui corpora habent infirma, morbis subjecta, si se postea videant his miseriis liberatos, quas in præsenti vita patimur. Bone Deus! potèstne quis de hac felicitate cogitare, quin omni conatu laboret, ad eam promerendam? fac hoc propositum; &c.

PUNCTUM II. Nota, quòd etiamsi qualitates istæ, quas primùm nominavimus, propriæ sint corporibus gloriosis, & illis speciales, nihilominus etiam animabus nostris communicatæ sint per gratiã Christi, à mortuis, seu peccato, suscitatis, tali modo, qui ipse jus nobis dat ad gloriosam resurrectionem. Anima, e. g. clerici, *impassibilis est.* quando tam firma, & tam benè radicata est in pietate, ut non ampliùs, vel non nisi raró in priora cadat peccata; *deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum.* Hebr. 12. 1. Habet *agilitatem*, quando promptè sequitur motus divinæ gratiæ. Siquidem Deus vult ministros suos totos igneos esse pro gloria sua,

&c

& servitio Ecclesiæ suæ; *qui facit ministros suos flammam ignis.* Hebr. 1. 7. *Subtilitatem* habet, quando non solùm activitate quadam mirabili ambulat viam salutis; sed insuper transcendit sine difficultate obstacula perfectioni occurentia; dum artificia, dolos, & insidias sathanæ agnoscit; *altitudines sathanæ*, ut dicere possit cum S. Paulo, 2. Cor. 2. 11. *non enim ignoramus cogitationes ejus.* Denique *claritas* in aliquo clerico est, si habeat scientiam, & cognitionem obligationum suarum; si prædicat sanam doctrinam; si decisiones, quas vel ex cathedra, vel in confessionali dat, conformes sint legi divinæ; quia, si ad judices terræ dictum est: *erudimini, qui judicatis terram*, Ps. 2. 10. dictum etiam est ad sacerdotes, in persona Levitarum: *videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit.* 2. Paral. 19. 6. Felix illa anima clerici, quæ sollicita fuit, acquirere has qualitates, saltem in aliquo gradu; habet enim jus, ac spem, corpus hoc, cui unita est, quòdque indies corrumpitur, & continuò ad mortem vergit, resuscitandùm in novissimo die ad gloriam, & im̃ortalitatem, per virtutem & potestatem JEsu Christi, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, & configuratum corpori claritatis*

tis ſuæ; ſecundùm operationem, quâ etiam poſſit ſibi ſubjicere omnia, ùt ait Paulus Philip. 3. Roga hunc divinum Salvatorē, ut hoc tibi communicare dignetur per ſanctiſſimum ſacramentum, quod poſtea ſumpturus es, quod eſt omnibus, qui dignè ad illud accedunt, germen immortalitatis, & ſecurum pignus futuræ glorioſæ reſurrectionis. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam,* ait JEſus, *& ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Joan. 6. 54.

FERIA TERTIA.

Dixit eis, pax vobis. Joan. 20. 21.

De pace.

1. JEſus Chriſtus eam in mundum attulit.
2. Clerici illam conſervare debent.

PUNCTUM I. O Admirabilem ſalutationem Chriſti JEſu, apoſtolis factam, dum ad eos intravit, ubi ſimul clauſi morabantur! verba iſta, *pax vobis,* oſtendunt nobis primariū effectum præſentiæ ſuæ in animabus noſtris eſſe, ut pacem nobis afferat, & diverſos motus, & agitationes, ſed & nominatus fuit plus octingentis annis ante nativitatem ſuam per Iſaiam Prophetam, cap.

cap. 9. 6. *princeps pacis*; & David id ipsū longè antè prædixit, quòd apportaturus sit pacem in abundantia; *orietur in diebus ejus abundantia pacis;* Id, quod fecit, destruendo per merita sanctissimi sangvinis sui inimicitias illas, quas peccatum causavit. *Ipse est pax nostra'* ait S. Paulus, Eph. 2. 14. *interficiens inimicitias in semetipso;* pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris. Sed ut melius comprehendere possimus, & agnoscere magnitudinē doni istius ineffabilis, scire oportet, peccatum in nobis causasse tres grandes divisiones. *Divisionem cum Deo*, cujus facti sumus inimici, & rebelles subditi; *divisionem cum proximo*, cum quò amor noster proprius non sinit nos in pace vivere; *unde bella & lites*, ait S, Jacobus, cap. 4. 1. *nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? divisionem cum nobismetipsis*, per rebellionem carnis nostræ contra spiritum, quod est illud intestinum bellum, ac domesticum, quod in dies singulos experimur; *caro enim concupiscit adversùs spiritum; & spiritus adversùs carnem; hæc enim sibi invicem adversantur.* Galat. 5. 17. Jam pax illa, quam nobis attulit, has omnes divisiones & bella tollit; reconciliat nos Deo, proximo, & nobismet ipsis; *cùm enim inimici*

mici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus. Rom. 5. 10. Sed benè nota, pacem hanc fructum esse mortis suæ, hinc dum eam apostolis apprecatus est, ac dedit, ostendit eis manus suas, & latus perforatum; *& cùm hæc dixisset ostendit eis manus.* Gratias ei age, quòd hominibus donum adeò pretiosum largitus sit; quia autem hoc ipsum tam carò ei stetit, hinc disce.

PUNCTUM II. Quâ industriâ laborare debeant clerici, ut eam inter fideles conservent; depositarii nimìrùm sunt, & angeli pacis: debent ad exemplum apostolorum ubique secum illam afferre, quò venerint. Ipsi sunt, qui in ecclesia excellunt propter eminentiam dignitatis suæ, ait S. Augustinus in Ps. 71. quíque specialiter obligati sunt ad laborandum pro pace stabilienda; *excellentes quippe in ecclesia, paci debent vigilanti intentione consulere.* Quod facere debent 1mo. ex cathedra, per instructionem & doctrinam suam, ostendendo populo christiano, quod nil dulcius, aut amabilius sit pace; nil magìs necessarium pro salute comparanda, nil denique magís nobis in & à scriptura recommendatum, quæ, ùt S. Augustinus advertit, fermè per omnes paginas suas ad pacem, cum iis etiam, qui vel maximè pacis sunt inimi-

inimici, servandam nos hortatur; *ità propè nulla est pagina, quæ nos non admoneat &c. cum his, qui oderunt pacem, esse debere pacificos.* Epist. 69. ad Restit. 2. in particulari, terminando & finiendo differentias, inter fideles exortas. Non sufficit, pastorē formare bonos discursus de excellētia, utilitate pacis, & invectivas, cōtra dissensiones; oportet, curā particularē, ac singularē adhibere, præcidendi omne semen cujuscunque divisionis, quod inimicus homo in agro, curæ illorum commisso, seminare posset, Si malum hoc prævenire, aut impedire nō possunt; quamprimùm zizania similia apparent, nullum tempus eis concedere debent, ut possint crescere; sed quamprimùm advertunt, cum omni applicatione, & studio laborare, ut germina talia eradicent à cordibus eorum, ubi crescere incipiunt: dicendo eis cum apostolo, Hebr. 12. 14. *pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* S. Chrysostomus ait, in Epist. ad Hebr. *multa quidem sunt, quæ exprimunt christianismum, magìs autem, quàm omnia, mutua inter se dilectio, & pax.* 3. per proprium suum bonum exemplum. *Habete in vobis sal,* ait, JEsus ad apostolos, *& pacem habete inter vos,* Quamcunque sollicitudinem adhibeat pastor in procuranda pace inter suos;
diffi-

difficulter id obtinebit, si ipse prior non colat pacem, quam aliis inspirare vult. Et sanè, quæ apparentia clericorum, qui in suis opinionibus obstinatus est, & pertinax, alteri persuasurum ad cedendum, & desistendum, à propria opinione? qualis apparentia, quòd pastor, qui processus forenses amat, suis parochianis persuasurus sit, ut ab ejusmodi causis abstineant? parochus, qui nullam occasionem negligit, vindicandi se, anne habilis habeatur, qui aliis condonationem injuriarum prædicet? parochus interessatus audietùrne, si dicat laicis, patribus, & matribus familias, ut desistant à suis juribus prosequendis, pro bono pacis? denique si ipsi clerici litem sibi moveant, & inter se divisi sint, poterùntne utiliter prædicare aliis unionē & pacem? sine dubio, non; & si hoc faciunt, certò non audientur. Oportet igitur pastorem, qui apud alios pacem procurare cupit, ipsum pacificum esse, absque hoc enim capax non erit, ut inter homines cōservet hoc grande bonum, quod Christus JEsus eis promeruit. Roga Deum pacis, ut qui se tecum unire vult per S. communionem, ut tibi hanc faciat gratiam, quò cum omnibus iis unitus esse valeas, qui ipsi uniti sunt: tunc enim veraciter pacem quæres, & habilis ac aptus eris; illam e-

tiam

tiam inter alios procurandi. *Diverte à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam.* Ps. 33. 15.

FERIA QUARTA.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Joan. 20, 21.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

1. Excellentia illius, & quousque se extendat.
2. Non est majus meritum super terram, quàm si quis ritè illud obeat.

PUNCTUM I. SI benè meditamur verba ista, quæ Christus ad apostolos suos dixit: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos;* inveniemus totā excellentiam sacri ministerii nostri in iis expressam. Non est Princeps aliquis terrenus, qui nobis officia, & dignitates suas concrederet, Deus est, qui potestatem, & authoritatem suam nobis communicat, qui, postquam voluntatem Patris sui perfecit, & missionem suam finiit, apostolos suos eodem modo mittit, quo ipse missus fuerat à Patre suo: *sicut.* Probè expende vim & energiam hujus vocis: *sicut.* Non satis est, mediam horam meditando insumere, sed materiam habes, quam totâ vitâ tuâ mediteris. Misit Pater æternus Filium

lium ſuum in mundum, ut ſalvetur mundus per ipſum; & idem Filius pariter te mittit, ut pro ſalute animarum labores: conſtituit te legatum & vicarium charitatis ſuæ: *ſicut*, Elegit te ad idem officiū & munus, quod ipſe, quamdiu inter nos vixit, exercuit; ut homines inſtruas, doceas, pœnitentiam prædices, & à peccatis abſolvas; tandem vult; ut ſacrificium ad altare offeras pro neceſſitatibus populi tui, quemadmodum ipſe ſe in cruce pro mundi ſalute immolavit. O dignitas ſacerdotum! exclamat S. Chryſoſtomus, quæ eos, qui eâ gaudent, ſupra angelos, & archangelos elevat. Si vides, ait hic S. P. lib. 3. de ſacerd. Dominum noſtrum immolatum, & in altari poſitum, pontificem ſacrificium celebrantem, & omnem populum tinctum, & ſangvine hoc pretioſiſſimo rubentem, putâſne, te adhuc ſuper terrā ac inter homines eſſe? an non putas, te in cœlum raptum, & gloriæ beatotum intereſſe? ô miraculum! ô bonitatem DEI infinitam! ille, qui ſedet in cœlo ad dexteram Patris ſui, ſinit ſe tangi ab omnibus, & diſtribui omnibus, qui eum recipere, & amplecti volunt, & hoc totum per miniſterium ſacerdotum; annè unquam feriò de hoc cogitaſti? conſideraſtìne unquam bene, excellentiam ſacerdotii longè ſupe-

rare

rare expressionem nostram; quòdque status tam sublimis, & excellens sit, ut ultrà quid melius, & excellentius ab hominibꝰ non possit desiderari; *omnium, quæ inter homines expetuntur, velut extremi meta,* ait S. Isidorus Palusiota. Vide, ut intimè persvasus sis de eminentia statûs tui; &

PUNCTUM II. Considera, quòd, si non sit major dignitas super universam terram, quàm sit ministerium ecclesiasticum, etiam majus meritum coram Deo non sit, quâm si quis illô benè, & ùt oportet, fungatur. Exercitium nimirùm est charitatis perfectissimæ; nam quænam est occupatio pastoris, aut boni sacerdotis? continuat, seu pergit in eo, quod Christus JEsus in terra ipsemet fecit, ut sit nempe cooperator illius in prædicanda veritate evengelica. Organum est visibile invisibilis illius Spiritûs; interpres voluntatis suæ; judex causarum illius; vindex honoris, & gloriæ ejus; advocatus misericordiæ, mediator inter caput & membra, ùt ait S. Gregorius Nazianzenus, ut fideles reconciliet cum Deo, & per ipsum; denique dispensator est corporis & sangvinis ejus, & depositarius sanctissimorū quorumcunque mysteriorū. Noli itaque mirari, si S. Joan. Chrysostomus in epist. ad Rom. c. 13. nō vereatur dicere. *bonus enim pastor, & talis,*

qualem Christus vult, cum innumeris componi potest martyribus; siquidem martyr semel propter ipsum moritur, hic verò millies. Id, quod probat hic S. Pater ab exemplo S. Pauli. Dici non potest, quoties apostolus hic mortuus fuerit pro vita fidelium; loquitur quidem de his suis mortibus, sed eas non cõputat, nec numerat, sed præcisè contentus est dixisse: *quotidie morior.* Æstimo felicitatem illius, pergit hic S. Doctor, pro Christo mortuum fuisse; sed pluries facio charitatem illius tam ardentem pro ecclesia JEsu Christi, & pro salute omnium populorum. Multum est, eum tam gloriosè mortuum fuisse; sed longè plus est, quòd tanta fortitudine pugnaverit; quòd tot laboribus se exposuerit, & tot persecutiones pro sponsa JEsu Christi passus sit, & toleraverit. An non plus est, hæc omnia, durante vita sua, eum fecisse, quàm semel tantùm pro evangelio mortuum fuisse? tot vigiliæ, tot sollicitudines, tot jejunia, frigus, calores, fames, nuditates, necessitates, tot genera incommoditatum, tot naufragia, tot sudores, tot pericula, quibus se in omni loco exposuit, an non plus valeant, quàm sangvis ille, quem Romæ profudit? concludamus ergo, quòd nil majus sit coram Deo, quàm si quis dignè se applicat ministerio huic à Deo sibi concredi-

credito. O quot merita jam haberemus, si semper hucusque ità dispositi, & comparati fuissemus! Pro Missa, oremus Dominum, supremum pastorem animarum, ut hunc nobis spiritum concedat; & ut nos ipsos deinceps aliter non consideremus, nisi tanquam victimam semper paratam, ut pro gloria Dei immoletur. O Domine! imprime mihi hoc intimè, totam vitam meam aliud esse non debere, quàm continuum quoddam martyrium, & perpetuum sacrificium; imprime cordi meo hanc praeparationem, & constitutionem internam; & noli permittere, ut de ulla re ampliùs cogitem, quàm ut meipsum tibi sacrificē pro te; *amor in eo, qui pascit oves Christi, in tam magnum debet crescere spiritualem ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quò mori nolumus. & quando cum Christo vivere volumus,* S. Augustin. tract. 123. in Joan.

FERIA QUINTA,

Hæc, cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum sanctum. Joan. 20. 22.

DE ORDINIBUS & BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

1. Quàm cautè conferri.
2. Qua dispositione recipi debeant.

PUNCTUM I. OStendunt verba iſta evangelii, ordinationem presbyterorum magnum eſſe ſacramentum, ſiquidem Chriſtus JEſus apoſtolis ſuis Spiritum S. dedit, ut dignè obire poſſent functiones ordinibus ſacris annexas; docent ſimul, quantam cautelam adhibere debeant illi, qui à divina providētia in eccleſia conſtituti ſunt, ſacros ordines, & beneficia eccleſiaſtica conferendi; nam ſi pro eo, ut ſeligant homines Spiritu S. plenos, ſubjecta indigna ad hanc dignitatem promovent, participes ſe reddunt omnium peccatorum, quæ taliter promoti poſtea committent, ſive deinde ex modica, quam habent, capacitate, ſive per malum vivendi modum; de quo ſeriò monuit apoſtolus Timotheum ſuum: *manus citò nemini impoſueris; neque communicaveris peccatis alienis.* 1. Timoth, 5. 22. Adeò neceſſarium eſſe putavit apoſtolus hoc monitum, ut illud etiam ad Titum ſcribens repetierit: *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* ad Tit. 1. 5. Rogo cum S. Hieronymo omnes epiſcopos, & reliquos ſuperiores eccleſiaſticos, ut quàm maximè attendant, & conſiderent verba iſta: *ſicut diſpoſui tibi: Audiant epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyte-*

sbyteros per urbes singulas potestatem, sub qua lege ecclesiastica constitutionis ordo teneatur, in hunc locum epist. ad Titum. Permissũ igitur eis non est, leviter statim imponere manus quibusvis, quasi primò occupantibus, sine examine, sine probatione, neque ad sacerdotium, neque ad alia beneficia vel officia ecclesiastica, prout ipsis placet, Interim, quod videre est, pergit hic S. P. qui contrarium faciunt? *at nunc cernimus plurimos, hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti; vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui, ut clerici fierent, muneribus impetraverunt.* Si ità locutus fuit S. Hieron. suo tẽpore, quo tot dabãtur sancti episcopi, qui ecclesiam puritate doctrinæ suæ illuminarunt, & sanctitate vitæ suæ ædificaverunt, quid enim dicturũ putamꝰ, si nostris his temporibꝰ vixisset, ubi favor, cõmendationes, servitia, affinitates, tantũ ponderis habẽt in collatione SS. ordinũ, & beneficiorũ ecclesiasticorũ nõ solũ apud laicos, sed, quod non sine lacrymis dici potest, etiã apud ipsos ecclesiasticos! roꝗemꝰ Dominum pro omnibꝰ iis, qui, quacunque ratione aliquid conferre possunt ad collationẽ SS. ordinũ, & beneficiorũ, ut

eis talem ſapientiã & prudentiã dare dignetur, quib9 indigẽt, ut alios ad tantũ miniſteriũ nõ admittãt, niſi à Deo vocatos; &

PUNTUM II. Examinem9 pariter diſpoſitiones illas, quas habere oportet eos, qui ad talia aſpirant. Indicãt nobis SS. PP. tres principales, nimirũ, ut feriò & diu quis de tali ſtatu cogitet; ut ſeipſum longo tẽpore priùs probet; & in virtute benè fundatus & firmat9 ſit. Quicunque ad SS. ordines, vel beneficia eccleſiaſtica præſentari vult, longè antè ſecum expẽdere debet gravitatẽ hujus rei, quanti ſit momẽti; *quis enim ex vobis valens turrim ædificare*, ait Salvator noſter, Luc. 14. 28. *non prius ſedens, computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum?* exponere ſeipſum hoc eſſet periculo, ut quis totâ vitâ ſuâ miſerabilis eſſet, ſi ſe ſacro huic miniſterio exponeret, quin prius benè examinaverit vocationẽ, capacitatẽ, diſpoſitionẽ, ſeu cõſtitutionẽ cordis ſui, per exercitia quædã ſpiritualia, ſub directione ſpiritualis alicujus benè experti, &, ut ſic dicã, inintereſſati ducis ſpiritualis. Oportet ſeipſũ probaſſe longo tẽpore, & in virtutib9 ſe exercuiſſe. *Non neophytũ*, ait S. Pau. hæc erat ſẽper conſtãs in eccleſiâ regula, ut nullus ad ſacerdotiũ, neque ad officia eccleſiaſtica promoveretur, niſi poſt habitam priùs longam

talem

talē probationē. *Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur ecclesiæ*, ait quidā summus pontifex; (Hormidas Papa epist. ad Episcop. Hisp.) hinc ordinata fuêre interstitia, quæ à tot conciliis & pontificib9 jussa sunt exactè observari. Concil. Trid. sess. 23. c. 11. Interim ad opprobrium sæculi nostri fateri cogimur, videre esse magnū numerū neophytorū in sacerdotiū & functiones ecclesiasticas se ultro ingerere. Quot sunt, qui adhuc infantes in pietate episcopos renitentes cogunt, ut in numerū Patrū coaptētur; quíque primū discipulatū inceperunt, jam cōscendere volunt doctorū cathedras! id est, ùt S. Hieron. epist. ad Rustic. loquitur: *miles, antequam tyro; prius magister, quàm discipulus.* O quàm cōmunis & ordinarius est abusus iste! vide, an non ipse etiam illū admiseris? ingemisce corā Deo, ob modicā præparationē, quâ ad SS. ordines accesisti, vel ad illā dignitatē, quam modò in ecclesia obtines. Roga supremū sacerdotē, & episcopū, quē brevì in altari repræsentabis, ut resuscitet in te gratiā sacerdotii, ad quod S. apostolus te invitat per verba ista ad discipulū suū scripta, quæ quilibet clericorū continuò suis collegis repetere, & inculcare deberet; *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* 2. Timoth. 1.

FERIA SEXTA.

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis Joan. 20. 23.

De potestate dimittendi, vel retinendi peccata.

Quàm magna, & eminens, ſeu excellens ſit hæc poteſtas.

2. Qualitates in eo repoſitæ, qui illam exercet.

PUNCTUM I. ADoremus Chriſtum Dominum inſtituẽtem ſacramentũ pœnitentiæ, & dantẽ apoſtolis ſuis, omnibùſque ſucceſſoribus eorum in vera eccleſia poteſtatẽ remittẽdi peccata. O quàm excellens eſt poteſtas iſta? quàm omni æſtimatione & attentione digna! conſideremꝰ ergo hìc cum S. Gregor. M. ad quantã dignitatẽ vocati ſint humiles Chriſti diſcipuli! *libet intueri, illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti. Ecce,* pergit hic S. Pontifex, hom. 26. in evang. *non ſolùm de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatẽ relaxationis accipiunt; principatumque ſuperni judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent.* Et deinde ſubjungit: *ligandi atque ſolvendi authoritatẽ ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor,*

nor, sed grande pondus istius est honoris. Durum quippe est, ut, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ; judex fiat vitæ alienæ; & plerumque contingit, ut hic judicii locum teneat, cui ad locum vita minimè concordat. Pulcherrima doctrina & lectio pro ministris ecclesiasticis, præsertim pastoribus, & confessariis; frequenter cogitare debent de honore isto, quē à Filio Dei acceperunt; *dedit nobis ministerium reconciliationis*, ait S. Paulus 2. Cor 5. 18. participes eos fecit potestatis, authoritatis, ac qualitatis suæ, ùt judicis & salvatoris. Quàm gratos esse oportet ad tantā dignitatē sublimatos? verùm meminerint etiam, dum in tribunali poenitentiæ quasi in throno judiciali sedent ad decidendū de statu conscientiæ, & salute animarum, memores, inquā, sint periculi, quod ministerio suo annexū habēt, & omni sollicitudine uti studeant multâ prudentiâ & circumspectione, in exercenda ista potestate ligandi atque solvendi; conclusio est, quam ex præcedentib9 deducit S. Greg. *ut sub magno moderamine pastores ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare.* Ad hunc finem

PUNCTUM II. Videamus, quæ sint qualitates confessario necessariæ ad hoc, ut digné valeat exercere ministeriū suū. Principales sunt 1mo. *scientia*, sed talis sci-

entia, quæ sibi conjunctā habeat divinam unctionē, à qua amorē virtutis acquirat; *labia sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ejus ore requirent.* Malach. 2. Scire debet confessarius, quamnā potestatē habeat; item censuras Papæ, vel episcopo reservatas; aliósque casus sine censura reservatos, ut non absolvat eos, in quos nullā habet jurisdictionē. Debet plenè instructus esse principiis, & veris ac approbatis regulis scientiæ moralis; studere casib9 in probatis authorib9, ut discernere valeat inter lepram & leprā, id est, inter peccatū mortale & veniale, ac injungere sciat pœnitētias convenientes & salutares; *erudimini, qui judicatis terram.* Ps. 2. 10, 2. *Prudētia,* ut rectè judicare valeat de statu conscientiarū secundùm differentiā dispositionū & necessitatū; ante omnia autē, ut nullo modo violet inviolabile sigillū sacramentale, quod in ore hominū imprudentū valdè periclitatur. *Labia imprudentûm stulta narrabunt* Eccles. 21. 28. 3. *Patientia,* ut in exercitio isto tam laborioso non efficiatur tædiosus, & ut supportare valeat defectus, & imperfectiones pœnitentiū cum mansuetudine; *qui condolere possit iis, qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Hebr. 5. 2. 4. *Castitas,* ne illis infortunatis similis efficiatur, de quib9 S.

Ju-

Judas apostolus: *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.* Jud. 4. Sed magnā sollicitudinē adhibeat resistendi tentationib9, quæ ipsi tam in confessionali quàm extra occurere possunt, adeò, ut sit instar rosæ in medio spinarū; & quasi alter Loth, qui in medio Sodomæ *aspectu & auditu justus erat*, ùt ait S. Petrus 2. ep, 28. *habitans apud eos, qui de die in diem animam justam injustis operibus cruciabant*. Denique ultima & principalis conditio ac qualitas confessario necessaria *charitas* est, quam & erga se, & erga pœnitentes suos habere debet. *Pro se*; ad confessionale non aliter accedens, nisi in statu gratiæ; ne alios judicando seipsū damnet. *Pro aliis*, nullos à cura sua excludendo, sive parvos, sive magnos; pauperibus æquè, ac divitib9 se promptū exhibendo; *ità parvum audietis ùt magnum; nec accipietis cujusque personam, quia judicium Dei est*. Deuter. 1. 17. O quàm sunt pauci ex confessariis, qui omnes has possideant qualitates! pete illas à Deo pro iis; & si ipse confessarius sis, vide, in qua ipse delinquas? rogà etiam JEsum Christum per charitatē illam, quâ se tibi coīnunicat, ut tibi eas concedere dignetur, ne decisiones tuæ seu judicia, quæ in tribunali pœnitentiæ exerces, in tuā propriā damnationem cedant. *Videte, quid faciatis; non enim*
homi-

hominis exercetis judicium, ſed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit.

DIE SABBATHI.

Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt. Joan. 20. 23.

DE DILATIONE ABSOLUTIONIS.

1. Oportet quandoque abſolutionem differre.
2. Utilitas hujus dilationis.

PUNCTUM I. COlligere debemus ex verbis iſtis, datā eſſe poteſtatē clavium eccleſiæ ad ligandū æquè, ac ad ſolvendū, prout advertit concilium Trident. ſeſſ. 14. de pœn. c. 8. id eſt, ſacerdotes non poſſe ſolùm dimittere, ſed etiam retinere peccata, vel negādo vel differēdo abſolutionē iis, qui digni nō ſunt abſolutione, quales illi ſunt, qui in ignorātia vivunt principaliū myſteriorū fidei noſtræ; qui verum dolorē de peccatis ſuis nō habent; qui injuſtitias com̄iſerunt, quas reparare nolunt; qui inimicitias fovēt cum proximo; neque reconciliari volunt; qui malis conſvetudinibus implexi ſunt, vel occaſioni proximæ inhærent, quam deſerere nolūt. In iſtis, & ſimilibꝰ caſibusqui in rituali annotantur, non poſſunt confeſſarii impertiri abſolutionē, quin miſteriô ſuô abu-

tan-

tãtur, si aliter faciãt, adulãtur peccatorib9, pro eo, ut iis medeãtur; nutriunt scelera eorũ, pro eo, ut ea eliminẽt; annuntiãt pacẽ, cum nũquã magìs irascatur Deus peccatorib9, quàm tunc; *consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Ezech. 13. O pacẽ falsam, & inutilẽ! exclamat hìc S. Cyprian9, *irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientib9 pro futura.* Cypr. lap. Quot autem sunt confessarii, qui obligationis suæ obliti, quâ Deo, proximo, & ministerio suo tenentur, nesciunt, quid sit differe absolutionem, qui animas decipiunt per turpem conniventiam, ut eis provideant & remediis salutarib9; quique se ità gerunt in hac spirituali cura animarũ, ut pudere eos deberet, prout id ipsum falsis quibusdam prophetis exprobravit Deus: *curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia, dicentes pax, & non erat pax.* Jerem. 9. 14. Tales sunt Empyrici ignorantes, qui nonnisi unicum remedium pro omnib9, qui ad eos veniunt, habent. Non petunt isti, ut multæ lacrymæ; suspiria, humiliationes, jejunia, vel preces interveniant; quàmprimùm facta est narratio scelerum etiam maximè infamium & gravissimorũ; jam videtur ipsis adesse sufficiens dispositio, ut sanctissima etiam sacra

men-

menta percipiantur, non eſt, cur quis ſibi amplius quidquam timeat ob præterita peccata. Hoc appellant illi manſvetudinē, verùm juxta SS. doctrinam *hoc non eſt curare, ſed ſi dicere verum volumus' occidere*, ait Cletus Romanus ad S. Cyprianum ſcribens epiſt. 39. Igitur certus eſto, dilationem abſolutionis in aliquibus circumſtantiis neceſſariam eſſe.

PUNCTUM II. Expende modò etiam utilitatem hujus dilationis. 1mo. locum dat pœnitenti, ut in ſeipſum redeat; melius examinet ſtatum conſcientiæ ſuæ, & videat, utrum non hucuſque vixerit in cōtinua profanatione SS. ſacramentorū. 2. Cognoſcit ex hoc pondus & gravitatem ſcelerum ſuorum; obligat illum, ad concipiendū de illis majorem dolorem, & ad expianda illa per fructus dignos pœnitētiæ, ex quibus vera converſio cognoſci poteſt, ùt S. Greg- l. 6. in 1. Reg. c. 1. advertit; *tunc benè converſum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* 3. Impeditur per illam relapſus, quem tot homines non curant, & exinde in execrabilē quādam præſumptionem labuntur, prout id deplorat concilium Toletanum. *Quoniam comperimus &c. fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut, quoties pecca-*

re

re libuerit, toties à presbyteris se reconciliari postulent. Concil, Tolet. 3, sub Pelag. II. can. 11. Ad reprimendã hanc insolentiã vide, quid idem concilium ordinaverit: *ut secundùm formam canonum antiquorum de pœnitentia, hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, à communione suspensum faciat, inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere.* Rogamus confessarios & pœnitentes, ut benè secum perpẽdant rationes istas; neque dicant, ejusmodi dilationes & longas poenitentias olim bonas fuisse, non autẽ modò; quia spiritus ecclesiæ semper idem est, nec unquam mutatur. Quamvis exterior disciplina & rigor mutatus sit, nihilominus credit adhuc hodie, prout id explicavit in concilio Tridẽt. sess. 14. c. 2, & 8. innocentiam baptismalem deperditam aliter non reparari, nisi multis lacrymis & gemitibus, precibus, jejuniis, labore multo; adhuc hodie credit, aliquem justificari non posse, nec in gratiã cum Deo redire, nisi per veram conversionem cordis; neque credit, hanc mutationem opus esse unius momenti, vel effectum resolutionis cujusdam raptim factæ, saltem de via ordinaria. Resolve te igitur adhibere imposterum ejusmodi dilationem, si modò non fecisti in iis occasionibus, ubi te ad illam obligatum videris;

ris; & pro præparatione ad Miſſam, roga Deum, ut te in hac reſolutione tua confirmare velit! pete inſuper ab eo, ut nil præpoſtere in re tanti momenti facias, ſed omnia pro gloria Dei & ſalute animarum, ex hac ſola intentione, ut ordinationi eccleſiæ ſatisfacias. *In eccleſia, ubi maximè miſereri decet, teneri debet quàm maximè forma iuſtitiæ, ne quis à cammunionis conſortio abſtentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, communionem, quam plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate ſacerdotis extorqueat. Nonne, cùm uni indulget indigno; plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari? facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquenti* S. Ambr. in pſ. 118. ad hæc verba: *miſerere mei, ſecùndùm eloquium tuum.*

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis; vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1. Petr. 2. 21.

De passionibus Christi.

1. Exemplum ſunt, quod nos imitari debemus.
2. Et motivum; quod nos animare debet.

PUN-

PUNCTUM I. NOn ſufficienter nos reflectimus ſupra citata verba hujus epiſtolæ, quæ chriſtianis vocationem eorum ſecundùm latitudinem ſuam totam oſtendunt. Scimùs quidem vocatos nos eſſe ad regnum cœlorũ, ut ſimus cohæredes Chriſti JEſu, ſed non ità capimus,quod pariter ad imitationẽ Salvatoris, & ad cõmunicandũ Chriſti paſſionibꝰ, vocati ſimus. *In hoc enim vocati eſtis.* 1. Petr. 2. 21. Vellent homines libenter iſtas duas res ab invicem ſeparate, frui, ac gaudere in altera vita felicitate æterna, & non transire per mala, ſeu ærumnas vitæ præſentis. Oſtendit S. Petrus hoc fieri non poſſe, & ait: quòd, ſi participare velimus de gloria Chriſti, etiam ipſius paſſionibꝰ cõmunicare debeamꝰ. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exẽplum.* Ergo non decipiamus nosmetipſos: verum eſt, cœlum nobis promiſſum eſſe, ſed nonniſi ſub iſta conditione: *ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Rom. 8. Fieri poſſumus cohæredes JEſu Chriſti, ſed transire cum ipſo oportet per eaſdem probationes. Pati debuit ipſe, antequam intraret in gloriam ſuam; nos non debemus ſperare, quaſi per aliam januam illuc intrare poſſemus; *non eſt ſervus major Domino ſuo*, ait ipſe, ſi ipſe paſſus eſt, ut in glo-

riam ſuam intraret, an non juſtum eſt, ut & nos patiamur? Salvator noſter, ait S. Auguſtinus, in carne noſtra mortali, quã aſſumpſit pro ſalute noſtra, duas vias eſſe voluit; unam pœnitentium, laborioſam, & plenam ærumnarum, per quam neceſſariò transire debemus ad expienda peccata noſtra; alteram felicem, quam ſperare debemus, ſi idipſum faciamus, quod ipſe fecit; *unam laborioſam, quam tolerare, alteram beatorum, quam ſperare debemus.* l. 2. de actis cum Felic. Manich. c. 10. Quando ergo in aliqua afflictione ſumus, memores ſimus: tempus modò eſſe ærumnarum, & quòd pro capite ac duce; in quem continuò occulos noſtros defixos habere debeamus JEſum crucifixum, *aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem JEſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Hebr. 12. 2. En formam, ac exemplar noſtrum, cui nos aſſimilari oportet. Siquidem prædeſtinatio noſtra non in alio fundatur, niſi in hac conformitate cum ipſo. Rom. 8. 29. Ipſe amavit crucem, ut nos induceret, ad eandem amandã; contempſit confuſionem & ignominiam cruci anexas, ut doceret nos pariter eas contemnere, Denique reliquit nobis paſſiones & ærumnas ſuas, non ſolùm pro exemplo, quod imitemur, ſed etiam

tiam pro motivo à quo animemur.

PUNCTUM II. Hinc S. Petrus pro posito nobis Christi patientis exemplo advertit, quòd ista passus sit, nil tale promeritus; poterat nihil prorsus pati, si voluisset, *qui 1 peccatum nullum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* 1. Petr. 2. Liberum illi erat, crucem non pati; *potestatem habeo*, dicebat ipse Joan. 10. 18. *ponere animam meam, & iterum sumere eam.* Si ergo ille, qui nihil habebat, quod eum mori cogeret in cruce, tamen pro nobis crucifigi voluit, qui mortem toties promeriti sumus; quàm justum, & æquum est, ut & ipsi aliquid patiamur? væ nobis, si hoc non obstante, divinum hunc Salvatorem non amemus, qui iniquitates nostras in se suscepit, quas per tot opprobria & dolores delere voluit; verùm adhuc magìs væ nobis, si ut peccatores, & plus quàm dici potest peccatores, ærumnas & passiones refugiamꝰ, quæ medicina, & castigatio sunt peccatorum. *Filius unicus, sine peccato, non tamen sine flagello* S. August. in Ps. 31. Christus Filius unicus est æterni Patris, objectum complacentiæ illius, & tam crudelia tormenta subiit, & nos qui sumus filii iræ, & digni infernalibꝰ pœnis, quomodo audebimus dispensare nosmetipsos, ne quidquam tale patiamur, quod tamen à vita præsenti in-

ſeparabile eſt? en! quod cor noſtrum penitùs inflammare ac animare debeat ad omnia toleranda pro Chriſto, quemadmodū ipſe omnia pro nobis tulit. Patiamur igitur *cum ipſo*; patiamur *pro ipſo*; & patiamur *prout ipſe*; ſiquidem cum ipſo regnare cupimus; *ne te ſine flagello ſperes futurum, niſi fortè cogitas exhæredari.* ibid. Pro cōmunione vel Miſſa accede ad S. altare, ad diſcendū in ſchola Chriſti, quòd via paſſionis ſecuriſſima ex omnibus ſit, perveniēdi in cœlum; ipſe tam perfectè ſciebat, hanc optimam eſſe viam, ut licèt nullâ neceſſitate cogeretur ad eam amplectendam, nihilominus eam ambulare voluerit, ut efficaciùs nos convinceret; non intermiſit æquè nos, per exemplū ſuū ac verba ſua ad hoc ipſum adhortari, *qui non bajulat crucem ſuam, non eſt me dignus.* Matth. 10, 38. Amplectamur igitur libenter hanc pretioſam crucem, quæ nos ipſo dignos reddit; quidquid ærumnarum nobis tolerandū occurrat in noſtro miniſterio, non triſtemur, ſed potiùs è contrario lætemur, nos ad eum modum tractari pro amore divini magiſtri noſtri. Meminerimus verborū iſtorum, quæ S. Bernardus in præfat. Pſ. 90. ad ſuos religioſos dixit: *mortificamini, ſed propter eum, qui mortuus eſt pro vobis.* Multa patimini, verum eſt; ſed hoc pro eo,

qui mori pro vobis voluit, si mundus, qui consurrexit adversùs Christum, nos quietos relinqueret, an non jure merito timere deberemus, nos non amplius esse discipulos illius? ô mi Salvator, fac, ut, dum te, Deum spinis coronatum, pro duce, & capite meo habeo, non sim membrũ delicatum; tolle à corde meo, dum in illud veneris, omnem illum horrorem, quem de ærumnis & passionib9 habet; *amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Ps. 118.

FERIA SECUNDA.

Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, livore sanati sumus. 1. Petr. 2. 24.

De Cruce Christi.

Exhortatio nobis est
1. Ad fugam omnium vitiorum.
2. Ad praxin omnium virtutum.

PUNCTUM I. ADoremus D. N. J. C. offerentem pro nobis in cruce patri suo divino non victimam alienam, sed proprium corpus suum; *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Agnoscamus cum S. Petro, eum esse, *cujus livore sanati sumus.* Et quantùm

fieri poteſt, frequentius nos occupemus ſanctiſſimis hiſce vulneribus, quia, ùt advertit S. Auguſtinus de agone Chriſti. c. 11. *hæc medicina hominum tanta eſt, quanta non poteſt cogitari.* Nulla eſt paſſio, nullum vitium, nullus defectus, pro quo remediū non inveniamus; in conſideratione paſſionis & mortis JEſu Chriſti; crux ipſius exhortatio nobis eſt continua ad fugam omnium profus vitiorum; *hæc omnis hortatio.* Quænam ſuperbia e. g. ſanari poſſit, ſi nō per humilitatē Filii Dei curetur, qui factus eſt obediens uſque ad mortē, & quidem infamem mortem crucis? quæ iracundia ſanetur, ſi non per patientiam infinitā Filii Dei, qui non niſi verba manſvetiſſima repoſuit iis, qui ipſum maledicebant? *qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* 1. Petr. 2. 23. Qualis vindicta ſanabitur, niſi per illud profundum ſilentium, quod coram Pilato tenuit, dum injuriis, ac injuſtiſſimis occaſionibꝰ impetebatur? *JEſus autem tacebat.* Fateamur igitur cum S. Auguſtino ibid. non eſſe remedium huic ſimile; *ô medicinam omnibus conſulentem, omnia tumentia comprimētem, omnia tabeſcentia reficientem, ſuperflua reſecantem, omnia neceſſaria cuſtodientē, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigētem!* Nil ergo utilius omnibus Chriſtianis,

quàm

quàm ut se Christo crucifixo occupent; hinc discere possunt in generali omnes fideles; hinc discere possunt omnes clerici; hinc pastores animarum; hinc denique instrui possunt & perfecti & imperfecti; *ubi fortitudo,* ait devotissimus Bernardus in cant. Serm. 62. *nisi in Christi passione?* non solùm medium invenimus ibi, vitandi omnia vitia, sed insuper exercendi nos, in omni genere virtutum.

PUNCTUM II. Nulla prorsus est virtus, nulla sancta actio, pergit ulterius S. Augustinus, cujus non perfectissimã formã & normam In Christo JEsu patiente & moriente pro nobis inveniamus. Discimus ab illo, ait S. P. ut non diligamus res hujus mundi, *quia si benè amarentur amaret ea homo, quem suscepit, Filius Dei.* Discimus non timere injurias, cruces imò neque ipsam mortem; *quia si nocerent homini, non ea peteretur homo, quem suscepit Filius Dei.* Quis laicorum aut clericorum conqueri audeat, quòd malè tractetur, quòd injurias & contemptus sustineat, si consideret id, quod ipse meretur, & quid JEsus promeruerit ? quod ipse patitur, & quod JEsus Christus? si quis pastor tantùm laboris subiisset, & tolerasset tot afflictiones, oppositiones, injurias, oppessiones, persecutiones, ingratitudines, quales S. Gregori-

gorius Nazianzenus expertus eſt Saſimi, & poſtea Cōſtantinopoli, tam à malis chriſtianis, & hæreticis, quàm à populo ingratiſſimo, imò ab ipſis quoque pluribus epiſcopis, tanti aliàs meriti an non diceret in comparatione iſtorum omniū cum iis, quæ Chriſtus pro nobis paſſus eſt, ab hominibus, à propriis diſcipulis; an non diceret, inquam, cum hoc ipſo S. Gregorio, quòd adhuc longè abſit, ab hoc divino exemplari? *multa adhuc*, ait hic S. P. Orat. 28. *quamvis multa pertulerit, reſtabant; acetum, fel corona ſpinea, ſceptrum arundineum, chlamys coccinea, crux, clavi, latrones ſimul affixi, prætereuntium contumeliæ.* Omnia diſparerent ad præſentiam crucis Chriſti, ſi homines objectum hoc tam præſens, & oculis ſuis expoſitum, ût oportet, haberent. Judicare id poſſumus ex effectu illo, quem die illo cauſat, qui ab eccleſia ad honorandum hoc ipſum myſterium deſtinatus eſt; quia, etſi fortè in quàm plurimis chriſtianis nonniſi ſuperficialem quemdam motum, & affectū cauſet, hic ipſe tamen ſufficit, ut tunc alium agendi modum teneant, vanas diverſiones, & recreationes dimittant, & exterius aliquam ſpeciem ſaltem alicujus pœnitentiæ, & mortificationis aſſumant; ſiquidem putant, gaudia hujus mundi parùm convenire diei huic, qui omnibꝰ chriſtia-

ſtia-

stianis esse debeat dies lacrymarum, quēadmodum dies dolorum pro Chtisto JEsu fuit. Jam, quod bona consuetudo hæc, laudabiliter introducta, de uno solo die, etiam minus bonos, imò aliás dissolutos judicare cogit, hoc ipsum ratio & pietas à nobis evincere pro omni vitæ nostræ tempore possit? passio D. N. J. C. non debet esse festum aliquod solummodò transiens, sed totius vitæ nostræ. Tota æternitas destinata est ad fruendum JEsuChristo glorificato, ut particeps simus gloriæ, & felicitatis suæ; & tota hæc presens vita destinata deberet esse, & occupata, Christo JEsu crucifixo, ut ad ipsius imitationem incitemur & animemur. Pro præparatione ad Missam vade hodie ad altare non aliter, ac si ad montem calvariæ ires; omnia ornamenta sacerdotalia, quibus indutus incedis, memorem te reddere debent, quid Jesus in passione sua toleraverit; nunquam te iis indue, sine aliqua reflexione ad illa, & siquidem crux pro Salvatore nostro non erat objectum aliorum transitorium; sed eam nunquam à principio vitæ usque ad mortem, ex corde suo dimisit, & tu fac similem resolutionem, eam nunquam obliviscendi nec dimittendi à corde tuo; *mortem Domini annuntiabitis, donec veniat* 1. Cor. 11. 26.

FERIA TERTIA.

Ego ſum Paſtor bonus. Joan, 10. 11.

DE BONO PASTORE.

1. Chriſtus Jeſus exemplar eſt omnium bonorum paſtorum.
2. Qui eum omni conatu imitari debent.

PUNCTUM I. ADora JEſum ſub tã amabili conſideratione tanquam bonum paſtorem; & pro materia meditationis vide, qualiter partes illius, & functiones obeat. Si vis ſcire labores & defatigationes hujus optimi paſtoris, in quærendis ovibus ſuis deperditis, alio opus non eſt, quàm ut evangelium inſpicias. Numera ibi omnes paſſus illius, & greſſus, quos fecit; ſequere illum, quocũque ivit, ut eas inveniret, & reduceret. Conſidera eum, in particulari inſequentẽ unam ex eis, ità ut præ laſſitudine ſuper puteum quemdam ſederit, & quieverit. Nempe tunc, ùt Joannes dicit, Joan. 4. quando Samaritanam invenit. Vide eum in domo Simonis leproſi, quærentem aliam ſimilem ovem errantem, ideſt, Magdalenam, quia, etſi illa venerit, querere JEſum, in domo Phariſæi, hoc non aliter factum fuit, niſi, quia ad id permota fuit gratiâ Salvatoris, qui cor ejus tetigit, & greſ-

gressus ejus direxit, Luc. 7. Vide hunc ipsum divinum pastorem aliâ occasione quærentem unam ex ovibus suis in Capharnaū, sedentē ad telonium; id est, Matthæum, quē postea mutavit in Pastorem, Matth. 9. & in Jericho Zachæum, Luc. 19. Vide, quomodo viscera ejus ad cōmiserationē moverīt oves erroneæ domûs Israël, ubique dispersæ, & vagabundæ? quomodo nullam requiem habuerit neque de die, neque de nocte, percurrendo villas, castella, tuguria, deserta, ut unam talem inveniret, orando, ingemiscendo, supplicando divinæ majestati Patris sui clamore valido atque ardenti pro salute earum; denique seipsum sacrificādo in cruce, ut eas à morte, quam meruerant, erueret. *Quoties volui congregare filios Jerusalem, quemadmodum gallina congregat pullos suos?* Matth, 23. 37. Ingredi ac penetrare oporteret cor divini hujus pastoris; ut quis mēsurare posset latitudinē, profunditatē, altitudinē, lōgitudinē, & oxtensionē charitatis illius pro salute hominū. Aspice eum in ipsa cruce pendentē, ubi, quamvis manus ejus horribilibûs clavîs affixæ sint, non tamen cessat, præripere diabolo unam ex ovibus suis, quam jam ùt suam prædam unguibus suis tenebat; hic est bonus latro. Vide, quomodo ex ipso cœlo adhuc semel de-

scen-

ſcendat, ut raperet ovem quamdam errantem; nempe Saulum, quem in via Damaſcum versûs deprehendit, Act. 9. Denique conſidera eum in ipſo cœlo continuò orantem Patrem ſuum pro converſione & ſalute omnium ſuorum; & paratum, de novo iterum deſcendendi de cœlo, ſi, hoc neceſſe foret, ut pro una ſola ſeipſum im̃olaret. Rationem igitur vel maximè habemus dicendi hìc cum S. Paulo: *charitas Chriſti urget nos.* Petit illa regreſſum cordium noſtrorum ad eum: quia verò ſatís non eſt, admirari ſolum̃odò hoc grande exemplar, & formã omniũ bonorũ paſtorũ-

PUNCTUM II. Debemus tanquã clerici omnem conatum adhibere. ut illum imitemur; & ideò elegit nos de medio populi, ut & nos quæramus oves perditas; quemadmodum ipſemet nos quæſivit; *poſui vos, ut eatis, & fructum àfferatis.* Joan. 15. 16. Hæc eſt pœnitentia, quam nobis impoſuit, prout illam S. Petro, capiti omniũ paſtorum, impoſuit, poſtquam ei dimiſit peccatum ſuum; mandavit enim ei, ut curam ovium ſuarum in ſe ſuſciperet. Joan. 21. En! negotium, & officium noſtrũ, cui nos conſecrare debemus, ſi infinitam divini benefactoris in nos miſericordiam grati agnoſcere volumus, neque laborem, neque defatigationem, neque ſudorem, neque ſolici-

licitudinem, imò neque ipsam vitam nostrã excipere, aut illi parcere debemus, ut oves à perditione revocemus. Felix ille pastor, qui hoc modo pro salute ovium suarum laborat: talis nimirum sanctus pastor ipsâ sanctitate vitæ suæ idipsum cum S. Paulo 1. Cor 4. 16. nobis dicit; *rogo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* O quantũ boni non præstat talis in diœcesi? quot animas non eruit à peccatis, & inferno? lætificat pastor talis totam ecclesiam, homines, angelos, imò ipsum JEsum Christum. O Pastor tam charitative tener, compassive, miseriis aliorũ adeò com̃ote, tam prõpte fratribus tuis succurendi, & te ipsum sacrificandi pro iis, quàm grandis erit merces tua in cœlo; perge itá fidelis esse in m̃inisterio tuo, lucrari animas, pretioso Christi sangvine redemptas, cum detrimẽto bonorum tuorum, propriæ quietis, sanitatis, imò vitæ ipsius dicendo cum apostolo Act. 20. 24. *non facio animam meam pretiosiorem*, quàm me, dummodo consumẽ cursum meum, & ministeriũ verbi, quod accepi à Domino JEsu. Et ut magìs ad id animeris, & accendaris, pone tibi continuò ob oculos tuos divinum pastorem tuum, qui postquam te eripuit ab ungvibus leonis, te in humeros suos sustulit; dic ad eum cum Davide Psa. 29. *Domine eduxisti*

ab inferno animam meam, ſalvaſti me à deſcẽdentibus in lacum. O bone Deus! quàm carò ego conſtiti tibi! humiliationibus continuis, doloribus exceſſivis, verbô: effuſione totius ſanctiſſimi ſangvinis tui emiſti me; ô! ſi vel mille vitas ſacrificarẽ pro ſalute animarum, nec minimam partem exſolvere poſſem eorum, quæ tibi debeo! Pro præparatione tua ad Miſſam, ſupplica principi paſtorum, qui te carne ſua paſcere dignatur, ut te participem etiam faciat charitatis ſuæ, quò poſſis eum in aliquo ſaltem imitari, & de manu ejus aliquando recipere coronam gloræ immarceſſibilem. *Et cùm apparuerit princeps paſtorum; percipietis imarceſcibilẽ coronam.* 1. Petri 5. 4.

FERIA QUARTA.

Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis Joan. 10. 11.

DUPLEX OBLIGATIO PASTORIS.

1. Debet paſcere gregem ſuum.
2. Et ſeipſum pro illo ſacrificare.

PUNCTUM I. PRima boni paſtoris obligatio eſt, ut gregem ſuum à Deo ſibi concreditum paſcat; facere hoc debet, ait S. Bernardus in cant. cant. priora cap. n, 22. tripliciter; *exemplo, verbo, & oratione; grex Domini tribus modis paſcitur à paſtoribus, exemplo, verbo, & oratione.* 1mo. debet paſcere gregem *exẽ-*

plo

plo sanctæ vitæ, & ædificatoriæ. Hinc primum, quod S. Paulus pastori evangelico comendat, illud est, ut sit irreprehensibilis. *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse.* 1. Timoth. 3. 2. Statuit hoc pro basi, & fundamento omnium aliorum: & prima regula, quam S. Petrus, caput omniũ pastorum post Christũ, nobis reliquit, hæc est, ut simus exemplar, & norma gregis nostri curæ nostræ concrediti; *forma facti gregis ex animo.* 1. Petr. 5. 3. Non authoritas in regimine quidquam valet, ad directionem animarum, sed exemplũ; hinc videmus ecclesiæ nil adeò cordi esse, quã bonam vitam ministrorum suorum; certò tibi hoc persuadas: *exemplnm esto fidelium.* 1, Timot. 4. 12. En! primam obligationẽ boni pastoris. 2. Debet pascere populum suum *verbo Dei.* Væ illi, si curam non adhibeat instruendi illum in fidei mysteriis, & annũtiandi evangeliũ JEsu Christi, quia omni lege ad id tenetur, hance necessitatem ei imponit ipsa qualitas pastoris *Væ mihi, si non evangelizavero: necessitas enim incumbit mihi.* 1. Cor. 9. 16. Væ ipsi, si sustentationem suam â populo habet, & illos præ fame verbi divini mori permittit; *lac comedebatis, & lanis operebamini, & gregem meam non pascebatis,* ait Dominus ad pastores apud Ezechielẽ

cap.

cap. 34. 3. Qualis desolatio! qualis desperatio in hora mortis, quãdo sibi à Jesu Christo exprobrari audiunt, quod tot simplices, tot pueri & puellæ, non aliâ ex causâ in ignorãtia vixerint, quàm quia neglexerunt frangere illis panem verbi divini per catechismum, & alias bonas instructiones; *parvuli pertierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Thren. 4. 3. Bonus pastor debet suos juvare *orationibus suis; orationi & exhortationi diligenter instent verbô pariter & exemplo,* ait 4tum concilium Lateranense can. ult. oportet pastorem esse hominem orationis, qui sciat tenere commercium, & sanctam familiaritatem cum Deo, ut ab eo accipiat, quod populo suo distribuere possit. Hic nempe debet ad exẽplum Moysis supra montem repleri luminibus & veritatibus divinis. *Ex consortio sermonis Dei.* Exod. 34. Pastor sine oratione miles est sine armis; navis sine navarcho; potest quandoque desistere ab instructione, nunquam autem ab oratione pro ovibus suis; *absit à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis.* 1. Reg. 2. 23. Ah! quàm pauci dantur pastores, qui hoc modo pascant, & nutriant gregem suum! interim neque hoc ipsum solũ sufficeret.

PUN-

PUNCTUM. II. oportet, ut bonus paſtor ſeipſum etiam ſacrificet pro grege ſuo; *animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Hoc eſt, quòd nulli rei parcere debeat, ſi de ſalute animarum ſibi concreditarum agatur. *Benè præeſſe,* ait S. Chryſ. in 1. Timoth. 4. *hoc eſt, nulli parcere, illorum, regiminis causâ.* Nō debet parcere ulli tempori, quod animab9 curæ ſuæ cōmiſſis totum debet. Qui negotia Dei tractanda ſuſcepit, alia in ſe ſuſcipere nequit. Omnia alia negotia, curæ & ſæcularia cōmercia dedecent miniſtrū evangelii. Miles nulli alteri ſervire, ſeu militare debet, niſi cui nomen dedit; paſtor animarum miles eſt JEſu Chriſti, obligavit ſe illius ſervitio; aliô ergo ſe occupare non debet, quàm ut huic placeat: *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus,* ait Apoſtolus 2. Timoth. 2. 4. *ut ei placeat, cui ſe probavit.* Non debet parcere bonis ſuis in tali occaſione, ubi de gloria Dei & ſalute animarum agitur. Scire debet, eccleſiam Dei nil proprium poſſidere, niſi fidem, & bona ſua nonniſi ſuſtentationi pauperū deſtinata eſſe, prout S. Ambroſius epiſt. 19. loquitur; *poſſeſſio eccleſiæ ſumptus eſt egenorum.* Bonus paſtor aliter conſiderare ſe nō debet, niſi tanquam patrē pauperum parochiæ ſuæ, & ut eos conſoletur, quantum poteſt, ùt eò fidelius deinde ſerviant Deo

ſuo. Non debent parcere vel ipſi vitæ ſuæ, ſi neceſſe ſit, eam exponere pro ſalute animarum: omnes ſancti paſtores dixerunt cū S. Paulo 2. Cor. 12. 15. *ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Non defecerunt in amore JEſu Chriſti, & eccleſiæ ſuæ, neque in infirmitatibus, nequè in ſenectute, neque in exilio, neque in calumniis aliorum, neque in ipſa morte. Non ſolùm tantùm animi habuerunt, ut pro ſalute populi ſui morerentur; ſed quod prorſus ſtupendum eſt, non recuſarunt diutius vivere, non obſtante, quòd totis viſceribus concupierint mori, & eſſe cum Chriſto, quod de S. Martino legimus. Octoginta ſex annorum erat ſanctus hic vir, & tumulo proximus; videbat cœlum ſibi apertum; & tamen promptus erat de novo incipere labores ſuos, pro ſervitio illius: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius*, ajebat, *non recuſo laborē. Fiat voluntas tua.* Sever. Sulpit. ep. 3. ad Bac. Ecce, quò deveniat tandē charitas boni paſtoris! vide nunc, qualis tua ſit? & ſi curæ paſtorali addictus non es, eam non aggredere, niſi talem eminentē charitatē poſſideas. Memor eſto, ait S. Auguſt. Tract. 124. in Joan. Filium Dei ter interrogaſſe S. Petrū de amore ſuo, priuſquam illi cōmiſerit oves ſuas; *interrogatur amor, & imperatur labor.*

Pe-

Pete hanc à Deo gratiã, dum ad altare accedis; sed non pete illam solùm pro te; pete illam etiam pro omnib9 pastorib9, & ecclesiæ ministris, quib9 ea tam necessaria est, ut sine illa Deo planè dignè servire non possint, prout S. Bernar. serm. 18. in cant. n: 6. id annotavit: *eam charitatẽ nondum adeptus, periculosissimè promovetur, quantumlibet aliis videatur pollere virtutibus.*

FERIA QUINTA.

Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientẽ, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves. Joan. 10. 12.

De falsis Pastoribus.

1. Differentia illorum à veris.
2. Mult imercenarii, pauci autem pastores.

PUNCTUM I. GRatias Christo Domino nostro agam9, qui postquam nobis ostendit, quinã sit bonus pastor, & quæ illius charitas, quã erga oves suas habet, etiam declarare nobis voluit, quinam sint falsi pastores, & qui aliud facere non possunt, quàm decipere; *pastoris exemplo demonstrato, deceptores duos meminit, furẽm mactantẽ, & rapientẽ oves, & mercenarium, permittentẽ, neque defendentẽ commissas* S. Chrys. hom. 59. in Joan. Falsi igitur pastores sunt latrones & mercenarii, quos à bonis pastorib9 distinguere possum9

per eorũ *ingressum, intentionẽm, & modum agendi.* Bonus pastor *ingreditur per ostium* in ovile, id est, qui vocatus est à Deo ad curã animarũ, illi autẽ solummodò usurpatores sunt. Latro, qui aliã *intentionẽ* non habet, quàm nocendi, jugulãdi, & perdendi oves, parùm curat, per quam viam intret. Simonia & confidentia sunt *duæ viæ* magìs ordinariæ quibꝰ utitur falsus pastor *ad obtinendum* munus, & curam animarum; & dũ ità intravit, illius agendi ratio aliò non tẽdit, quàm ut corrumpat, & seducat animas, sivè per falsam & malã doctrinã, sivè per depravationẽ morum, sivè per hypocrisin, & dissimulationẽ affectatã, *fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat.* Joan. 10. 10. Mercenarius hoc commune habet cum latrone, quòd ipsius ingressus pariter non legitimꝰ sit, dum ordinariè aliam vocationẽ ad hoc munus non habet, nisi avaritiã, aut ambitionẽ, etsi in intentione differant; quia iste non laborat, ut gregẽ perdat, prout alter, sed ad aliud non se applicat, nisi ad particularẽ suã utilitatẽ; non introducit lupũ ĩ gregẽ suũ, seu ovile, sed tamẽ fugit, si venientẽ videt; *fugit, quia mercenarius est.* Gloriã Dei, & animarũ salutẽ neutiquã sibi commendatas habet, aliud non cogitat, quàm quomodo seipsum pascat; quomodo se in gratiã & favorem dominorum insinuet, illis adu-

le-

letur; quin multum angatur de statu in quo oves suæ sint; & si quamdā sollicitudinē adhibeat, alio fine hoc nō facit, nisi ex sordido quodā lucro. Hinc quamprimùm advertit periculum aliquod cujusdam damni tēporalis, cujusdam litigii cum quodā potentiore, vel quod reputationis quidpiam apud mundū deperdat, vel persecutiō quædam timenda sit, vel de vitâ omninò periclitetur, statim aufugit; turpiter silet veritatem, accomodat se parti fortiori, & potētiori, dum interim bonus pastor firmꝰ permaneret, justitiam & veritatē defenderet, & gregē suum nequaquam desereret, quācunque contradictionē timere habeat. En! grandē differentiam inter falsum & verum pastorē! seriò ad illam te reflecte! *non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad mercedes temporales pascit; mercenarius quippe est, qui locum quipē pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit*, ait S. Gregorius. Et

PUNCTUM II. Conclude cum S. Augustino, serm. 49. de. V. D. plures dari mercenarios, paucos bonos pastores; *mercenarii multi, pauci pastores. Si rebus raritas pretium facit*, ait S, Bernar. epist. 249. *nihil in ecclesia pretiosius, nihil optabilibꝰ bono, utilique pastore; nempe rara avis ista.* Quantùm verò ad mercenarios, numerus eorū

ferè infinitus eſt, præſertim in hoc ſæculo, quo nos vivimꝰ; *omnes, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ JEſu Chriſti.* Philip. 2. 21. Non aliud quæritur modò, quàm ut quis nutriatur, & impinguetur de lana & carnibꝰ ovium ſuarum; aliud non cogitatur, quàm ut divitiæ accumulentur, ut quis cōmodè vivat, ut pingves beneficii redditus poſſideat; parùm curatur, etſi oves Chriſti JEſu præ infirmitate & debilitate moriantur; ſi lupo in prædam cedant, ſi eas auferat, & diſcerpat, & voret; *& diſperſæ ſunt oves meæ, eoquòd non eſſet paſtor,* ait Dominus per ſuum prophetam Ezech. 34. 5. *& factæ ſunt in devorationē omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt.* Ploremus in conſideratione tanti numeri paſtorū mercenariorum, qui deprædantur eccleſiam inſtar militū, quibꝰ capta civitas in prædam cedit: *paſtores demoliti ſunt vineam meam; conculcaverunt partem meam; dederunt portionem meam deſiderabilē in deſertum ſolitudinis; poſuerunt eam in diſſipationē luxìtque ſuper me.* Jerem. 12. 10. Ne quæſo inſenſibiles ſimus ad tales objurgationes. Pars chriſtianæ pietatis eſt, & eccleſiaſticæ, cur quis ſuper hujuſcemodi malis, & exceſſibꝰ ingemiſcat, utpote funeſtâ origine, & causâ deſolationis gregis JEſu Chriſti, & æternæ perditionis tot animarū, quæ quotidie ex hac cauſa in infer-

fernum præcipitantur. Pete frequenter à Deo in præcib9 tuis, ut ecclesiæ suæ dare dignetur pastores secundùm cor suum, qui pascant populum scientiâ, & doctrinâ salutis; qui charitatē in corde, & veritatē in ore habeant; qui aliud non respiciant, nisi gloriā Dei, & interesse illius. Institue super hoc præparationē tuam hodiernā ad Missam: *messis quidē multa, operarii autēm pauci: rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Ratio, quam S. Greg. affert, valdè nos humiliare debet; *ecce mundus sacerdotib9 plenus est*, ait hic S. P. hom. 17. in evang. *sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidē sacerdotale suscipimus, sed officia non implemus.*

FERIA SEXTA.

Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joan. 10. 14.

De residentia parochorum.

1: Obligatio residendi in loco beneficii.
2. Qualis esse debeat?

PUNCTUM I. QUando evangeliū dicit, pastorē cognoscere oves suas, & pastorem ab ovibus cognosci, satìs clarè indicat obligationē, quam habent pastores, residendi in loco beneficii sui. Certum est, eos non posse agnoscere oves suas, neque ipsos ab ovib9 cognosci posse, si apud eas non maneant. Plùs

dici poteſt, nempe obligationē reſidentiæ hujus non eſſe ſimpliciter tantum juris eccleſiaſtici, ſed inſuper juris divini; quāvis enim concilium Trident, id expreſsè non definiverit, verba tamen illius ſatìs hoc inſinuant. Illi, qui curam animarū exercent, ait, jure divino obligati ſunt cognoſcere oves ſuas, offerre ſacrificium pro ſalute illarum, nutrire illas per adminiſtrationē ſacramentorū, per prædicationē verbi divini, & exercitium omnis generis bonorū operum; habere curam particularē pauperū, & perſonarum afflictarū; verbô: ut impleant omnes partes boni & charitativi paſtoris, quod fieri non poteſt, niſi perſonaliter reſideant in loco, ubi oves ſuas habent. Hinc declarat S. Synodus, quòd ii, qui huic decreto non obediunt, non ſolum peccēt mortaliter, ſed inſuper obligati ſint ad reſtitutionem fructuum beneficialium, ſecundùm proportionē abſentiæ ſuæ, quæ reſtitutìo applicanda erit fabricæ eccleſiæ illorum, vel pauperibꝰ loci illius, ubi beneficiū obtinuit. Ità concilium Seſſ. 23. de reform. c. 1. Vide nunc, ſi paſtor es, quàm exactus hucuſque fueris in obſervando iſto decreto tam ſalutari? poſſēt allegari adhuc aliæ plures authoritates, verùm quia hìc meditatio aliqua inſtituitur, conſidera coram Deo mala illa, quæ in eccleſia ex iſta negligen-

tia-

tia residentiæ accidunt, quespecialiter in pa orchiis ruralibus servitiū divinū patitur; abusus introducunt; infantes sine baptismo moriuntur; ægroti carent sacramentis; ignorantia mater est hæresū, & omniū illorum excessuū, qui modò ubique regnant. Denique pastore aliquo tēpore absente vix invenitur in tali pago vestigium, quoddam religionis; *perinde esse videtur, gregē abesse à pastore, ùt cæcum duce carere,* ait S. Athanasius epist. ad Constant. non dubita, quòd expositus sit ferocitati luporum. *Nosti ex lectione scripturarum, quanti sceleris sit, episcopum ecclesiam suam deserere, & negligere gregē Dei; pastorum enim absentia lupis, invadendi gregis, occasionē præstat;* ità egregius hic episcopus ad Constantinū scripsit. Satìs hoc sit, ut te convictū fatearis. Sed quia non sufficit residere tantùm,

PUNCTUM II. Adverte, quòd, quā vis pastor à grege suo non discedat, hic tamen nihilominus lupis expositus sit, si non invigilet super eorum insidiis. Residentia inutilis est, nisi sit residentia aliqua vitalis, volo dicere, quemadmodum anima nō solūm in corpore residet, sed ei vitam, sensū motus comunicat, & incessanter operatur, sic etiam pastor, qui quasi anima suæ parochiæ est, continuò quidquam agere debet, ut gregē suum vivificet vita spirituali, seu

gratiæ; oportet ut inceſſanter animab9 ſibi concreditis calorem quemdam benignum & vivificantē cōmunicet per exemplū vitæ exemplaris & exercitiū miniſterii ſui, debet eſſe norma virtutum continuò oculis ſuorum expoſita, ipſos conſolando in afflictione; pacificando diſſidentes, adminiſtrando ſacramenta; iiſque in ejuſmodi neceſſitatib9 quaſi quotidianis ſerviendo. S. Bernard. ait, diœceſin, vel parochiam aliquam reſpectu epiſcopi vel parochi habere rationē civitatis, eorum vigilantiæ cōmēdatæ; ſponſæ, quam ornare; ovium, quas paſcere debent. *Civitas eſt, vigilate ad cuſtodiam; ſponſa eſt, ſtudete ornatui; oves ſunt, intendite paſtui.* ſerm. 56. in cant. Illuſio igitur aliqua eſt, credere ſecurum aliquē eſſe, ab anathemate eccleſiæ, propter purā ſimplicē corporalē reſidentiā, & præciſe phyſicam, dum interim integri dies, menſes, imò anni tranſiguntur molliter, otiosè, & peccaminosè, inutiliter, bibendo, comedēdo, ludendo, venando, verbô: vitam animalē vivendo. Eſtne hoc cuſtodire domū Domini, ſi ſis inſtar canis muti? vigilis dormientis? ſervi negligentis? qui ſe inebriat, & cutē ſuam curat ex bonis Domini ſui, pro eo, ut curam gerat domûs, & ſtrenuè in eo laboret, quod ipſi cōmiſſum eſt? *quid tu hic, aut quaſi quis hic?* Iſ. 22. 16. quid facis in

loco isto, seu parochia? cur occupas hoc officium? *ô pastor & idolum, derelinquens gregem!* Zachar. 11. 17. an non effectivè, & re ipsa relinquis gregẽ crudeliter, si eum instruere negligas? si eum per vitam tuam scandalizes? ô pastor, qui præsens quidẽ, & nihilominus eis te subtrahis! ô idolum; qui locò Dei honorẽ & reverentiam accipis, & tu ipse eum inhonoras, per id, quod facis! oculos habes, & non vides; os habes, & non loqueris; manus habes, & non operaris; aures habes, & surdus es ad omnia, quæ obligationis tuæ sunt, *O pauperes gregis*, ibid. v. 7. quàm plagendi estis ob talẽ modum vivendi, & agendi pastorũ vestrorum, qui vobis sunt petra scandali! roga Deum pro ejusmodi pastoribus, sui adeò oblitis; & pro præparatione ad Missam, ipse vide, quomodo laboraveris, in excolenda vinea tua, tibi à Deo commissa. Quem fructum eì monstrare potes, quando rationẽ à te exiget officii tui pastoralis, ad quod te vocavit? *quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete allaturi sumus?* ait S. Greg. M. hom. 12. in evang. circa fin. quomodo comparere audebis in terribili judicio divino, pergit hic S. D. absque usurâ talentorum tibi datorum? *ibi omnes dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus*

nibus Deo post se subditum gregẽ trahunt. Cum igitur tot pastores cum frugibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri, quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui rēdimus; qui pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus. Pro gratiarum actione roga Dominum, ut tui de præterito misereatur, & meliùs te in futurum applica; ne ulla curæ tuæ coṁissa anima ex tua culpa pereat. *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* 3. Reg. 20. 39.

DIE SABBATHI.

Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor. Joan. 10. 16.

De conversione hæreticorum

1. Zelus clericorũ etiam ad hos se extendere debet.
2. Modus utiliter laborandi pro illorũ conversione.

PUNCTUM I. Oves istæ, de quibus hic loquitur Salvator, non erant de ovili Judæorum, sed populus gentium, quas ad ecclesiam suam adducere volebat, uti Judæi & gentiles conversi uniendi erant, ut unum ovile fieret, ab uno pastore regendum; *qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens,* ait Paulus Ephes. 2. 14. Iste tam amorosus mo-

modus agendi principis pastorū docet ministros suos, ut non concludant zelum suū praecisè in labore pro salute filiorum ecclesiæ, sed extendant illū, quantū possunt, & talenta eorum permittunt etiam ad infideles, & in particulari ad tot & tot, qui nimis adhuc ab ecclesia nostra alieni, & per schisma, aut hæresin, ab illa separati sunt. Non possumus ecclesiæ, neque ipsi Deo exhibere gratius servitium, quàm ut zelo nostro ad conversionē hæreticorū utamur; desumi & judicari hoc potest ex illa condescendentia, quâ semper hucusque ecclesia usa est, dum quæstio agitabatur, tales ad sinum ecclesiæ adducendi. Nullam difficultatē habet, relaxandi in tali casu rigorē disciplinæ suæ, si hoc necessarium esse agnoverit, ad eos reducēdos, ùt SS. PP. nos docent. (August. l. de gestis cum Emerito.) Totus mundus scit illud prodigiosum simul & charitatis, & zeli exemplum, quod S. August. refert, de trecentis episcopis, qui unanimiter cum ipso se promptos Donatistis obtulerunt, dimittendi episcopatus suos, si aliud non obstaret, nisi hoc, ut ipsi ad sinum ecclesiæ catholicæ reducerentur. Verùm, ne tam longè abeamus, satìs est, si oculos nostros convertamus ad S. Francis. Salesium, quid non fecit his ultimis tēporib9 nostris sāctus iste pro conversione hæretico-

retico-

reticorū? non solùm de S. Gregorio Thaumaturgo dici potest, quòd in diœcesi sua nō plures paganos reliquerit, quàm quòt ibi primitùs invenit christianos; id ipsum enim de hoc S. Episcopo Genevensi, quemadmodum ipse hoc testatus est in quadā epistola ad sum̄um Pontificē Clementē VIII. ante annos duodecim, in sexaginta quinque parochiis, prope civitatē Genevensē hæresis docebatur, quæ taliter illâ infectæ erant, ut nullum ibi religio catholica locū invenire potuerit; modò autem in locis totidem ecclesia sancta adeò se extendit, & in tanto est ibi vigore, ut nullus ibi amplius sit calvinismus, ità quidem, ut sicut antea in toto hoc districtu ne centum quidem catholici inveniri potuissent, nunc vix centū hæreticos ibi sit invenire. Et in alia epistola hæc habes: redeo de extremitate diœcesis meæ, quæ Helvetis vicina est, ubi triginta tres parochias rexi, cùm ibi ante duodecim annos alii non fuerint, nisi ministri hæretici, fui ibi tribus annis solus, qui fidē catholicam prædicavi. Dedit mihi Deus in hoc itinere consolationē omninò plenā; quia non inveni in his locis, nisi centum catholicos; ego verò nonnisi centum Hugonotas reliqui. O zelum sancti hujus pastoris planè ardentiorē nostro! bone Deus, concede nobis gratiam hanc, ut illum imita-

ta-

tari valeamus. Sed, quia non sufficit zelo hoc pro cõversione hæreticorũ præditũ esse

PUNCTUM II. Disce ulterius arma, quibus ad eos Deo lucrandos uti debeam9, esse, veritatẽ, & charitatẽ. 1. Oportet eos instruere in fide & veritate, ùt Paulus loquitur, 1. Timoth. 2. 7. *Doctor gentium in fide & veritate.* Debet illis ostendi, ecclesiã non docere illos errores, qui illi imputantur; & explicari doctrina ecclesiæ talis, qualis reipsa est, nec alia eis proponi dogmata fidei, quàm qualia ecclesia docet; taliàque ex scriptura, & SS. PP. quantùm fieri potest, probari. Hanc tenebant methodum S. August. *isti sunt*, ait scribens ad famosum Pelagianum, lib. 2. contra Julian. Pelag. cap. 7. *veritatis catholicæ acerrimi defensores, qui fidem catholicam in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis, magnìsque ministrarunt. Talib9 post apostolos plantatoribus, rigatorib9, ædificatorib9, pastorib9, nutritorib9 crevit.* Pontificale romanũ in particulari tria præscribit, pro reconciliatione hæriticorum. 1mum, ut renuntient hæresi, quam professi sunt. 2. ut declarent, credere esse religionem catholicam. 3. ut protestentur, velle se vivere, & mori in unitate fidei. En! viam breviorẽ, quàm via disputationis, quæ sæpissimè ad aliud non servit, quàm ad magìs exasperandos hæ-

re-

reticos. 2. Ut quis ſolidè laboret pro converſione hæreticorū, debet id fieri cū māſvetudine & charitate. Audi, quomodo S. Auguſt. Donatiſtas alloquatur. Illi vos tractent cum rigore, ait, qui neſciunt, quàm difficile ſit invenire veritatē, & evitare errorem: illi durè vos tractent, qui ignorant, quàm arduum ſit, ſuperare phantaſiam illā, quâ quis ſemel præoccupatus eſt; illi adhibeant rigorem, qui neſciunt, quanta ſit difficultas, purificare oculum interioris hominis, ut capax vidēdæ verìtatis reddatur, quæ eſt ſol animæ. Verùm nos, qui longè abſumus, à tali modo agendi cum perſonis, quæ à nobis diviſæ ſunt, non per errores, quos ipſi invenerint, ſed quia in errore aliorum verſantur, offerimꝰ potiùs preces noſtras Deo, ut refutando falſas opiniones illorum, quas ex aliqua præoccupatione ſequimini, quas potiùs imprudentiæ, quàm malitiæ cujuſdam damnamus, gratiam nobis concedat agendi nonniſi ex ſpiritu pacis, qui non niſi charitate, & iis, quæ JEſu Chriſti ſunt, moveatur, nec aliis deſideriis, quàm pro veſtra ſalute agitatur. S. Aug. contra epiſt. Fund. cap. 2. Si taliter ageretur cum hæreticis, quis eorum quamvis obſtinatus, & pertinax non cederet? quis eorum poſſet reſiſtere verbis ejuſmodi, unctione charitatis plenis? vide, ut hanc rationē

tionē agendi in praxim deducas. Non solū serviet tibi, quantùm ad hæreticos, sed etiam quoad innumeros catholicos, qui infirmi sunt in fide, & adhuc magìs debiliores in praxi veritatum ad salutem pertinētium. *Infirmum autem assumite, non in disceptationib9 cagitationum.* Rom. 14, 1. Et pro præparatione ad Missam roga Dominum JEsum, hunc agnum divinum, quem brevi post in altari im̃olaturus es, ut te participē faciat, mansuetudinis suæ; ut tibi donet hanc prudentiam, istam simplicitatem, quā à te exerceri vult in mundo, ad exemplū apostolorum, quorum locum obtines, ut feliciter laborare valeas in grandi negotio salutis animarum, & corda hominum ad illum attrahere. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum, estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Matth. 10. 16.

* *

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Charissimi, obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalib9 desideriis, quæ militant adversùs animam. 1. Petr. 2. 11.

De præsenti vita.

1. Est aliqua peregrinatio.
2. Illius amori renuntiare debemus.

PUNCTUM I. EXhortatio ista S. Petri in hodierna episto-

la eſt omninò maximi momenti; ſi viã cœli ingredi & tenere velimus, nos ipſos in hoc mundo aliter conſiderare non debemus niſi ùt peregrinos, *tanquam advenas & peregrinos, Qui non gemit ùt peregrinus,* ait S. Auguſt. in Pſ. 148. *non gaudebit ùt civis.* Ità ſemper comparata erant corda juſtorum; confeſſi ſunt per fidem, & per ſuum vivendi modum, quòd non niſi peregrini ſint ſuper terram; *confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.* Hebr. 11. Abrahã tam perſuaſus erat de hac veritate, ut nullum campum vel locum poſſidere voluerit, qui ei ſervire poſſet pro ſepulchro, in terra illa fertili & abundante, quam Deus illi & toti poſteritati ſuæ dare promiſerat Gen. 23. Ejuſdem etiam ſpiritûs & mentis fuêre Iſaac & Jacob, filii ejus, ſiquidem tantùm in tabernaculis habitabant, & ſine intermiſſione ad illam civitatem, quæ ſuper fundamentum firmum fundata eſt, ſuſpirabant, cujus fundamentum & architectꝯ ipſe DEus eſt. Hic ultimus à rege Ægypti interrogatus reſpondit ei: *dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali* Gen. 47. 9. Quãvis David ſupra thronum regalem ſederit, & in omni proſperitate vixerit, tamen nonniſi ùt peregrinum & ſe, & anteceſſores ſuos habebat, *peregrinus ſum, ſicut omnes Patres mei.* Pſ. 38. 13.

13. Pariter exilii ſui tœdere ipſum cæpit: *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Pſ. 119. 5. Sola & tota conſolatio, quam in hac ſua peregrinatione inveniebat, erat, ſi cantare potuit laudem Dei, *cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Pſ. 118. 54. Et in novo teſtamento non niſi videre etiam eſt ardorem illum, quem S. Paulus habuit, ut è carcere corporis ſui egredi poſſet. *Qui ſumus in hoc mundo,* ait 2. Cor. 5. *ingemiſcimus gravati, ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* S, Petrus aliter non cōſiderabat corpus ſuum, niſi quaſi tentoriū quoddam, & gaudebat, quòd appropinquaret hora, ut brevi illud complicare poſſet, *velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* 2. Petri.1. 14, Si hæc ipſa diſpoſitio, & comparatio, quam nobis hodie inſpirare vult apoſtolus, cordibus noſtris benè impreſſa foret, ſufficeret ſanè, ut obligationibꝰ noſtris omnibus, tam chriſtianis, quàm ſacerdotalibus ſatisfaceremus. Vide ergo, & cura, ut tibi ipſi primam hanc partem hujus veritatis benè perſuaſam habeas, quòd vita tua nō niſi peregrinatio ſit ſuper terram, &

PUNCTUM II. Diſce ab amore illius te abſtrahere, quia, ùt S. Auguſt: ait in Pſ. 85. *cui dulcis eſt peregrinatio, hic patriam non amat; nondum cepit eſſe amator Dei, nondum*

cœpit suspirare, tanquam peregrinus. Omnia nos invitant, ut à præsenti vita nos abstrahamus, quæ plena est miseriis, *& tamen superba mens nostra adhuc non vult spontè deserere, quod quotidiè perdit in vita*, S. Greg. M. hom. 5. in evang. Ah! nos infelices, exclamat. S. Gregorius, mundus, quem tanto affectu amamus, fugit, & nos eum deserere nolumus. Illi, qui ab initio vixerunt, pedibus eum concùlcarunt in flore ætatis suæ; *erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in progenie, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cùm in seipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat; ecce jam mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio; undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; & tamen cœca mente carnalis cuncupiscentiæ ipsas ejus amaritudines amamus, fugentem sequimur, labenti inhæremus.* idem hom. 28. in evang. Jam quæro, anne mundus minùs defacto insipidus est, ac tempore S. Gregorii? annon easdem habet miserias & ærumnas? si hoc? cur cor nostrum ab eo non distrahimus? cur non meritò ingemiscamus in tali lacrymarum valle positi? cur non aspiremus ad cœlestem patriam, siquidem in terra aliena moramur, ubi nonnisi miserias, & peccatum invenimus? *super flumina Babylo-*

bylonis illic sedimus, & flevimus, cùm recordaremur Sion? Ps. 136. Ah! Domine, sit hæc occupatio nostra! si communicas hodie, aut Missam celebras, considera JEsum in sanctissima eucharistia ùt socium, & comitem peregrinationis tuæ; roga illum, ut dux tuus sit, & ad vitam venturi sæculi te perducat, ad quam toto affectu nos tendere hortatur apostolus, *non enim habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

FERIA SECUNDA.

Conversationem vestram inter gentes habētes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. 1. Petr. 2. 12.

De bono exemplo.

1. Quam necessarium sit ad fructuosè laborandum pro conversione infidelium & peccatorum.
2. Magis illô moventur. quàm vel ipsis miraculis.

PUNCTUM I. O Quàm digna sunt reflexione nostrâ citata verba S. Petri! accusabantur primi christiani, & rei habebantur plurimorū scelerum, quorum tamen minimè rei erant; & caput apostolorum consulit illis, ut aliud omnibus his contumeliis non opponāt, quā conversationem aliquam sanctam, innocētem, irreprehensibilem; ait illis, pluribus opus non esse, ad eripienda arma, etiam

graviſſimis & ardentiſſimis perſecutoribus; bonam vitam optimam eſſe apologiam, & quando Deo placuerit, viſitare gentem iſtam, inimicos religionis noſtræ, in miſericordia ſua, tunc eum uſurum hoc bono exemplo, ut eos ad ſe trahat. Tertull. apolog. adversùs gentes. O quàm felices eſſemus, ſi hoc ipſum excellentiſſimum conſilium S. Petri exequeremur, maximè, quando inter infideles converſamur, & hæreticos, & libertinos; primi chriſtiani fideliter id executi ſunt, & ſcimus etiam, quàm copiosè benedixerit Deus, huic illorum modo agendi, ſiquidē nil magìs ad profectum chriſtianismi conducebat, quàm ſanctitas vitæ illorū, quæ erat quædam continuata prædicatio, & longè efficaciùs ſuaſiva, quàm omnes etiam pulcherrimi eorum diſcurſus; *elinguî philoſophiâ vita contenta eſt*, dicebat Tertullianus, lib. de pall. c. 6. eorum nomine loquens, *de occurſu meo vitia ſuffunde.* Verùm ſi communis plebs chriſtianorum tantis virtutibus lucebat, paſtores illorum longè lucidiores in hoc erant, utpote qui vixerunt in fame, ſiti, nuditate, ac univerſali contemptu omnium rerum. Nos autem vivere volumus in deliciis; vitā noſtram transigere in otio, imò aliqui etiam prorſus, ùt libertini. Quā proportionem & ſimilitudinem cum eo nos habe-

habemus, quod ipsi nobis reliquerunt? aliqui illorum ex Jerusalem ibant in Illyricū; alii in Indicas; alii ad Mauros; nos verò dificulter deserimus patriam nostram; cōmoditatem nostram quærimus; cōmoda ædificia, imò etiam sumptuosa habemus, & alia, quæ ex voluptuosa vita sequuntur. Quis ex nobis famem unquam sustinuit pro verbo divino? quis ex nobis dicere potest cum S. Paulo, quòd quotidie moriatur pro salute populi sui? haud igitur mirandū est, si ex tanto numero infideliū & peccatorū, qui in mundo adhuc sunt, tam pauci inveniantur, qui se convertant; & quòd tales etiam libertini, & impii homines dentur qui temerario ausu in quæstionem trahunt, utrū religio christiana indisputabiliter vera sit? licentia ista vivendi, tot excessus inter christianos, ante omnia autem, malum exemplum plurium pastorum & clericorū, sæpissimè hujus tam grandis mali causa est. Cogitemus primò de propria conversione nostra, & ut proximum nostrum per vitā nostrā virtuosam ædificemus, quam aliis prædicare, & persuadere conamur; *dabis voci tuæ vocem virtutis; si quod suades aliis, tibi ipsi prius cognosceris persuasisse.* ait S. Bernardus serm. 59. in cant. Optimum hoc est medium, quod arripere possemus, ut utiliter pro salute animarum laboremus. *Vox*

operum fortiùs sonat, quàm verborum, ait quoddã conciliũ. Et ut te magìs adhuc convincam,

PUNCTUM II. Quomodo putas, ait S. Chrysostomus hom. 46. in Matth. factũ, quòd apostoli tam modico tempore tam mirabilia effecerint? factum id est non solùm, ob efficaciam verborum, neque per splendorem miraculorum, quòd tot populos imperio JEsu Christi subjecerint, sed eminens illorum sanctitas, & exemplaris vita, plurimùm ad hoc contulit, & plus quãdoque quàm miracula etiam stupenda, per quæ doctrinam, quam prædicabant, confirmarunt; *mundum converterunt non propter miracula, quæ fecerunt, sed quia in ipsis verus erat gloriæ pecuniæque contemptus, & quia nullam sæcularium harum rerum curam habebant.* ibid. En! quid eos populos moverit, & conversionem illorum promoverit! en! quid in causa fuerit, cur homines, imò vel ipsi dæmones coacti fuerint confiteri, homines istos veros esse servos altissimi, qui viam salutis annuntiarent: *isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis salutem.* Act. 16. 17. Dum eos divitias, & omnem gloriam mundi pedibus conculcare; gloriam & nomen Domini ac magistri sui inter tot opprobria & contemptus annuntiare viderunt, nullam difficultatem habuêre

ēre illud credendi, quod ipsi prædicarunt de contemptu mundi & paupertate; cùm è contrario prædicatio eorum nullos plané progressus fecisset, quæcunque etiam miracula patrassent; si inventi fuissent proprii interesseamatores, & mancipia passionum suarum, *magìs convincunt opera virtutis, quàm miracula.* Chrysost. ibid. Pauli possumus in discernendis miraculis, & variè illudi, & præstigiis dæmonum circumveniri, pro eo, quòd vera miracula haberentur; accedit, quòd si etiam vera essent miracula, tamen etiam mali eorum ministri esse possent; sed opera bona, bona exempla nō possunt non esse, nisi effectus Spiritus divini, quibus resistere haud possumus. Vivamus igitur, ait alibi S. Chrysostomus, prout apostoli vixerunt, & primi christiani, & non erunt ampliùs increduli in mundo; *nunc quoque si hoc factum fuerit, convertemus universum orbem terræ, absque signis; hæc dico, & iis qui imperant, & iis qui aliorum parent imperio, & præ cæteris mihi ipsi.* homil. 6. in 1. ad Cor. c. 2, Idipsum sibi dicat quilibet clericus, quilibet pastor; & ad utilitatem suam id trahat, si religioni, & ministerio suo injuriam facere nolit, neque obstaculo esse conversioni infidelium; hæreticorum, & peccatorum. Domine JEsu! qui vis, ut luceat lux nostra coram hominibus, ut vidē-

tes opera noſtra glorificent Deum, fac per gratiam tuam, ut ità inter illos vivamus, & tam ſanctè, ut neceſſario te in nobis glorificent, & ſeipſos condemnent, ſi non conformiter evangelio tuo vivant. Si com̃unicas, aut Miſſam celebras hodie, fiat hoc cũ hac bona reſolutione & propoſito, ut JEſũ Chriſtum verbo & exemplo prædicare valeas, *quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* 1. Petr. 2. 15.

* *

FERIA TERTIA.

Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. 1. Petr. 2. 13.

DE OBEDIENTIA.

1. Æſtimatio. 2. Praxis hujus virtutis.

PUNCTUM I. O Utinam omnem amorem & æſtimationem pro hac virtute obedientiæ haberemus. quam S. Petrus hic nobis adeò cõmendat ad illam, ex tali motivo, quo potẽtius dari non poteſt, amplectendam, Subditi eſtote, ait, ſuperioribus veſtris ex amore Dei, *propter Deum;* hæc eſt voluntas JEſu Chriſti; voluntas divini magiſtri veſtri; ipſe adeó amavit obedientiam, ergo & vos eam amare debetis. Conſidera, quòd virtus iſta fuerit, quæ eum de cœlo in terrã deſcẽdere fecit; *ecce venio, ut faciam Deus volun-*

voluntatem tuam. Hebr. 10. 7. Hæc virtus erat, quæ per totam vitam suam illi pro nutrimento erat, *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. 4. 34. Adeò captus erat pulchritudine virtutis istius, ut eam à se dimittere nequiverit, neque ad mortem, *factus obediens usque ad mortem.* Annon fateri oportet, virtutem hanc ei pretiosissimam, & charissimam fuisse, siquidem propriam vitam perdere maluit, quàm ab obedientia discedere: *dedit vitam,* ait S. Bernar. tract. de mor. ep. c. 9. *ne perderet obedientiam.* An plura requirimus, ut sublimem de hac virtute nobis ideam formemus? vide, qualem hucusque de illa æstimationem habueris? credidistíne obedientiam esse viam salutis, viam regiam, quam nobis JEsus Christus stravit exemplo suo, extra quam non nisi ad perditionem itur? *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam,* ait S. Paulus, Hebr. 5. 8. & 9. *& consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Fecistíne reflexionem hanc, te per exercitiũ, & praxim virtutis hujus honorem hunc cõsequi, ut venias in intimam societatem, & quasi consanguinitatem talem, qualis in mundo non datur, nimirum ipsius JEsu Christi, juxta illud evangelii Matth. 12. 50. *quicunque fecerit voluntatem Patris mei,*

qui

qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror. & mater eſt. Denique perſuasùſne eras hucùſque, hoc eſſe optimum medium vivendi quietè, & in pace, quantum adhuc in vita præſenti fieri poteſt! verus obediens ſemper in pace eſt; ſemper contentus; ſemper victoriosus; *vir obediens loquetur victorias.* Prov. 21. Quia verò ſatis non eſt, æſtimationem aliquam de hac virtute habere;

PUNCTUM II. Veniamus modo ad praxim 1mo. debemus obedire Deo, ſubmittendo nos in omnibus ordinationi, & diſpoſitioni providentiæ ſuæ, & ea omnia implendo, quæ voluntatis ſuæ eſſe cognoverimus; *qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt,* ait Chriſtus, *ipſe intrabit in regnum cælorum.* 2do. debemus obedire eccleſiæ, & ſuperioribus eccleſiaſticis per fidelem & accuratam obſervantiam ſacrorũ canonum, & legum eccleſiaſticarum, quæ tam ſalubriter conſtitutæ ſunt, ſpecialiter in omnibus, quæ ſtatum noſtrum concernunt, uti ſunt, habitus clericalis, tonſura capillorum, corona in capite, abſtinentia à venatione, à luſibus, conviviis, ſpectaculis, & publicis conventibus. 3tio. in particulari obedire oportet epiſcopo diœceſano, in qua nos divina providentia poſuit. Sacerdos nunquam oblivisci debet profeſſionis ſuæ ſolennis in ordinatione ſua factæ. Epiſco-

piscopus sumens manus illius inter suas, dixit: *promittis mihi & successoribus meis obedientiam?* ille respondit: *promitto.* Quomodo inplemus promissionem hanc? religiosus, qui vota sua violaret, quæ in manibus superioris sui emisit, haud dubiè grāde se peccatum committere crederet; & clerici, qui adhuc strictius Episcopo suo sūt obligati, nullum scrupulum sibi faciant, si ejus ordinationibus contraveniant, vel res magni momenti, & consequentiæ, absque illius consilio, aggrediantur? èstne hoc exhibere episcopo suo obedientiam illi promissam, & eum ità venerari, prout SS. Patres præscripserunt, quando dicunt: *reveremini autem episcopum vestrum ùt Christum.* S. Ign. ep. ad Trull. 4to. oportet etiam obedire superioribus laicis, & temporalibus, utpote authoritate divina præditis; *sivè regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis,* ait S. Petrus, & adjungit ad finē epistolæ hujus, quòd etiam erga fratres, & æquales nostros reverentiam aliquam ostendere debeamus, ne charitas turbetur, quæ nos invicem unire debet; *omnes honorate; fraternitatem diligite.* Denique si quis in quadam communitate vivat, oportet se accomodare constitutionibus ibi præscriptis, & nullam in iis dispositionem prætendere, nisi in necessitate, vel cum expressa

licen-

licentia. Propone præteritos defectus in obedientia commiſſos reparare in futurum, & pro præparatione ad Miſſam conjice oculos tuos in JEſum Chriſtum, qui tibi in S. Altari quotidie exemplum perfectiſſimæ cujuſdā obedientiæ exhibet; *obediente Deo voci hominis.* O qualis confuſio pro te; quod eum toties offeras, & etiam ſumas, & tamen vix unquam eum imiteris. Diſce ad minus hodie, meliorem eſſe obedientiam, quàm victimam. *Melior eſt enim obedientia, quàm victima, & auſcultare magìs, quàm offerre adipem arietum.* 1. Reg. 15. 22.

FERIA QUARTA.

Servi ſubditi eſtote, in timore, dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. 1. Petr. 2. 18.

QUOMODO OBEDIENDUM SIT?

1. Qualitates obedientiæ.
2. Examen, utrum illas habeamus.

PUNCTUM I. VUlt S. Petrus, per hæc ultima verba epiſtolæ iſtius, ut obediamus dominis noſtris, etiam duris, aſperis, & faſtidioſis, quod nos urget, ut hìc examinemus qualitates, quas habere debet obedientia, ut ſit meritoria, & grata, ac accepta Deo. S. Bernardus plures affert ſerm. de divers. ſerm. 41. en principaliores: 1mo. oportet *obedire libenter,* hoc eſt, debemus Deo of-

ferre

ferre sacrificium proprie voluntatis nostræ, ut superioris voluntatem sequamur; *voluntariè sacrificabo tibi.* Ps. 53. Obedire debemus sine tristitia, sine tœdio, sinè murmuratione, sinè coactione, ita quidem, ut nullam renitentiam aut repugnātiam ostendamus circa id, quod nobis mandatur. *Omnia facite sine murmurationibus,* ait apostolus Philip. 2. 14. 2do. oportet *obtemperare simpliciter.* Nempe instar cœci cujusdam, juxta SS. PP. omnibus superioribus, quin ullam differentiam faciamus inter talenta, cònditiones, personas; quin ratiocinemur super iis, quæ mandata sunt; quin scire velimus, cur hoc? ad quem finem, hoc vel illud præcipiatur? *non placet Deo morosa & disceptativa obediëntia, quœ quidem, cùm præcipitur, quœrit cur, quàre, quamobrem prœcipitur?* serm. 40. ad FF. in eremo, inter opera S. August. 3tio. oportet *obsecundare velociter,* sine protestatione, sine dilatione; quamprimùm aliquid jubetur, oportet obedire; imò quandoque prævenire, si possibile sit, præceptum, quod nobis imponere vult superior, *in auditu auris obedivit mihi.* Ps. 17. 45. 4to. oportet *indesinenter obtemperare;* omni tempore; æquè in ætate virili, senili, quàm iujuventute; in omni loco, tam in sæculo, quàm in seminario; in omni re, tam difficilibus & arduis, quàm in iis,

quæ

quæ grata ſunt, & arrident. Tantùm una occaſio datur, in qua non debemus ſuperiori obedire; nimirum ſi quid præcipiat contra Deum; tunc enim audacter reſpondere poſſumus, ſed tamen cum quodam reſpectu, id quod apoſtoli ſummo pontifici, & Judæorum concilio, reſponderunt: *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

PUNCTUM II. Examinemus nunc, utrum obedientia noſtra omnes has qualitates habeat, quas primùm recenſuimus. Obedivimùsne voluntariè. abſque dilatione & tædio? ſi parumper ad nos ipſos attēdere velimus, inveniemus, quòd pro eo, ut taliter obediverimus, modus noſter agendi non fuerit ſine oppoſitione, murmuratione, aut reſiſtentia, vel ſaltem, non abſque querela; contra eos, qui jus habent, nobis aliquid præcipiendi, quod idem eſt, ac in ipſum Deum peccare, quemadmodū Moyſes & Aaron id Hebræis oſtenderūt, dum populus iſte rebellis & indocilis contra illos murmuravit. *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Exod. 16. 8. Obedivimùsne abſque replica, vel ulteriori raciocinatione? ſiquidem meritum obedientiæ in eo conſiſtit, ut quis oculos ad omnem difficultatem claudat, & nobis ipſis interdicamus omne examen circa intentionem ſuperioris. Si totum, quod nobis

bis præcipitur, vel gratum, vel rationabile foret, obediētia nostra aliud non esset, quā opus quoddam amoris nostri proprii, qui in id omne fertur, quod placet ipsi, vel proprii intellectus, qui etiam rationi cedit; sed non esset exercitium virtutis alicujus christianæ, quæ in sacrificio quodam consistit, per quod intellectum nostrum subjicimus, & captivamus rationem nostram: & obedire nos facit ex amore Dei, etsi res præcepta videatur nobis dura, & minus rationabilis, vel illi, qui nobis aliquid præcipiunt, non multùm meriti, vel virtutis possideant. Crux Christi, neque dulcis, neque justa erat, nihilominus unicè dilexit eam, & amplexus est, ex consideratione ordinationis, & voluntatis Patris sui cœlestis, eique se tali cum humilitate subjecit, quæ nobis pro instructione & regula nostra deserviat: *ità Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Quod hodie, antequam ad altare accedas, faciendum est tibi, hoc est, ut veniam à Deo petas præteritæ tuæ inobedientiæ, quam toties admisisti, & fortasse peccaminosius, quàm tibi imagineris; *quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idolatriæ, nolle aquiescere,* ait scriptura 1. Reg. 15. Propone deinde, & vivere, & mori, in exercitio obedientiæ. Benedic, Domine, huic meo proposito, quòd obedire

velim omnibus, qui jus habent, mihi aliquid præcipiendi, ut omnes difficultates ſuperare valeam, quæ mihi poſſunt occurrere; & ut nunquam me exponam periculo perdendi gratiam tuam, perdendo obedientiam. *Qui ſubtrahere nititur ab obediētia, ipſe ſe ſubtrahit à gratia.* de imit. Chriſti l. 3. c. 13.

* *

FERIA QUINTA.

Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrē. Joan. 16. 16.

DE ÆTERNITATE.

1. Pauci de illa cogitant.
2. Utilitas hujus cogitationis.

PUNCTUM I. VErba iſta, quæ JEſus ad diſcipulos dixit, ſignificabant juxta interpretes, Maldon. Menoch. ibi. brevì ſe ſeparandum ab ipſis per mortem, & quòd poſt modicum, per reſurrectionem ſuam, ſe ipſis videndū præbiturus eſſet. S. Auguſtin. illa ità explicat, modicum & non videbitis me, quia vado ad Patrem meum per aſcenſionem; & iterum modicum & videbitis me, in meo ſecundo adventu, quando de novo adveniam judicaturus vivos & mortuos. Totum illud ſpatium omnium ſæculorum ab aſcenſione Chriſti uſque ad adventum

ſuum

suum ad judicium, nonnisi momentum aliquod est coram Deo. *Modicum est enim*, ait hic S. Doctor, tract. 102. in Joan. *hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur, cùm finitum fuerit, tunc sentiemus, quàm modicum fuerit.* Discipuli, qui verba ista pro tunc non intellexerunt, statum nobis plurimorum hominum repræsentant, qui præsentibus occupati, parùm de æternitate cogitant. Datur æternitas aliqua, ità quidem in sacris bibliis, in symbolò fidei, in scriptis SS. PP, in aliis spiritualibus libris legimus, & à prædicatoribꝰ audimus; sed in corde, in mente, in conscientia christianorum & clericorum quis inveniat fidem hanc de æternitate? cogitántne illi de æternitate? meditantùrne de illa? servítne ista illis pro regula vivendi? ah! quàm facilè potiùs contrarium ubique videre est! si benè nobis persvasum foret, post hanc vitam æternitatem quandam secuturam, quæ sit inevitabilis; eàmque futuram, vel cumulum aliquem omnium bonorum; vel abyssum omnium malorum, & si quandoque ad nos ipsos diceremus id, quod Ambrosius in Ps. 118. dicebat, *in hanc vel illam æternitatem cadam, necesse est*, an ità viveremus, prout modò vivimus? an versarentur aliqui continuò, in sordibus ebrie-

brietatis, & impuritatis? differreturne per integros annos sincera conversio ad Deū? *O æternitas!* exclamat hìc S. Augustin, lib. de vera relig. c. 10. *qui te cogitat, nec pœnitet; aut certè fidem non habet, aut si habet, cor non habet.* Non enim cogitare possumꝰ æternitatem, quin pariter de hoc cogitemus, ut nos Dei servitio mancipemus, sicut Deo uniti esse non possumus, quin nos æternitas moveat; *æterno enim creatori adhærentes, & nos æternitate afficiamur, necesse est.* Vide nunc, qualiter tu comparatus sis, quoad æternitatem? &

PUNCTUM II. Considera, quàm utile sit, æternitatem mente versare? 1mo. hæc cogitatio nos à mundo abstrahit; bona hujus mundi, honores, voluptates, fastidit anima illa, quæ æternitatem cogitat, cum contemptu & displicentia omnia hæc, quæ ab amatoribus hujus sæculi adeò æstimantur, considerat, quia certò persuasum sibi habet, quòd omnia transeant, & nihil, nisi momento duret; omnia esse vana, & nihilū; *vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas*, Ecclesiastis 1. 14. 2do. cogitatio ista conservat nos in miseriis, & ærumnis vitæ hujus. *Filius, cujus meditatio in conspectu Domini est semper*, ait S. Bernard. serm, 4. de ascens. Dom. n. 7. *quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat, quod*

non

non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? quid concupiscere poterit in hoc sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium. Vita pastoris, exempli gratia, certè laboriosa est; æquè servus, ac parochus, etiam minimorũ, in sua parochia est; omnium debitor est, in horas singulas, imò momenta; dura videbitur servitus ista alicui, qui mundum hũc diligit; verùm is, qui æternitatem cogitat, qui, quæ patitur, cum pondere æternæ gloriæ confert, quod Deus olim revelabit in nobis, non conqueretur unquam, quasi infelix sors, & conditio sua esset, quia, ultra res istas præsentes, cogitationem suam extendi; *non contemplantibus nobis; quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim vidẽtur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* 2. Cor. 4. 18. 3tio. denique cogitatio de æternitate servit nobis ad profectum in virtute; hinc illam SS. continuò præ oculis habebant, ad exemplum regii prophetæ: *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Ps. 76. 6. Supra quæ verba ità Augustinus ait: *magna cogitatio! videte, si quid vult ista cogitatio, nisi magnũ silẽtium? intus requiescat, qui cogitare vult istos annos æternos.* O JEsu! rex æternorum bonorum, qui nobis promisisti in evangelio tuo, quòd ea nobis promerueris per mortẽ

tuam; & qui nobis pignus eorum das securissimum in SS. eucharistia, ubi te toties sumimus fac nobis hanc gratiam, ut sæpiùs de illis cogitemus, & continuò laboremus, ad illa acquirenda, ut obliviscamur omnium, quæ pertranseunt, & non nisi æternorum annorum memores simus; *anni illi, qui erant in generatione generationum, hi amandi, hi desiderandi, his suspirandum, propter eos in unitate permanendum, propter hos, quidquid hæreticorum mali est devitandum; propter hos perditis respondendum; propter hos lucrandi, qui erraverant, & revocandi, qui perierant, illic debet esse desiderium.* August. in Ps. 101. serm. 2. n. 12.

FERIA SEXTA.

Amen, amen dico vobis; quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Joan. 17. 20.

De afflictionibus.

1. Pars sunt electorum in hac vita.
2. Causa hujus ploratûs & fletûs.

PUNCTUM I. ADoremus D. N. J. C. monentem discipulos suos, tempus vitæ hujus pro eis futurum tempus lacrymarum & afflictionis; *plorabitis, & flèbitis vos.* Vide ergo, quænā sit pars justorum, & servorum Dei, cùm interim mali effundant se in gaudium imoderatum, & rident instar cujusdam phrene-

tici;

tici; *mundus autem gaudebit.* Hoc non ideò fit, quasi mali nil habeant, quod patiantur, siquidem turbatio & angores animi sequelæ sunt reæ conscientiæ, & cor sceleratū, in proprio suo scelere, supplicium suum invenit; *jussisti Domine, & sic est, ut pœna sit sibi omnis inordinatus animus,* ait S. August. l. conf. 12. verùm hoc non impedit, ne cōprehendantur sub maledictione hac, quam eis Christus in hoc evangelio intentavit, qui rident, gaudent, & consolationem suā in hoc mundo quærūt, quia aliud non quærunt, nisi quomodo voluptatibus fruantur, & passionibus suis satisfaciant: *væ vobis, qui saturati estis; væ vobis, qui ridetis nunc.* Luc. 6. 25. Pars justorum longè diversa est ab istâ, quos non nisi lacrymæ, luctus, & afflictiones manent; sed benè nota, has esse lacrymas, ad quas non nisi grandis & sum̄a consolatio sequetur: *beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. 5. Lacrimæ sunt, quæ non diu durant, & quæ spiritum salutis æternæ parturiunt; similes sunt, ait Christus, illis, quas fundit mulier, in doloribus partûs, sed tristitia illius trāsitoria est; gaudium autem, quod consequitur, constans est, & durat; ità & vobis continget, ait Salvator ad discipulos suos: lacrymæ vestræ cessabunt, gaudium autē vestrum, quod consequetur, nunquam fi-

nietur, Advertistìne sæpius hanc differētiam inter electos, & reprobos? ô si de illa cogitares, prout oportet, malles sine dubio bibere calicem Christi JEsu; quam illum Babylonis; affligi cum populo Dei, cū prophetis, apostolis, & omnibus sanctis, quàm frui cum filiis hujus sæculi transitoria dulcedine peccati, plerumque felle, & amaritudine permixtâ; *nolite seduci felicitate iniquorum*, ait S. Augustin. in Ps. 92. v. 14. *nolite attendere florem feni, nolite attendere ad tempus beatos, in æternum miseros. Nec ista beatitudo, quæ modò foris videtur, vera est, nec in corde beati sunt, quia torquentur malâ conscientiâ.* Verùm quia ejusmodi lacrymæ ingratæ sunt naturæ nostræ, & difficulter quis se ad illas resolvit, & hanc partem amplectitur;

PUNCTUM II. Hinc expende, quàm justas causas habeamus, ingemiscendi in hac valle lacrymarum. Plorare debemus primò super nos ipsos, prout ordo charitatis id exigit, & deinde super proximum. 1mo. quantum ad nos, rationem habemus, quæ nos ad hoc cogit. Habemus peccata prærerita, quæ expiemus, & quis ea lavare possit, nisi per lacrymas coram Deo fusas? *humiliemus ei animas nostras*, ait scriptura Judith. 8. 16. *& veniam ejus profusis lacrymis postulemus*. Habemus infirmitates

no-

nostras præsentes, tentationes quasi continuas, modò externas, modò intra nosmetipsos; *intus pugnæ, foris timores*. 2. Cor. 7. 5. Quis autem ex nobis gratiam à Deo obtinere, eas vincendi, sine lacrymis potest, & quin cum S. Paulo cxclamet? *infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24. denique timendum nobis est divinum judicium; & quis poterit rigorē ejus prævenire sin e lacrymis? *gemamus modò*, ait S. August. enarrat. 2. in Ps. 29. v. 14, *oremus modò; gemitus non est, nisi miserorum, oratio non est, nisi indigentium*. Quātùm verò ad proximum, originem inexhauribilem lacrymarum inveniemus ob innumerabiles illos excessus, quos quotidie cernimus. Posſitne aliquis videre mala illa, quae ab hæreticis ecclesiæ inferuntur? nomen Dei inhonoratum ab impiis! despectum à blasphemis? evangelium JEsu Christi neglectum & contemptum à malis christianis? posſitne aliquis inquam, tot scelera intueri, quin iis tangatur, & cum propheta regio exclamet Ps. 118. *defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*. Sed, si omnis bonus christianus intimo dolore affici debet in ejusmodi circumstantiis, qualis debet propterea esse afflictio clericorum? *plangite sacerdotes, ululate ministri altaris*. Joel. 1. 13. plorate igitur

miniſtri Domini, ſuper perditione tot animarum, quæ ante oculos veſtros pereunt; nam ſi hanc obligationem veſtram adeò eſſentialem negligitis, exprobrabit vobis Deus idipſum, quod olim; *non aſcenditis ex adverſo; neque oppoſuiſtis aurum pro domo Iſraël.* Ezech. 13. 5. Quid? non poſuiſtis vos tanquam murum ante me, per preces & lacrymas veſtras? nullam vim adhibuiſtis, ut ex armaretis iram meam: Pro præparatione ad Miſſam, pete à Deo hoc donum lacrymarum, quas abundanter profundere charitas ſcit, prout quidam ait, *de alienis peccatis, tanquam de propriis, miſericorditer luget*, de vita contempl. c. 16. Ut gratiam hanc promerearis, cura ut cor tuum evacues ab omni vano, & inani gaudio, & dic cum S. Auguſtino ad Dominum; ah Domine, miſerere mei; exhibe miſericordiam illi, qui eà tantopore indiget; vides, quòd tibi plagas meas non occultem; tu es medicus, ego ægrotus; tu es totus bonus, ego non niſi miſer; tu præcipis mihi, ut plangā peccata mea, & fratrum meorum; dona mihi, ô bone Deus, has pretioſas lacrymas, & plorabo totâ vitâ meâ, ſuper injurias, quæ tibi intuli, & quas ab omnibus hominibus pateris. Ah! ſit hoc principale negotiū meum, quouſque perveniam ad regnum illud pacis, & deliciarum, ubi promiſiſti te abſter-

absterfurum lacrymas ab oculis servorum tuorum; *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt.* Apoc. 21. Ingemiscam igitur sub põdere hujus corporis peccati, exspectando promissa tua, & sine cessatione dicendo cũ S. apostolo tuo Rom. 8. 23. *ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.*

DIE SABBATHI.

Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Joan. 16. 20.

De pænitentia clericorum.

1. Obligati sumus ducere vitam pænitentem.
2. In quo consistat hæc pænitentia?

PUNCTUM I: Postquam hæc verba Salvatoris ad discipulos suos dicta audiisti: *vos contristabimini*; non potes amplius dubitare, vitam alicujus christiani, specialiter autem clericorum, nonnisi continuam quamdam pœnitentiam esse debere. Tam benè persuasi esse debemus de hac veritate, ait S. Augustinus, ut si nullam in hoc mundo crucem haberemus, nos ipsi aliquam nobis procurare deberemus, ut ità crucifigere valeamus inordinata desideria carnis nostræ; quia, nisi hoc fiat, declarat apostolus, nos omninò ad Christum non pertinere; *qui autem*

tem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Galat. 5. 14. Porrò hæc crucifixio non eſt opus unius tantùm diei, non poſſunt paſſiones noſtræ ſimul & ſemel mortificari; chriſtianus quilibet ſingulis diebus novis eſt expoſitus tētationibus, ergo jugiter cruci JEſu Chriſti affixus eſſe debet; *in hac quidem cruce, per totam iſtam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere chriſtianus; non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos*, ait S. Auguſtinus. Eſt potiùs è contrario tempus crucifigendi veterem hominem cum vitiis ſuis, & perverſis deſideriis; id quòd à nobis fiet, ſi ab ebrietatibus, impudicitiis, luxu, contentionibus, & invidia nos cohibeamus; ſi exactè ſtudeamꝰ, induere Dominum JEſum Chriſtum, & jugiter in corpore noſtro mortificationem illius portemus. En! chriſtiani! quid vos facere oporteat, concludit hic S. Doctor; ibid. *ſic ſemper hìc vive, chriſtiane, ſi terreno limo greſſus non vis immergere; noli de iſta cruce deſcendere*. Si chriſtianus tali modo vivere debet, an clericus aliquis ſecum in hoc diſpenſare valeat? ſi cotrariæ hucuſque mentis, & opinionis fuiſti, depone illam, & propone deinceps vitam auſteriorem, & magìs mortificatam vivere, Omnia te ad hoc invitant; corona Capitis tui, breves crines,

nes, habitus talaris, quem portas, bonum exemplum, quod populo tuo dare debes; & obligatio, quam habes, pœnitentiã prædicandi. Sed in quonam consistit pænitẽs vita clerici? hoc explicabit

PUNCTUM II. 1mo. debet vivere vitam frugalem, qualem concilia clericis, imò ipsis etiam episcopis præscribunt: *ut episcopus vilem suppellectilem & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem, fide, ac vitæ meritis quærat.* Con. Carth. IV. can. 15. Exactè observare debet jejunia, & abstinentias ab ecclesia præscriptas; evitare non solùm intemperantiã & excessus, sed etiam convivia & compotationes; rescindere à supellectili sua omnẽ superfluitatem; luxum in habitu cavere, non nimìs delicatè comedere; uno verbo: contentus esse debet necessariis. *Conceditur tibi, ut si benè deservis, dẽ altari vivas; non, ut de altarĩ luxurieris. ut de altari superbias,* ait S. Bernardus. epist. 212. 11. *quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est: rapina est, sacrilegium est.* 2do debemus obligationibꝰ nostris satisfacere cum multa patientia, & fidelitate, tam in cathedra, & confessionali, quàm apud ægrotôs; *in omnibus exhibeamꝰ nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in*

angu-

anguſtiis. 2. Cor. 6. En! grandem illam pœnitentiam, quæ clericis incumbit, debent inſuper iſtis adjungere particulares mortificationes; quia ſi S. Paulus, cujus labores planè erant immenſi, adeò durè ſuū corpus tractat, & in ſervitutem redigit, ne dum aliis prædicat, ipſe reprobus efficiatur, quis clericorum non contremiſcat, ſi nullam in ſe ſuſcipere velit pœnitentiam? ſuo nos timore terruit; *quid enim faciet agnus, ubi aries tremit?* ait S. Auguſt. ſerm. 19. de verb. apoſt. 3tio pœnitentia clericorum, præſertim ſi curam animarum habeant, eſt, ut ſe humilient, & coram Deo ſe in nihilum ſuum abſcondant, pro peccatis populi, quorum pondus ipſi in ſe ſentire debent, adeò ut ab illo coram divina majeſtate uſque ad terram deprimantur, ut cum propheta quodam loquar: *miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem; afflictus ſum, & humiliatus ſum nim[illegible], rugiebam à gemitu cordis mei.* Pſ. 37. quia, quemadmodum Chriſtus princeps paſtorum, peccatis noſtris gravatus, quæ ùt ſua conſiderabat, coram Patre ſuo divino ſe exinanivit; ità etiam fideles miniſtri ſui, ſecundùm menſuram gratiæ, quam ab iſto ſummo paſtore acceperint, imitatores charitatis illius, aliter ſe conſiderare non debent, quàm ut obligatos ad reddendam rationem pro omni

omnibus curæ suæ commissis, & taliter se humiliare coram Deo, qualiter id ab eis illorum charitas erga proximum exigit; *sacerdotes ejus gementes*, Quæ causa est, cur S. Gregorius M. pastoral. l. 2. ità dicat; *sit singulis compassione proximus, ut per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat.* Bone Deus, quando tandem hoc erit, ut clerici talem agant pœnitentiam! Pro præparatione ad Missam vide, in quo hucusque defeceris; & roga JEsum Christum, regem omnium pœnitentium, ut faciat tibi gratiā exercendi te imposterum fidelius in tali virtute, quæ tibi non minus necessaria est, quàm evangelium suum. *Pœnitemini, & credite evangelio.* Marc. 1. 15.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum. Jacob. 1. 17.

De donis & talentis à Deo acceptis.

1. Agnoscere debemus, quòd à Deo illa habemus.
2. Et applicare illa pro gloria DEI.

PUNCTUM I. PUlchra sanè lectio, & doctrina est, quam hodie in epistola sua dat S. Jacobus, dum ait, quòd nihil ex nobismetipsis hubeamꝰ, & quòd omne bonum, quod habemus, à Deo sit; *omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est.* Sufficit planè

veritas

veritas iſta pro integra aliqua meditatione! maneamus igitur in iſta humilitate coram Deo, quam nobis inſpirare debet paupertas, & miſeria noſtra! exponamus illi egeſtatem noſtram omnimodam, & oratio noſtra, inſtar pauperis, in gemitu quodā conſiſtat, qui nihil habet, & omnibus indiget, nec quidquam habere poteſt, niſi quod pura miſericordia Dei ei concedit. *Reſpice in me, & miſerere mei; quia unicus & pauper ſum ego*. Pſ. 24, 16. Domine! tu ſcis, quòd nihil habeam, & nihil poſſim ex me; mèque indignum omnî gratiâ reddam, miſerere mei. En! formulam precandi, quam nunquam ſatis repetere poſſumus. Quæcunque dona, quæcunque talenta, quaſcūque virtutes nos habere credamus, confiteamur humillimè, omnia hæc nos habere à liberali manu cœleſtis Patris. Ah! quæſo, ne unquam nobis quidquam attribuamus, quaſi effectus quidam eſſet laboris noſtri, & meritorum noſtrorum! fugiamus venenum hoc, quo homines, quaſi nativi Pelagiani, adeò dulce, & gratum putant eſſe! *qui gloriatur, in Domino glorietur; quod donum, qui non habet,* ait S. Auguſtinus, de dono perſev. c. 24. *non dubito dicere, alia quæcunque habet; inaniter habet*. Agnoſcamus è contrario, quòd nec unum greſſum facere valeamus, ad appropinquādum

dum Deo. quem non nisi Deo debeamus; *sine me nihil potestis facere.* Joan. 15. 5. id est, nihil omninò, prout id explicat S. Augustinus tr. 81. in Joan. tam in parvis, quā in magnis, auxilio gratiæ illius indigem9, ut suâ misericordiâ nos præveniat, comitetur, & subsequatur: *misericordia ejus præveniet me; & subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Ps. 58. 11. & 22. 6. èsne hujus opinionis, quam SS. PP. pro fundamento totius pietatis, & christianæ humilitatis habuerunt? sequerìsne in praxi doctrinam adeò sanctam, quæ omnia in Deum refert, quo gloriari posset? *tutiores enim vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte committimus.* August. de dono persev. c. 6. n. 12. Detestare præteritam superbiam tuam, & propone, quòd nisi in Deo deinceps gloriari velis, siquidem plane nullam prorsus causam habes, in te ipso gloriandi. quēadmodum quidam ait: *in nullo gloriandum, quando nustrum nihil est,* Cypr. cit. ab Aug. l. 4. contra 2. epist. Pelag. Et

PUNCTUM II. Considera, qualiter uti debeas donis ac talentis, tibi à Deo misericorditer concessis. 1mo. applicare debes illa pro gloria Dei, hoc enim medium quoddam est, ait S. Bernardus, serm. 1. in cap. jejun. plura merendi; *remittatur ad suum principium cœleste profluvium quo uberius*

terræ refundatur. 2do. debemus nos clerici laborare non solùm ad propriam nostrã sanctificationem, sed pro gloria ecclesiæ JEsu Christi, cujus nos ministri sumus. Si in terra jacentem invenisses calicem aureum, dicebat olim S. Augustinus ad unum ex amicis suis, illum ecclesiæ Dei dares; *accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum; & ministras inde libidinibus, & in illo sathanæ propinas teipsum.* epist. 1. ad Liunt. Quot clerici ità abutuntur talentis suis, à Deo acceptis? non habeo sufficientia talenta, ais, ut ecclesiæ servire possem; responderi tibi posset, quòd non semper illi plura talenta habeant, qui plus fructûs afferunt in aliqua parochia; sed seposito hìc examine talentorum tuorum, utrum sint extraordinaria, vel mediocria, hoc solùm à te petitur, ut ea applices, quæ accepisti, ait S. Bernardus, epist. 202. ad Bald. Abb. *quasi verò devotio tua accepta non sit, ex eo, quod habes, non ex eo, quod non habes: de solo tibi credito talento, respondere tibi para. Securus de reliquo. Si multùm accepisti, multùm da; quod si modicum est, & id tribue; etenim, qui in modico fidelis non est, nec in maximo. Totum da, quia totum repetendus es usque ad novissimum quadrantem; sed sanè, quod habes, non quod non habes.* Bene expende, & pondera verba ista S. Bernardi, & vide utrum fuerint

tua

tua regula hucusque? communica hodie in & cum agnitione indigentiæ tuæ, cum desiderio tamen illud modicum etiam, quod habes, Christo JEsu consecrandi. Optandũ esset, ut ad illum dignè sumendum aliquid afferre posses, sed quia fere aliud non habes, quàm defectus, noli propterea esse desolatus; hanc ipsam tuam paupertatẽ affer, & humilliter illi præsenta, dicendo: *tota spes mea, non nisi in magna valdè misericordia tua.* Verba sunt S. Augustini, l. 10. confes. 29. quæ sæpè ante S. commnnionẽ, aut Missam repetere deberes.

FERIA SECUNDA.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Jacob. 1. 19.

De silentio.

1. Utilitas illius.
2. Periculosum est, nimiùm loqui.

PUNCTUM I. SUppeditat nobis S. Jacobus apostolus materiam aliquam magni momenti, nimirum oportere, multum audire, & parum loqui. Non possunt recenseri in numera illa mala, quorum causa existit nimia effusio ad loquendum, & præcipitanter discurrendi, quæ nimìs communis & ordinaria modò est in mundò, etiam inter & apud clericos. Sufficit dicere cum hoc ipso apostolo, quòd ista intemperantia linguæ sit *universitas ini-*

quitatis. Duo iſta verba explicant nobis utilitatem ſilentii, non ſilentii cujuſdam moroſi & melancholici ſed talis, quod conjūctam habet ſcientiam, & prudentiam, & valdè nobis à SS. PP. commendatur; *lingua diſcretè frænanda eſt, non inſolubilier obliganda*, ait S. Gregor. M. paſtoral. 3. p. admonit. 15. Hoc ſilentium 1mo. eſt caracter hominis ſapientis, & prudentis, qui ſcit, tempus eſſe loquendi, & tempus tacēdi. Sunt, qui tacent, quia neſciunt, quid prudenter loqui debeant. Sunt & alii, qui tacent, quia benè diſcernere poſſunt; quādo tempus ſit loquendi; *eſt tacens non habēs ſenſum loquelæ; & eſt tacens, ſciens tempus aptum*, ait Sapiens Eccleſ. 20. aujungit: *homo ſapiens tacebit uſque ad tempus*, ibid. id eſt, uſquedum neceſſitas adſit loquendi, prout explicat S. Gregor. M. 2do. ſilentiū fidelis cuſtos eſt cordis; nutrit omnes virtutes quas exercere debemus; *cultus juſtitiæ ſilentium*. Iſ. 32. 17. Conſervat nimirū pietatem & religionem; *ſi quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio*. Jacob. 1. 26. Silentium conſervat pacem; ſedat omnes paſſiones, & vigilantiam chriſtianam nutrit. *Dixi, cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*. Pſ. 38 1. Reprimit furorem & calumnias obloquentiū;

hinc

hinc idem propheta regius adjungit: *posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me.* 3tio, silentium magnus magister est orationis, & recollectionis spiritualis; *bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* Thren. 3. 26. Hinc S. Bernardus dicebat, inclinationem & affectionem nostram ferri debere in silentium, si Deum rogare & orare velimus, cum fervore, & dignos nos reddere gratiis suis. Et S. Joannes Climacus tract. de pass. Dom. c. 27. vocat silentium, augmentum luminum cœlestium, in anima nostra; adjutorium contẽplationis, invisibilem progressum in virtute, sanctam elevationem animæ ad Deum. Amicus silentii, ait quidam ex græcis PP. (gradu 11.) Deo approximat; & quia modo aliquo secreto, & planè occulto, se in familiaritatem illius insinuat; variis divinis luminibus illustratur. En grandem utilitatem silentii; sed ut magìs adhuc illius tibi utilitatem persuasam habeas,

PUNCTUM II. Considera periculum, quod quisper nimiam loquacitatem incurrit. 1. Si rationabile silentium caracter est hominis sapientis, possumus etiam dicere cum scriptura, nimiam loquacitatem esse signum insensati; *stultus verba multiplicat,* Ecclesiastis. 10. 14. Vidistíne hominẽ propensum ad garriendum, ait Sapiens Prov.

29. 20. *ſtultitia magìs ſperanda eſt, quàm illi-us correptio*; & in libro Eccleſiaſtici vide, quid dicat? *labia imprudentium ſtulta narra-bunt; verba autem prudentium ſtaterâ ponde-rabuntur*. Ecclеſ. 21. 28. Verba, quæ ſubjũ-git, valdè notanda ſunt; *in ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium os illorum*. i-bid. v. 29. Cor ſuum habent inſenſati in ore ſuo, quia fortuitò loquuntur, prout verba in os veniunt, & paſſio dictat; quin ſolliciti ſint verbo moderandi, ſecundùm rationem, & cum debita cordis circumſpectione; econ-tra os ſapientûm in corde ipſorum eſt, qui ità dominantur linguæ ſuæ, ut omnia ver-ba ſint ritè ordinata, & in bilance duplicis charitatis priùs appenſa, quam debent vel Deo, cujus ſolius gloriam quærunt, vel proximo, cujus nonniſi ſalutem optant, & quærunt. Fac reflexiones tuas ſuper iſtis, & vide, utrum inſenſatis, an ſapientibus aſ-ſimileris in loquendo? 2do. ſi ſilentium o-omnes virtutes cuſtodit; intemperãtia lin-guæ origo eſt multorum peccatorum. *Com-plures vidi, loquendo in peccatum incidiſſe, vix quemquam tacendo*, ait S. Ambroſius, l. 1. off. c. 2. *citò lutum colligit amnis abundans*. A verbis otioſis venitur ad detractiones; à detractionibus ad apertas calumnias & injurias, exinde oriuntur lites, diviſiones & inimicitiæ, adeò, ut abſque hæſitatione

dici

dici possit, talem garrulum plurimos excessus committere, quos omnis homo prudens evitat. *In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Prov. 10. 19. 3tio. si silentium pater, aut mater est orationis, abundantia verborum dissipatrix est, & spiritum, DEI in anima extinguit; hinc Sapiens comparat illũ, qui linguã suã cohibere nõ potest, cuidã, ex omni parte patenti, & insultui inimicorum exposito, *sicut urbs patens, & absque murorum ambitu, ità vir, qui non potest loquẽdo cohibere spiritum.* Prov. 25, 28. Porta, & muri animæ nostræ, ait S. Gregorius, pastor. p. 3. admon. 15. sunt cohibitio, & circumspectio in loquendo, quæ dæmoni aditum præcludunt; intrat autem in animam, tanquam in locum quemdam derelictum, quamprimum se quis in loquendum inconsideratè effundit; perdit quis eoipso mediũ illud, ut non distrahantur in oratione per millena peregrina phantasmata, & cogitationes (tamen tales clerici adhuc orationes persolvunt aliquas) silentium enim remedium est, ut oratio nostra non impediatur à distractionibus. *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Ps. 139, En inconvenientia illa, quibus se exponit, qui nimium loquax est. Vide, an non hujusmodi excessus cõmiseris? & pro præparatione ad Missam,

roga JEſum Chriſtum pro gratia, ipſum in aliquo imitandi, quoad illud ineffabile & miraculoſum ſilentiū, quocum adorat Patrem ſuum cœleſtem in SS. Euchariſtia; *pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Pſ. 140. 3.

FERIA TERTIA.

Et tardus ad iram: ira enim viri juſtitiam Dei non operatur. Jac. 1. 19. 20.

De ira.

1. Turpitudo hujus vitii. 2. Remedia contra illud.

PUNCTUM I. PRomptitudo facilè & ſubitò iraſcendi, unus ex majoribus defectibus eſt, quem homo habere poſſit; ut turpitudinem vitii hujus plenius cognoſcas; nota 1mo. quòd ira hominem deformet. *Cor hominis immutat faciem illius.* Eccleſ. 13. 31. diminuit ſanitatem, & quandoque etiam mortem affert; *zelus & irracundia minuunt dies.* ibid. 30. 26. 2do. perturbat rationem, ira ſpecies quædam eſt ſtultitiæ & furoris; *ira furor brevis.* Nubem offundit intellectui, & voluntatem pervertit, impedit, ne videatur, quod verū eſt & juſtum, ità quidem ut dici poſſit, vix eſſe differentiam aliquam inter ſtultum, & hominem irâ correptum, & ſui impotentē, id quod Sapiens Eccleſiaſtis. 7. 10. etiam inſinuat: *ne ſis velox ad iraſcendum. quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* 3tio. ira ſpiritum Dei à no-

à nobis elongat, qui est spiritus pacis, & mansuetudinis, prout propheta Ps. 75. ait. *factus est in pace locus ejus;* recedit à corde illo, ubi turbatio, & indignationis commotio regnat; *non in commotione Dominus.* 3. Reg. 19, Quod ansam dedit S. Joanni Climacho dicendi, cor mansuetorum thronum quēdam esse, in quo Dominus quiescit; & animas turbulentas ac iracundas tribunal esse, in quo diabolus præsidet. 4to. denique exponit nos iracundia omni generi peccatorum; *vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior,* ait Spiritus S. in Proverbiis cap. 29. 22. Vitium capitale est, & origo litium, inimicitiarum vindictæ, verborum injuriosorum, juramentorum, imprecationū, blasphemiarum, verbo januam aperit omnibꝰ vitiis, ùt ait S. Hieronymus, in Prov. 29. *janua vitiorum omnium est iracundia, quâ clausâ, virtutibus intrinsecùs dabitur quies; aperta verò; ad omne facinus armabitur animus.* Ecce! quid nobis horrorem hùjus vitii ingenerare debeat. Verùm si vitium hoc adeò horribile, & scandalosū est in simplici quocunque christiano, quale erit in aliquo clerico, cujus proprius caracter esse debet patientia & mansuetudo? vel potiùs ad exemplum sui divini magistri ipsa mansuetudo, & affabilitas? quid, an sacerdos, &

paſtor iraſcatur, cui tamen apoſtolus Tit. 1. 7. adeò interdicit omnem ſuperbiam & iracundiam, *non ſuperbum, non iracundum;* & ſanè, ùt, S. Hieronymus regul. Monach. de corr. & doctr. Præſid Tom. 4. ait· *revera nihil fœdius, præceptore furioſo.* Quomodo enim in aliis damnabit iracundiam, ſi eam in ſeipſo non reprimat? hâc enim ſuà iracundiâ potius alios in malum præcipitabit, quàm ut eos extrahat â malo, in quod ipſi ceciderunt; *errantes, non tam ad bonum trahit, quàm ad malum, ſævitiâ ſuâ præcipitatâ.* Benè ergo ad id attendere debemus, quod nobis Jacobus apoſtolus dicit; *ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.* Ut autẽ ex hac ipſius doctrina, & monito proficiamꝰ

PUNCTUM II. Vide nunc, qualia te oporteat adhibere remedia contra paſſionem adeò violentam. Primum eſt ſilentiũ, de quo in meditatione præcedenti. *Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Pſ. 76. 5. Difficile eſt, cùm ſimus homines, ut non ſentiamus quandoque nos ad aliquam iracundiã moveri, ſed memores tunc eſſe debemus, quod ut chriſtiani hunc motum reprimere, & nunquam injuriam pro injuria rependere debeamus, *Turbatus ſum ùt homo*, ait in hunc locum S. Hieronymus, *& non ſum locutus ùt chriſtianus.* Quòd ſi etiam quid boni loqui poſſemus, oportet tacere ſi ſciamus,

mus, proximum malè diſpoſitum eſſe, ad hoc audiendum, *obmutui, & humiliatus ſum; & ſilui à bonis.* Pſ. 38. 3. Pluribus inconvenientiis ſic obviabimus, quibus aliàs iracundiæ paſio nos exponeret, ſi hanc regulam non ſequeremur. Inardeſcere inter diſputandum, & ad injurias venire ſolemus; charitas facilè læditur, & unde hoc? quia ſpiritum contradictionis habemus, & hinc facilè ad inconſiderata verba prolabimur. *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium,* ait apoſtolus ad diſcipulum ſuum 2. Timoth. 2. 14. Vide, ut hoc documentum ad praxim & exercitium perducas. 2dum. remedium eſt, ut te in mãſuetudine exerceas; *reſponſio mollis frangit iram. ſermo durus ſuſcitat furorẽ.* Prov. 15. 1. Ignis non extinguit ignem; neque iracundia iracundiam ſedat. Oportet igitur, ait S. Bernardus in cant. ſerm. 25. verba noſtra ità temperata eſſe, ut non ſolùm alium non ad iracundiam provocent, ſed illum etiam mitigent, ſi jam cõmotus ſit, vel iram in illo præveniant, vel ſuffocent, ſi iam excitata eſſet. 3tium. remedium eſt oblivio injuriarum. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Epheſ. 4. 26. Sciſne quid hoc ſit, ſi cum iracundia cubitũ eas? idem eſt, ac ſi in lecto tuo collocares ſerpentem, & leonem. Si ergo durius quid
con-

contra fratrem tuum dixiſti, quamprimū cura, ut reconcilieris cum ipſo, & noli permittere, ut ira tua in te ipſo creſcat, & vires ſumat; *ira ſit brevis*, ait S. Hieronymus, *nec in diem craſtinum differatur*. Denique ad reportandam plenam victoriam de hac paſſione, meditare ſæpius paſſionem D. N. J. C. præſertim reflecte te ſupra illud: quod in evangelio de Chriſto ſcriptum, & añotatum eſt; *JEſus autem docebat*, & pro præparatione ad Miſſam conſidera, quàm perfectè idipſum obſervet JEſus in injuriis, quas in ſanctiſſima euchariſtia patitur, & ſuſtinet. Quot irreverentiæ, & im̃odeſtiæ, ſacrilegia, com̃uniones indignæ fiunt, interim omnia hæc à pluribus chriſtianis, imò etiam à clericis patienter fert JEſus. Habèſne igitur ullam rationem conquerēdi, contra leves injurias tibi illatas? veniā igitur pete ab eo ob præteritam tuam impatientiam, & ſtude illum deinceps melius imitari; *patientiâ ſuâ paſſus eſt*, ait S. Auguſtinus, ſerm. 9. de verb. apoſtol. *ut doceret patientiam noſtram.*

* *

FERIA QUARTA.

Vado ad eum, qui miſit me. Et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Joan. 16. 5.

De cælo,

1. Major pars hominum in oblivione cæli vivit.
2. Quo deſiderio ferri deberemus illuc perveniend.

PUNCTUM I. REprehendit Christus JEsus in hoc evangelio discipulos suos, quòd, dum egit abitũ suum ex hoc mundo, & reditum ad Patrẽ suum annuntiasset, nullus tamen eum interrogasset, quò iret. Permittitur sincerè amanti aliqua curiositas, & quilibet nostrũ obligatus est, se informandi, quò Christus JEsus abierit, siquidem ad hoc tendere debemus omnes ut illum assequamur. Sed eheu! præsentibus rebus nimiúm occupati, facilè obliviscimur res invisibiles & æternas. *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* defacto omnes scimus locũ illum, quo abiit, cœlum esse, tanquam locum requietionis suæ in æternum, post tot labores passiones, & ærumnas hujus vitæ mortalis; talis quietis, quam nil turbare potest; quietis talis, in qua vel ipsum Dei gaudiũ consistit, & quæ beatitudinem perfectam in se claudit; denique quietis talis, quæ omnibus nobis certissimè promíssa est, quã securissimè exspectare possumus, modo vivamus, prout decet Dei filios, & veros JEsu Christi discipulos; *itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.* Hebr. 4. 9. Interim major pars hominum parùm cogitat de hac æterna requie: quotidie in recitatione orationis dominicæ dicunt ad Deum: *adveniat regnum tuum*; interim ità vivunt, quasi

æter-

æternaliter ſuper terram permanſuri. *Quid ergo eramus*, ait Cyprianus, de mortalit. *& petimus, ut adveniat regnum cœlorum, ſi captivitas terrena delectat. Quid precibus? frequenter iteratis rogamus ut adveniat dies regni, ſi majora deſideria & vota potiora ſunt, iſthinc ſervarie diabolo, quàm regnare cum Chriſto?* potèſtne dici, e. g. tot ac tot chriſtianos, qui mentem ſuam nonniſi cogitationibus rerũ mundanarum, & ut ſe hìc in mundo ſtabiliant, occupatam habent; qui nonniſi cum tædio quodã audiunt ea, quæ ipſis de cœleſtibus bonis proponuntur, vivant in & cum exſpectatione vitæ æternæ ac beatæ? potéſtne dici, quòd tot clerici, qui aliud non cogitant, quâm procurare beneficia, quorũ vita continua catena, & circulus recreationum eſt; quorũ præcipua cura in eo verſatur, ut voluptates ſibi invicem ordinatè ſuccedant, ſine interruptione alia quàm tali, quæ neceſſaria eſt, ut quaſi reſpirare, & novas vires ſumere valeant, vitam ſuam in tali gemitu tranſigant, ſine quo quis gaudia cœleſtis Jeruſalẽ prætendere nequit, prout S. Auguſtinus in Pſ. 146. ait: *ille ſperat felicitatem, qui confitetur infelicitatem.* Vide tu ipſe, qualiter te diſpoſitũ ſentias; & ſi quod abſit, amor hujus ſæculi & creaturarum oblivisci te facit bonorum cæleſtium, renũtia illi ex hoc momento: *ſi oblitus fuero tui*

Jeru-

Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Et

PUNCTUM II. Disce à SS. PP. quo affectu & conatu laborare debeas illuc perveniendi. Mirabilia de hoc habet S. Cyprianus in tractatu de mortalitate, in quo hoc intendit, ut ostendat, quòd quis gaudere debeat de quolibet genere mortis, eo quòd per illam eripiamur á tentationibus hujus vitæ, & in requiem sempiternam transferamur, quò aspiravimus. *Amplectamur diem,* ait illustrissimus hic Martyr, & Episcopus Carthaginensis, *qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos paradyso restituit, & regno cœlesti; quis non peregrè constitutus properaret, in patriam regredi? quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velocius caros liceret amplecti?* ministri Domini! hoc creditis, hoc prædicatis, quòd non simus nisi peregrini super terram, & cives cœli, verùm, ubi est desiderium vestrum, fruendi & gaudendi hac cælesti habitatione, quam Deus diligentibus se promisit? ubi sunt sacerdotes & pastores, qui sine murmuratione videant dissolvi terrestrem domum corporis sui, pro divini magistri sui obsequio & servitio? ubi sunt illi ardores cœlestes, qui sanctum Augustinum ità exclamâre coëgerunt? *ô domus luminosa & speciosa! dilexi decorem tuum,*

um, & locum habitationis gloriæ Domini mei, fabricatoris, & possessoris tui, tibi suspiret peregrinatio mea, & dico ei, qui fecit te, ut possideat & me in te, quia fecit & me. Erravi sicut ovis perdita, sed in humeris pastoris mei, structoris tui, spero me reportari tibi cōf. l. 12. c. 15. Si tales affectus, & pia desideria intimè cordibus nostris infixa essent, prout sancti talia experti sunt, adeò non cōquereremur, nec plangeremus, si videamus domum corporis nostri ad ruinam vergere, senectutem, morbos, & miserias sensim ad destructionem illius conspirare, ut potiùs enixè optaremus, felicissimum illud momentū protinùs advenire, quo ex illa exire, intrare possemus domum illam gloriosam ac æternam, quam Deus nobis præparavit in cœlo, dicendo, cum magno apostolo Paulo 2. Cor; 5. 1. *scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Domus ista vel maximè tædium nobis aliquod ingenerare deberet domꝰ illius, quam modò inhabitamus. Quicunque non afficitur pulchritudine domûs istius, indignus est, ut illam æternam inhabitet. O Domine! ah dona mihi ardens desideriū illuc perveniendi! *levemus cor sursum, ne putrescat in terra.* S. August. in. Ps. 148 n. 5.

Pro

Pro præparatione ad Missam, quia sumpturus es illum in SS. Eucharistia, qui est objectum beatitudinis sanctorum omniū, cōtestare illi ardorem illum, quo illi æternū uniri desideres. O JEsu, quem toties in hac vita intra me sumo, ah! fac, ut etiam in altera vita te æternùm possideam! *jube me Domine ad tuam immarcessibilem gloriam feliciter pervenirè;* & pro gratiarū actione post S. communionem sæpiùs tecum repete verba ista regii prophetæ Ps. 41. *sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.*

FERIA QUINTA.

Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio, Joan. 16. 8.

QUALITER SE GERERE DEBEANT CLERICI ERGA MUNDUM?

1. Debent illum arguere.
2. Qua ratione & modo hoc fieri debeat.

PUNCTUN I. OFficium, & verus caracter alicujus clerici, & ministri evangelici est, arguerè mundum, tali cum libertate qualem Spiritus S. qui ad defendendam causam JEsu Christi advenit, apostolis inspiravit, & quā S. Paulus discipulo suo comendavit, quando ait: *argue cum imperio.* ad Tit. 2. 15 Nō est bonum signum, si quis ab omnibus laudem & plausum & universalem approba-

tionem ab iis obtinet, qui viam amplam, largam & ſpatioſam ambulant, qui taliter diſpoſiti ſunt, ut illi de quibus propheta Iſ. 30. 10. *nolite nobis aſpicere ea, quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores* Sit fortè ſecretum & ars quædam ità ſe inſinuare poſſe, in gratiam iſtorum; ſed Deus à nobis avertat hanc condeſcendentiam & adulationem, quæ adeò criminoſa eſt apud Deum! *prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Thren. 2. 14. Ne timeamus haberi pro nimiùm ſeveris, ſi alii non ſumus, quàm qualis fuit ipſe Chriſtus JEſus, divinus magiſter noſter, cujus lingua diſtillabat mel & lac. An propterea putas eum vitia diſſimulaſſe? mundo non minatum fuiſſe? aut quidquam diſpenſaſſe ſeu relaxaſſe de doctrina ſua evangelica, quamvis præviderit, ſe indignationem & reſiſtentiam apud homines carnales incurſurum? quàm acriter invectus erat contra avaritiam, ſuperbiam, & hypocriſim phariſæorum, quamvis non ignoraverit, libertatem hanc vel ipſa morte ſibi conſtituram? vide S. Paulum, perfectum imitatorem illius, qui erga omnes fideles materna viſcera habebat, qui dolores parturientis pro ipſis patiebatur & ſe quotidie pro ſalute ipſorum immolabat, quàm acerbè reprehẽ-

dat

dat peccatores? *quid vultis* ait ad Corinthios 1. ep. 4. 22. *in virga veniam ad vos? an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* magnus hic apostolus totâ vitâ suâ bellum gessit adversus peccatum; neque pacem, neque inducias, neque quietem ullam concessit iis, qui ultrò perire volebant; quemadmodum medicus nullam etiam concedit illis, qui morbo lethargico laborant; & etiam morti proximus hæc gravia documenta discipulo suo Timotheo reliquit; *insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* 2. Timoth. 4; Tam frequenter legis pulchra ista verba; quem verò apud te effectum causant? quotidie occasionē habes reprehendēdi vitia, & tamen nec verbum dicis: *canes muti, non valentes latrare.* If. 56. 10. Timeo, ais: mundo displicere; & nescis, quid Christus Matth. 10. 22. ad discipulos suos dixerit? *eritis odio omnibus propter nomen meum.* Arma igitur te ipsum novo ardore, ut resistere possis excessibus illis, qui defactò in mundo regnant. O te felicem, si dicere posses cum Michæa propheta: *repletus sum fortitudine spiritûs Domini, judicio & virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, & Israel peccatum suum* Mich. 3, 8. roga Deū pro hac gratia. &

PUNCTUM II. Disce modum, quem tenere debeas ad arguendū mundum, quia

res hæc adeò facilis non eſt, quàm nobis ipſis imaginemur. 1mo ut S. Gregorius Papa in ſuo paſtorali c. 8. (quod continuó in manibꝰ paſtorũ omniũ eſſe deberet) monet. *neceſſe eſt, ut cura regiminis tanti moderaminis arte temperentur, quatenus ſubditorum mens, cùm quædam rectè ſentire potuerit, ſic in vocis libertatem prodeat, ut tamen libertas in ſuperbiam non erumpat,* 2do. oportet ſe ſuaviter inſinuare in ſpiritum illius, quem corrigere volumus; *difficile quippe eſt, ut quamlibet rectè denuntians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur.* ibid. Debemus curare, ut illi placeamus, & tamen ſimul etiam ei oſtẽdere quòd vita illius nobis diſpliceat; id quod S. Paulus nobis 1. Cor. 10. 33. inſinuat, ait. S. Gregorius: *cùm ſui nobis ſtudii occulta manifeſtat dicens; ſicut & ego per omnia placeo omnibus; qui tamen rurſus dicit, ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Placet ergo Paulus, & non placet, quia in eo, quod placere appetit, non ſe, ſed per ſe, hominibus placere veritatem quærit.* Greg. ibid. 3tio. oportet agere prudenter cum reſpectu & obſervatione temporis, loci, & perſonarum imò quandoque diſſimulare illud, quod corrigere nequimus. *Nonnulla prudenter diſſimulanda ſunt; ſed quia diſſimulantur, indicanda, ut cùm delinquens & deprehendi ſe cognoſcit, & perpeti has, quas in ſe tacitè tolerari*

con-

considerat, augere culpas erubescat, seque se judice puniat, quam sibi apud se rectoris patientia excusat. ibid. c. 10. 4to. oportet examinare qualitatem peccati, illi, qui peccant ex malitia, fortius & acrius reprehendi debent, juxta monitum S. Pauli Tito datum: *increpa eos durè*, si impudentes sint, & effrõtes, etiam tu durus esse debes, ait S. Bernardus l. 4. de consid. c. 3. *si dura fronte sunt, durato & tu econtra tuam; nihil tam durum, quod duriori non cedat.* Hinc dicebat olim Dominus ad Ezechielem prophetam qui ad populum talem loqui debebat; *ecce dedi frontem tuam, duriorem frontibus eorum.* Ezech, 3. 8. Si vero error fuit, quasi subreptitius, & ex fragilitate cōmissus, tunc uti oportet spiritu lenitatis, & mansuetudinis; hoc ipsum consilium iterum nobis dat S. Paulus Galat. 6. 1. *si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Ratio, quæ nobis ad hoc faciendum persuadeat est, juxta eundem apostolum, propria nostra experientia, quam quotidie de nostra fragilitate habemus; *considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Denique si obligatus sis ad corrigendū, ratione ministerii & officii tui, Spiritum Christi Domini assumere stude, ut divinus iste Spiritus sit, qui per te *arguat mundum de peccato.* Et pro præparatione

ad Missam roga Christum JEsum, ut tibi cõmunicet unctionem hanc Spiritûs S. qui solus correctiones tuas utiles aliis, & proficuas reddere peteſt, conjungendo animositati tuæ moderationem, zelo mansuetudinem, tranquillitatem Spiritûs indignationi tuæ, quam meretur peccatum. *Corripiet me justus, in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Pſ. 140. 5.

* *

FERIA SEXTA.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Joan. 16. 12.

De modo instruendi.

1. Debet is correspondere capacitati populi.
2. Methodus hoc faciendi cum fructu:

PUNCTUM I. VErba ista, quæ JEsus ad apostolos suos dixit: *adhuc multa habeo &c.* docent clericos, veritates seu verbum salutis cum multa discretione dispensare. *Sciendum verò est prædicatori*, ait S. Greg. Papa, pastor. p. 3. c. 5. *ut auditoris sui animum, ultra vires non trahat, ne ut ità dicam dum plusquam valet tenditur, mentis chorda rumpatur.* Et ideo occultare debet illa, quæ nimis sublimia sunt, si coram pluribus loquatur, & ea solùm coram paucis tractare; *alta etenim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri.* ibid. Hinc dixit etiam Je-

sus, quòd sit *fidelis, & prudens* dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis *cibum in tempore*, secundū mensuram cuique propriam. Triticum hoc, ad mensuram datum, verbum Dei significat, quod proportionatè, ad capacitatem cujuslibet audientis, distribui debet; *ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur*, ait Gregorius qui ulterius addit, ideò S: Paulum 1. Cor. 2. dixisse, se nō potuisse loqui hominibus spiritualibus, sed talibus, qui adhuc carnales essent, & adhuc quasi infantes, quibus lacte opus foret, non cibo solido. Hæc etiam causa est, cur Moyses post reditum suum à consortio Domini velamen habuit supra vultum suum, ut nimirum populo absconderet gloriam illam, seu radios, & sublimia lumina, quæ à Domino recepit. *Qui ergo rectè prædicat*, concludit hic S. Pontifex, *obscuris adhuc cordibus aperta clamat; nihil de occultis mysteriis indicat, ut tunc subtiliora quæque de cælestibus audiant, cùm luci veritatis appropinquant.* Fundamentalis hæc doctrina, ex pastorali S. Gregorii desumpta, majori usui esse potest, quàm nobis imaginemur. Observare illam oportet non solùm in cathedra, quando formati ad formati ad populum sermones habentur, sed etiam in privatis instructionibus, in catechesi imò etiam in conver-

satione; id quod tamen plerumque non observatur. Loquuntur aliqui in catechesi de certis quibusdam mysteriis, quorum neque parvuli, neque adulti, qui adsunt, capaces sunt, ac proin de nullū fructū exinde trahunt. Proferuntur quandoque inter conversandum talia, quæ, quia transcendunt captum, ad nihil illis prosunt. Denique sæpius contingit, tales fieri conciones, quæ vel verbô divinô indignæ, & nimis viles sunt, vel adeò sublimentur, ut dum quis pro erudito haberi vult, inutilis auditoribus evadat, qui id non capiunt, neque à talibus moventur, quæ non intelligunt. Examina te ipsum, an non aliquem ex ejusmodi erroribus commiseris, vel per defectum, vel per excessum? &c.

PUNCTUM II. Disce, quanta sit utilitas, si tali modo temperare, & moderari scias instructiones tuas, ut nil dicatur, quod non sit ad captum audientium; *totum quod intelligo, volo, ut, qui me audit, intelligat*, ait S. Augustinus lib. de catech. rud. ad Deograt. in illo suo excellenti opere ad quemdam Carthaginensem clericum, cujus officium erat docere principia religionis christianæ, eos qui iis nondum sufficenter imbuti erant; exponit ei diffusè, & per exēpla etiam methodum, quam observare debeat, ut hoc cum utilitate & fructu facere

queat,

queat. Vult ergo 1mo. ut disponat auditores suos taliter, quò capaces reddantur, capiendi etiam altissima mysteria & veritates religionis nostræ, adducendo per modum historiæ id omne, quod sapientia, & bonitas divina pro nostra salute operari dignata est, à tempore Patriarcharū, & Prophetarum, id est, à creatione mundi usque ad JEsum Christum. 2do. postquam eos cō-vicit, per ordinem istum historicum operum mirabilium, & solicitudinis illius, quam Deus omni tempore ostendit pro salute omnium hominum, ad id deinde veniendum, ut totum hoc eis persuadeatur per explicationem œconomiæ mysterii incarnationis, ubi ostendit nobis Deus magnitudinem amoris sui, & tale humilitatis exemplum nobis præbuit, quod vel solúm superbiam nostram curare, & miseriis nostris mederi possit. *Deus homo & divinæ in nos dilectionis indicium est, humanæ apud nos humilitatis exemplum, ut humanus tumor noster majore contrariâ medicinâ sanaretur; magna est enim miseria, superbus homo, sed major misericordia humilis Deus.* ibid. 3tio. post ostensum & explicatū casū hominis, & necessitatem nostram, habendi aliquem redēptorem, oportet eos adducere ad exhibēdam Deo gratitudinem, & ut comprehendant, debere nos iterum ad Deum reverti;

hac ergo delectione cibi, tanquam fine proposito, quo referas omnia, quæ dicis; quidquid narras, ità narra, ut ille, cui loqueris, audiendo credat, credendo ſperet, ſperando amet. ibid. 4to. deinde proponere eis oportet præcepta, quæ nobis dedit Deus; ſacramenta quæ JEſus Chriſtus inſtituit ad ſanctificationem noſtram; neceſſitatem noſtram quā habemus, orationis, gratiæ divinæ, & aliorum articulorum; quos eccleſia credit, & ſi ità firmi, & probè inſtructi ſint in fide & charitate, inſtigari debent; ut curſū ſuū cū ſanctis incipiant; explicādo illis, veritates & myſteria ſublimiora fidei noſtræ, eàque ſenſim inſinuando, quæ perfectiora ſunt, ad obtinendum regnum cœlorum. Meditare hanc regulam ſollicitè; à tam bona enim radice veniunt, ut meritò omnem attentionem tuam mereantur, & pro præparatione ad miſſam pete à JEſu Chriſto gratiam ex illis proficiendi, quia ſine illo diſcere non potes, quod alios utiliter doceas; *diſciplina tua ipſa me docebit.* Pſ. 17, 36

DIE SABBATHI.

Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joan. 16. 13.

De scientia clericis necessaria.

1. De obligatione clericorum, ut ſint literati.
2. Media, ut tales evadant.

PUNCTUM I. Etſi legamus in evangelio, quòd JEſus to-

ties docuerit, & instruxerit apostolos suos, eisque intelligentiam S. scripturæ dederit, insuper tamen eis promittit Spiritum S. à quo docendi essent omnem veritatem, scitu ipsis necessariam, ut obligationi suæ satisfacere valeant. Scire igitur, & intelligere debemus, scientiam qualitatem aliquam esse ad sacerdotium omninò requisitam, & necessariam, nullumque debere esse clericum, quemcunque demum locum, & gradum in ecclesia teneat, qui se ab eà eximere, & secum dispensare valeat. Scientia tãti momenti, & tam essentialis sacerdotibus est, ut dicat Spiritus S. in Oseè propheta c. 4. v. 6. *quia tu scientiam repulisti, repellam te à conspectu meo, ne sacerdotio fungaris mihi.* Hinc pontifices & concilia absolutè à sacerdotio excludunt eos, qui debitâ scientiâ carent. *Inscii literarum*, ait Papa Hilarius in quodam concilio Romæ habito, *ad sacros ordines aspirare non audeant.* Item Gelasius Papa, in quodam decreto Gratiani citatus, ait, *nemo illiteratus ad clericatûs ordinem promoveri præsumat; quia litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis.* Hinc defectum scientiæ considerare non debemus, instar aliorum defectum, ob quos ecclesia aliquos à ministerio altaris excludit, quia statuendo ejusmodi species irregularitatis, sibi ipsis potestatem non abstulit in iis dispensãdi,

di, si aliis qualitatibus præditi sint, ob quas utiles esse possint ecclesiæ. Domina enī est legum suarum, ut possit eas relaxare, quā-do id oportunum judicaverit; sed res non ità se habet, quoad ignorantiam, seu inscitiam; hæc enim est irregularitas, in jure naturali fundata, imò etiam in divino: consequenter dispensatio hìc locum non habet. Illi, qui oculo aliquo carent, vel alio membro, licitè admitti possent ad SS. ordines, nisi sacri canones aliud statuissent, verùm si ignorantes pro irregularibus non declarasset, tamen non possent licitè ordinari, quia nunquam permissum est episcopis, tales ordinare, qui incapaces sunt, ut ecclesiæ deserviant; quàles sunt, qui scientiâ carent, vel mores illos non habent, qui ministeriū sacrum decent. *Nullus igitur ad sacra mysteria veniat indoctus*, ait concilium VIII. Toletanum can. 8. *aut ignorantiæ tenebris cæcutiens, sed solùm is accedat, quem morum innocentia & litterarum splendor reddunt illustrem.* Quibus insuper Patres hujus concilii ista terribilia verba addunt: *aliter ordinaturis, & ordinandis imminet imposterum Dei & ecclesiæ vindicta.* O quàm terrere deberent verba ista & illos, qui ad sacros ordines sine sciētia aspirant, & illos qui eos admittunt; neque excuset se quis per hoc, quòd desint in aliqua diœcesi tot subjecta capacia; quia ut ait

ait concilium Lateranense celebratum sub pontificatu Innocentii III, in cap. cùm sit 24. deæt, & qual. præfic. *satius est, maximè in ordinatione sacerdotum, paucos bonos quàm multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam delabuntur.* ut enim ait, S. Leo Papa epist. 87. c. 1. *non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen.* Necessarium igitur est, clericos scientiâ præditos esse. Examinemus nunc media illa, perveniendi ad debitam scientiam, seu litteraturam.

PUNCTUM II. S. Augustinus ea indicat in illa epistola, quam ad Talerium scripsit, à quo assumptus fuerat in coadjutorē episcopatûs Hipponensis, (epist. 22. ad Valer. episc.) Postquam tempus aliquod sibi expetiit, ut se melius in doctrina sacra informare posset, quam populum docere deberet, ait, hoc obtineri aliter non posse, nisi orando, legendo, plangendo; *quomodo autem hoc fieri potest? orando legendo, plāgendo.* 1. Oratio principale, & primarium medium est acquirendi scientiam ecclesiasticam, & ideo Christus ad apostolos suos dixit: *Spiritus veritatis docebit vos.* En! quid magister dicat? huic igitur nos conformare debemꝰ. Scientia, quæ nobis necessaria est, non est scientia aliqua profana, sed est scientia, & ars.

ars, ut nos ipſi ſancti evadamus, & alios ad ſanctitatem promoveamus. Plus proficimus per orationem, quàm per violentiam, applicationem & intenſionem intellectûs, *ſi ſapientiam invocaveris, ſcientiam Dei invenies,* ait Sapiens Prov. 2. 3. S. Thomas, quem merito & magiſtrum in theologia noſtra veneramur, fatetur ſe plus didiciſſe coram crucifixo, quàm ex libris; legimus etiam de S. Gregorio Naziãzeno, orat. 20. & S. Baſilio, qui Antiochiæ ſtudiis incumbebant, illis non niſi duas vias ibi notas fuiſſe; unam ad eccleſiam; alteram ad univerſitatem, ſeu ſcholam. 2do. orationi oportet adjungere ſtudium, & lectionem, quæ viæ naturales ſunt perveniendi ad ſcientiam. Hoc eſſet tentare Deum, & exponere ſe illuſionibus, ſi illas negligeremus, quæcunque aliâs lumina ex oratione hauriremus. Refertur in vita S. Bernardi, quòd, quamvis in & per orationem conſecutus ſit intelligentiam S. ſcripturæ, tamen minimè intermiſerit lectionem SS. PP. qui eam interpretati ſunt. An non S. Paulus hortatur diſcipulum ſuum Timotheum, qui educatus & nutritus fuerat verbo veritatis, ut lectioni incumberet? *attende lectioni.* Et ipſemet etiam apoſtolus, etſi ſciẽtiam infuſam habuerit, imò ad 3tium uſque cælum raptus fuerit, an non ſcribit ad diſci-

discipulum eundem sic? *affer tecum libros, maximè autem membranas.* 2. Timoth. 6. 13. 3tium. denique medium, ut quis sanctè sapiens evadat, est, ut quis gemat, sub pondere & gravitate obligationum suarum, humiliando se coram Deo in consideratione defectuum, quos committere solemus, exclamando cum propheta Ps. 17. *Deus meus, illumina tenebras meas.* Denique oportet ducere vitam regularem, quæ nos insensibiliter ad cognitionem & scientiam obligationum nostrarum perducet, *vis theologus fieri*, ait S. Greg. Naz. orat. 29. *per præcepta Dei incede; actio enim gradus est ad contemplationem.* Pro Missa considera, quod si nullam aliam haberes functionem, quàm offerre hoc grande sacrificium, scientia tibi summoperè necessaria sit, ut hoc dignè facere queas, quia si neque magnitudinem mysterii hujus, neque mirabilia, quæ ibi interveniunt, neque admirabiles effectus, quos causat, intelligas, quem fructum exinde capies? quæ causa fuit, quòd Petrus Damiani opuscul. advers. inscit. clericorũ c. 28. hæc scripta reliquerit: *quid jam pro populo in precibus suis supplicat, qui, quod loquitur ipse, velut alienus ignorat, & cùm apostolus obsequium nostrum rationabile esse præcipiat; quomòdo illic rationabile erit obsequium, ubi is, qui offert, oblationis suæ non concipit intellectum?*

DO-

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Estote factores verbi, & non auditores tantùm; fallentes vos metipsos. Jac. 1. 22.

DE FIDE PRACTICA.

1. Non sufficit prædicare, vel audire tantùm verbum Dei, sed oportet illud facere.
2. Et quidem quoad omnia, quæ præcipit.

PUNCTUM I. DAntur non nisi quã plurimi clerici, qui minimè exequuntur, seu ipsi observant ea, quæ aliis prædicant; sunt etiam paucissimi christiani, qui quod audiunt ab ipsis, observare velint; tam illis, quàm istis dicetur: *estote factores verbi; & non auditores tantum.* Non indigent verba ista explicatione, quilibet sibi ipsi ea applicare potest, christianus propterea nondum est, qui præcisè ab ore ministrorum Dei audit verbum divinum, & explicationem evangelii; scimus enim non solum cathechumenos, sed etiam Judæos, & paganos assistere posse catechesi, seu instructioni, quæ in ecclesia datur; hodiedum adhuc habent hanc libertatem, est que iste modus ordinarius, quòd ab audito verbo divino ad fidem convertantur. Non satis est, habere fidem, & credere mysteria religionis nostræ; etiã dæmones credunt illa, & contremiscunt: verbo; non satis est, signatum esse sigillo & charactere baptismi, si quis non etiam vivat tali modo, qui conformis sit obligationibus

nibus illis, quas in & per illam contraxit, & nisi aliquis studeat, per bona opera, certam facere æternam electionem suam, *creati sumus in Christo*, ait S. Paulus, Eph. 1. 10. id est prædestinati, *in bonis operibus*. Descendit ille de cœlo non solùm, ut nos redimeret ab iniquitatibus nostris, ab iis nos purificaret, sed insuper, *ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem, bonorum operum*, Tit. 2. 14. Et ideò idem apostolus ait Rom. 2. 13. *nan auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. His veritatibus præsuppositis, cõcludere exin debent christiani, nil iis profuturum in hora mortis, quòd pluribus cõcionibus interfuerint, nisi ex iis profecerint. Pariter etiam clerici concludere debent, nil eis profuturum, coram tribunali divino, quòd tot ac tot hominibus veritates evangelii prædicaverint, si ipsi non fuerint primi in iis observandis: *non omnis, qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei*, ait Christus Matth. 7. *multi dicent in illa die Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus; & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem*. O quam metuendæ sunt multis christianis

cominationes istæ, qui fidem nonnisi mortuam habent, fidem sterilem, destitutam bonis operibus, tot doctoribus, tot prædicatoribus, qui non faciunt, quod dicunt, quid respondebunt hi tales, quando à Christo Luc. 19. 22. sibi dici audient: *de ore tuo te judico, serve nequam.* Si linguâ angelorū locuti fuissent, si grandem numerum peccatorum efficaciâ instructionum suarū cōvertissent, ah! quid illis prodesset hoc lucrū animarum, si propriam perderent! an non potiùs econtrario desperatio ipsorū augebitur, si videant tot simplices, illiteratos, absque scientia, qui non nisi per ipsorum ministerium instructi fuerunt, non nisi per illos, tanquam per canales, gratiam Dei receperunt. fuisse salvatos, se verò cum omni doctrina sua infeliciter damnatos? seriam super hoc fac reflexionem, ne & ipse unus sis ex numero illorum, de quibus hìc S. Jacobus: *fallentes semetipsos* Et in hunc finem

PUNCTUM II. Nota, haud sufficere, observare legem divinam tantùm quoad certa puncta. Oportet eam observare in omnibus, & per omnia; *si quis auditor est verbi, & non factor,* ait S. Jacobus, *hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Evangelium,* ait S. Bernar. Serm. 1. de 7. panibus, *spe-*

culum veritatis est; nemini blanditur; nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit. Nostrum est amovere, & corrigere deformitates illas, quas speculum istud nobis exhibet; evitare vitia, quæ prohibet, & exercere virtutes illas, ad quas hortatur. Sed eheu! hoc minimè facimus. S. Jacobus alibi nobis dicit: *quicunque totam legē servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Jac. 2. 10. Interim, dum quis uni obligationi suæ satisfacere satagit, scrupulum sibi nullum facit, cæteras violandi; conscientiam sibi quandoque aliqui formant ad placitum suum, quamvis opera dein nostra non sint plena, de quo Christus olim conquestus fuit, *non invenio opera tua plena,* Apoc. 3. 2. *Custodite diligenter,* ajebat olim S. Bernard, ad populum magnæ cujusdam civitatis, *quod auditis libenter.* Mementote, Herodem plus, quàm istud tantùm fecisse; quia scriptum de illo est non solùm, quod *libenter* S. Joannem *audierit,* quem pro homine justo habebat, & sancto, sed quòd illum etiam timuerit, & reverentiam erga illum habuerit, *pluràque fecerit,* juxta instructionem & consilium illius; verùm hoc non obstante tamen periit, quia non totum id faciebat, quod sanctus hìc præcursor ex parte Dei ei annuntiabat. Ita S. Bernar. epist. 129. ad Janvenses. Appli-

ca tibi ipſi verba hæc iſtius S. Doctoris. & certò tibi perſuaſum habeas, haud ſufficere ad ſalutem, ſi prædices, ſi legas, aut audias verbum divinum, vel etiam plura exequaris, & obſerves; ſi non totum obſervas, periiſti. Vide, in quo hucuſque deliqueris? Pro præparatione ad Miſſam conſidera Chriſtum Jeſum in SS. euchariſtia tanquam fidele ſpeculum, quod conſulere debes, ut reſcindas, & corrigas defectus illos, qui te impediunt ab obſervantia evāgelii cum tali perfectione, quæ à nobis exigitur. Si ergo ab illo diſcas, & invenias nimium adhuc vanitatis, ſenſualitatis, amoris proprii, uno verbo: nimiùm de te ipſo in te eſſe, noli contentus eſſe cum eo, quod lumen hoc divinum tibi defectus tuos detexerit, ſed oportet venire ad praxin: corrigenda, reſcindenda, relinquenda ſunt omnia, quæ noverimus ei diſplicere; quia hoc eſt medium, ut perfecti evadamus, ait S. Jacobus cap. 1. 25. *qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliviosſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.*

* *

FERIA SECUNDA.

In Rogationibus

Petitte, & dabitur vobis, quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis. Luc. 11. 9.

De

De processionibus.

1. Quare institutæ sint.
2. Qualiter illis interesse debeamus.

PUNCTUM I. QUia hi tres dies ab ecclesia destinati, & consecrati sunt publicis precibus, & processionibus, ex occasione hac loquemur in genere, de omnibus processionibus, ut, dū iis interesse volumus, fiat hoc cum majori devotione, conformando nos spiritui, & intentioni ecclesiæ circa illas. Processiones similes institutæ fuerunt ex duabus principalibus causis & rationibus. Prima est, ad denotandum, nos esse viatores super terrā; est hic locus peregrinationis nostræ, oportet quotidie progredi, & meminisse, nos requiem non habituros, nisi postquam templum sanctum intraverimus. id est, in cœlum recepti simus, durante processione expositi sumus omnibus injuriis aëris, quia reipsa, quamdiu in hoc mundo vivimus, pluribus tentationibus pulsamur, continuò attollere vocem nostram ad cœlum debemus, æquè ac in processionibus, cantando Dei laudes, *cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Ps. 118. Orando Deum, invocando auxilium illius, per intercessionem sanctorum, qui feliciter peregrinationem suam finierunt; quorum vestigia & exēpla sequimur; hinc fit, quòd ordinariè in talibus processionibus Lita-

niæ omnium SS. decantentur. Secunda ratio institutionis talium processionum est, ut veneremur, & adoremus itinera, & defatigationes Christi JEsu super terrã, maximè, dum cruce oneratus, per plateas Jerusalem ibat, & Calvariæ montem conscē-dit; hinc etiam antefertur in processionib9 crux aliqua elevata, ut memores simus, nos omnes debere Christum sequi, & sub vexillo S. Crucis ambulare, & militare. Processiones horum trium dierum originem suam debent S. Mamerto, Episcopo Viennensi, qui eas ordinavit, & instituit anno 469. ad placandam iram Deì, & pro evitãdis flagellis, & calamitatibus, quibus illo tempore Delphinatus, & Sabaudia affligebantur. Retinuit ecclesia usum & consuetudinem harum rogationũ, quæ simili apparatu pœnitentiali peragi solent; principaliter autem eò tendunt, ut gratiam conversionis nostræ, & benedictionem pro frugibus terræ, quibus in hac vita mortali indigemus, à Deo impetremus. Plures aliæ per annum fiunt processiones, quorum intentum, & finem clerici populo declare debent, & exactè curare, ac providere, ut observent in illis ordinationes & constitutiones episcopi, ut non eant ad loca nimis remota, à quibus eodem die non amplius redire possint processionaliter; ut observetur silen-

silentium, & alii excessus, qui hac occasione introduci possent, evitentur, aut aboleantur; vide, qualis fuerit zelus tuus in ejusmodi circumstantiis, & in hunc effectum.

PUNCTUM II. Vide, quomodo talibus processionibus interesse debeamus. 1mo. oportet afferre talem spiritū, qui cuilibet processioni congruat, & meminisse, Deum velle adorari in Spiritu & veritate. Ut Judæus, non ùt Christianus talibus quis interesset, si quis præcisè litteræ seu externis cæremoniis inhærere, & non penitus indagare vellet, quænam sit intelligentia, & finis talium cæremoniarum. Item haud sufficit præcisè corporaliter sequi, & comitari talem processionem, oportet mentaliter, vel vocaliter orationi vacare, & suam orationem unire illis precibus, quæ durãte processione publicè persolvuntur. 2do. oportet recollectum esse, toto tempore, quo durat talis processio, neque circumspicere, sive in hanc, sive in aliam partem; non loqui absque necessitate; incedere ordinatè & modestè absque festinatione: quilibet suum locum observet viri à fœminis separati, quantùm fieri potest; *omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.* 1, Cor. 14. 3tio. denique clerici non debent tantùm contenti esse, si præcisé per bonum suum exemplū ædificent eos, qui talibus publicis precib9

interſunt, ſed præſeferre inſuper debent ſpiritum quemdã pœnitentiæ, & ſeipſos non aliter conſiderare, quàm ùt victimas, tam propriis peccatis oneratas, quàm vel maximè etiam peccatis populi, ſicque Deo ſe offerre ad exemplũ Moyſis, ad illa expianda; *quieſcat ira tua, & eſtò placabilis ſuper nequitia populi tui.* Exod. 32. 12. Fuiſtìne tali modo præſens proceſſionibus? pete veniam à Deo de præterito, & offer illi in ſatisfactionem, ſacrificium JEſu Chriſti & eccleſiæ ſuæ; & in futurum aſſiſte illis cum majori recollectione, pietate devotione, & modeſtia; id quod à te requirit Dominus; quod etiam populus à te exſpectat jure, & ad quod denique ipſum tuum miniſteriũ, & ſtatus tuus te obligat; *ut in omnibus honorificetur Deus, per JEſum Chriſtum, cui eſt gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.* 1. Petr. 4. 11.

FERIA TERTIA.

Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. 23.

De oratione.

1. Clerici debent orationi eſſe dediti.
2. Cõditiones neceſſariæ, ut oratio noſtra ſit efficax.

PUNCTUM I. Res mira! ſcripturam S. adeò nobis commendare, & inculcare orationem, & nos tam

tam parùm intelligere, & capere illius necessitatem! sit igitur hoc ipsum materia hodiernæ meditationis nostræ. 1mo. fundatur necessitas ista in ipsa infirmitate, & indigentia nostra, quæ, quia extrema est, cōstanter ingemiscere deberemus, in consideratione miseriarum, periculorum, & tentationum, quæ nobis ex omni parte iminent. Pauperum est orare; & quia nos tales ultrà, quàm dici potest, sumus, majorem utique obligationem habemus, instandi precibus & gemitibus dicendô cum propheta regio Ps. 37. *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* 2do. in necessitate gratiæ divinæ, quâ in omnibus, & per omnia indigemus, prout ipse Dominus in evangelio nos monuit de hoc: *sine me nihil potestis facere.* Joan. 15. Apostolus ait: nos adeò pauperes & egenos esse, ut ex nobis ipsis nequidem aliquid boni cogitare possimus; *non quod sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. 5. Et alibi ait, & docet nos: *Deus est enim, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Philip. 2. 13. Exercitium orationis igitur necessarium est homini ad vires necessarias obtinendas, ut tentationibus resistere valeat, & bonum, quod Deus præcipit, exequatur. *Petat, quo destituitur,*

ut impleat, quod jubet; oret gemitu voluntatis, ut donum impetret facilitatis, ait S. August. tract. de N. & G. c. 69. 3tio. fundatur in præcepto divino, quod Christus iterum renovavit frequenter in evangelio, ubi vult, ut non solùm oremus, sed ut hoc fiat incessanter, quin in exercitio adeò nobis necessario ullo modo defatigemur; *oportet semper orare, & non deficere*. Luc. 18. 1. Ecce! quid nobis comune sit cum omnibus christianis. Sed strictiorem longè obligationē adhuc habemus tanquam clerici; *sumus lapides sanctuarii, qui apparere semper debent in conspectu Dei*, ait S. Gregorius M. hom. 17. in evang. & ideò ordinati sumus ad altare, ut sciamus, obligationem nostram esse offerendi Deo incessanter preces, & sacrificia, ùt alius S. pontifex loquitur: *sacerdotibus, & orandi & sacrificandi juge officium est*. Innocent. I, epist. ad Erup. c. 1. Posséetne post hæc inveniri clericus adeò irrationabilis, ut dicere audeat, se tempus non habere orandi? idem hoc esset, ac si rex diceret, tēpus sibi non suppetere, ut regnum sunm administret, aut judex, ut judicet, & causas decidat; aut medicus ut ægrotos suos invisat; aut pastor ovium, ut gregem suum custodiat. Nam quid est pastor animarum? nisi homo orationis, & homo Dei, qui continuò cum Deo conversari debet. *Tu autem, ô ho-*

mo

mo Dei, 1. Timoth. 6. 11. denique talis homo, cujus tota occupatio sit orare & praedicare verbum Dei, ad exemplum apostolorum. *Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus*. Act. 6. 4. O felix itaque pars, & sors clericorum, qui hoc capiunt! fac, ô Domine, ut de hoc omninò persuasus sim, quo deinceps fidelius officio meo satisfaciã. Quia verò non sufficit persuasum esse de hac veritate, quòd necessaria nobis sit oratio.

PUNCTUM II. Videamus modò cõditiones, quas habere debet oratio nostra, ut efficax sit. Duas nobis indicat Christus in evangelio, quae omnes alias in se includũt. Prima est, ut oremus fiducialiter; *petite, & accipietis*. Vult Deus invocari, ùt Pater; quâ fiduciâ autem non recurrit infans ad Patrẽ suum, planè persuasus, se à patre suo non repellendum, sed exaudiendũ; *quantò magìs Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se?* ait ipse Christus D. N. Luc. 11. qui ergo orare vult, faciat hoc plena fide, & fiduciâ de Dei in se bonitate; *postulet autem in fide*, ait S. Jacobus, cap. 1. 6. similis enim est talis, qui dubitat aut hæret, fluctui maris, qui híc & inde circumfertur à vento, *non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino*. ibid. 1. 7. Habèsne in oratione tua fidem hanc charitate animatã, quæ semper utiliter & efficaciter orat? secunda

cunda conditio, quam in oratione noſtra requirit Chriſtus, eſt, ut fiat in nomine ſuo, *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo*. Ipſe nos docet, ſe eſſe unicum mediatorem noſtrũ, & quòd non niſi per ipſum acceſſum habeamus ad Patrem ſuum, *nemo venit ad Patrẽ, niſi per me*. Joan. 14. 6. Per ipſum appropiquare debemus Deo. ait enim apoſtolus Hebr. 13. *per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis. id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Eccleſia ipſa hujus rei nobis exemplũm dat; nunquam preces ſuas Deo offert, niſi *pèr Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Per eundem etiam claudit, ſeu abſolvit laudem, & adorationem ſuam, *per quam laudant angeli*. Idem igitur dicamus, ùt eccleſiæ miniſtri, ſed nihil petimus in nomine ejus, ſi humilitatem ejus non ſectemur, neque charitati, & aliis virtutibus inſiſtamus, quas orationi, & precibus ſuis adjunxit. Præparatio tua ad Miſſam in eo conſiſtat, ut Deum roges pro gratia benè orandi; *verè novit rectè vivere, qui recte novit orare*, ait quidam, inter opera S. Auguſt. Tom. 5. in app. ſerm. 55. Si adeò aridus, & languidus es in tuis exercitiis, aliunde hoc nõ provenit, niſi quia orationem negligis; *aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*. Pſ. 101. 5. Panis, quo nutriri debes, ut vires tuas ſpirituales vel conſer-

ves,

ves, vel reparas, oratio est, specialiter matutina; hæc enim lignū illud est, quod asferre debes, ad conservandum ignem pietatis, & devotionis, & ad impediendum, ne extinguatur. Quæso, nunquam illam intermittas! *ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna. manè per singulos dies.* Levit. 6. 12.

* *

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

Sublevatis JEsus oculis in cœlum dixit: Pater venit hora; clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Joan. 17. 1.

METHODUS ORATIONIS.

1. Præparatio. 2. Corpus orationis. 3. Conclusio.

PUNCTUM I. Continet evangelium hodiernum illā admirabilem orationē, quam Christus JEsus persolvit ante passionem suam, pro se ipso, pro apostolis suis, & pro omnibus successoribus illorum, & iis, qui credituri essent in eum. Occasionem nobis præbet oratio ista, observando methodum illam, quam in oratione nostra servare debeamus, quam fortè aliàs nunquam amplius habebimus; quod tamen scitu valdè necessarium nobis est, siquidem monet nos Spiritus S. ut præparationem aliquam orationi nostræ præmittamus. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Eccles.

clef. 18. 23. Præparatio igitur prima pars eſt orationis. Alia eſt remota, alia proxima; remota eſt, quæ in vita ordinata & regulari conſiſtit, proxima conſiſtit in lectione libri illius, qui certā materiam aſſignat, noſque in præſentia Dei ſtatuit, cum tali reverentia, & profunda humiliatione coram illo, cujus tam grande exemplum nobis dedit JEſus in oratione ſua in monte oliveti, *procidit in faciem ſuam.* Matth. 26. 39. Invocandus etiam S. Spiritus, ut ſanctas nobis cogitationes inſpiret, ſiquidem certi ſumus, nos ex nobiſmetipſis orare ùt oportet, non poſſe, *nam, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. 26. Implorare etiam oportet auxilium Beatiſſimæ Virginis, S. Angeli cuſtodis noſtri, & patronorum noſtrorum, ut ſic avertantur ea, quæ nos diſtrahere poſſent. Obſervaſtìne fideliter ejuſmodi præparationem? acceſſiſtíne ad orationem, ſeu meditationē tali cum recollectione, & affectu, ut aliud non deſiderares, quàm ut intimè converſareris cum Deo? *anima mea liquefacta eſt, ùt locutus eſt dilectus meus.* Examina te deſuper.

PUNCTUM II. Corpus orationis, ſeu id quo nos occupare debemus tempore orationis, ſeu meditationis eſt, ut id, quod pro materia aſſumpſimus, attentè conſideremus;

mus; *considerabo mirabilia de lege tua.* Psal. 118. 1mo. coram Deo vel Domino nostro JEsu Christo, reflectendo nos supra id, quod ipse de hac materia dixit, vel cogitavit, exhibendo simul, seu exercendo debitos act9 adorationis, amoris, gratitudinis &c. 2do. referendo eam ad nos ipsos, in quantum eâ indigemus pro nostro proprio profectu, pro reformatione morum nostrorū; nos humiliando, & petendo à Deo gratiā ad hoc nobis necessariam; exponendo miserias nostras, paupertatē nostrā, infirmitates, & tētationes, quas patimur; & supplicando ut misericorditer nos respicere dignetur; *citò anticipent nos misericordiæ tuæ. quia pauperes facti sumus nimis.* Ps. 78. 8. *Omnes*, ait S. Augustinus, serm, 15. de V. D. *quando oramus, mendici Dei sumus, ante januam magni patris familias stamus, aliquid volentes accipere; & ipsum aliquid, ipse Deus est.* Pauper qui consolationem exspectat, suam miseriā proponit, & elemosynam per amorem Dei petit. Oremus igitur, quemadmodū isti solent; & petamus à Deo elemosynam gratiæ suæ, per amorem JEsu Christi. Conjūgamus nos cum magno isto adoratore Patris divini, desideremus ità orare, ut ipse, cum ipso, & per ipsum, nec aliud afferre, nisi merita, Spiritum, & personam ipsius, nec aliter apparere coram Deo, nisi ùt alter

Chri-

Christus, en! quo nos utiliter occupare possimus tempore orationis nostræ,

PUNCTUM III. Conclusio, ultima pars orationis mentalis est, quæ in bonam resolutionem seu propositum desinere debet, prout nostra spiritualis indigentia id exigit, quæque ad reformationem morū nostrorum tendere debet. Iste est fructus ille, quem ex omnibus meditationibus trahere debemus; hinc scriptum est Ecclesiastis 7. 9. *melior est finis orationis, quàm principium.* Gratias deinde agere debemꝰ Deo pro gratiis, durante meditatione, nobis cōcessis; & rogare illum, ut propositis nostris benedicere, eáque efficacia reddere dignetur, Vide nunc, utrum methodum hancfideliter hucusque secutus fueris in mediādo, vel similem? examina, in quo defeceris, cura illud in futurum corrigere, & plùs fructûs ex meditationibus capere. Hinc gratiam hodie petere debes à Deo in præparatione tua ad Missam; uni te ipsum cum summo hoc pontifice religionis nostræ, cujus sacrificium celebraturus es, & qui non cessat in altari pro nobis orare. Ita Domine! ego tibi offerro infinitam illam adorationem filii tui JEsu Christi, qui solus supplere potest, quod nostræ adorationi deest. Exaudi me Domine ob amorem filii tui, in quo tibi semper summè complacuisti. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ps. 83. 10.

PRO

PRO FESTO ASCENSIONIS D. N. J. C.

Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. 1. 9.

DE ASCENSIONE DOMINI.

1. Cur JEsus ascenderit in cælum.
2. Quid nos facere oporteat, ut eum sequamur.

PUNCTUM I. ADoremus Dominum nostrum J. C. in cœlum ascendentem; rogemus insuper eum, ut participes nos faciat copiosæ illius benedictionis, quam hodie super discipulos suos effundit; *& elevatis manibus benedixit eis:* gaudeamúsque simul cum illis, videntes, divinum magistrum relinquere terrā istam morientium quæ anathemate maledictionis percussa est, id est, mundum, qui illô dignus non erat (utpote quem nequidem recipere voluit) ut intraret in gloriā illam majestate sua dignam; consideremus deinde, quare D. N. J. C. in cœlum ascenderit? hoc ideo fecit 1mo. ut possessionem sumeret illius gloriæ, quæ ipsi debebatur, quam tot titulis promeruit, specialiter per humiliationem, & annihilationem seu abjectionem suam infinitam; quàmque à Patre suo divino effundi petiit supra humanitatem suam in illa pulcherrima oratione, quā paulò ante mortem suam peregit; *& nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum clarita-*

tate, quam habui, priusquam mundus esset apud te, Joan. 17. August. & Chrisost. in hunc loc. 2do. ut nobis ibi pararet locum; *vado parare vobis locum*, Joan. 14. 12. vult, quia, sumus membra illius, ut illi aliquando uniamur; *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant charitatem, quam dedisti mihi*. Joan. 17. 24. Clerici, qui ministri illius sunt, & membra principalia, an non jure, cum magnâ, sed humili fiduciâ sperare, & exspectare possunt, obtenturos se aliquando, locum quemdam in regno ipsius æterno? rogemus illum pro hac gratia, ut illum locum non perdamus, quem ipse nobis promeruit. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ*. Ps. 26. 4. 3tio. denique ascendit JEsus in cœlum, ut ibi officio advocati apud Patrem suum æternum fungeretur. O quantam corã supremo judice potestatem habet hic divinus advocatus! quàm eloquens est vox sanctissimorum vulnerum ejus; quantã fiduciã nobis ingenerare debet authoritas illius apud Deum, etsi vel maximi peccatores simus, siquidẽ ipse defensionẽ nostrã in se suscipit, & nostrã causam suam facit! id, quod S. Joannes nobis suggerit: *filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed & siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JEsum Chri-*

Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. 1. Joan. 2. 1. & 2. Expende attentè omnes has rationes; cura, ut eas etiã populo cōmunices, & explices, ut ità capaciores reddantur, cum fructu celebrãdi hanc solemnitatẽ ascensionis D. N. J. C.

PUNCTUM II. Vide nunc, quid nos facere debeamus, ut Christum sequi valeamus in cœlum; 1mo. proponere nobis debemus continuò ante oculos nostros exẽplum virtutum illius. Reliquit nobis Christus ascendens in cœlum pallium suum, quemadmodũ Elias discipulo suo suũ. Pallium hoc actiones ipsius sunt, quæ nimirũ in vita hac mortali egit, & virtutes, quibus vestiri debemus, ùt sunt, humilitas, mansuetudo, patientia, spiritus mortificationis, charitas, zelus pro gloria Patris sui divini; *omnibus his velut ornamento vestieris.* Is. 49. 18. Hortatur nos omnes ad volatũ, ut supra terram elevemur ad ipsius sequelã & imitationẽ; *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expendit alas suas.* Deut 32. 11. Subjiciamus igitur nos gratiæ ipsius, absolutè renuntiantes peccato, ut nihil sit, quod retardare vel impedire possit volatum nostrũ; *deponẽtes omne pondus, & circumstans nos peccatum.*

Hebr. 12. 1. 2do. abstrahere debemꝰ corda nostra de terra, & ardenter ad cœlestē patriam aspirare, ubi thesaurus noster, felicitas nostra, beatitudo nostra est. Illuc tendunt omnia desideria sanctorū; hinc gemūt cum apostolo in exspectatione illius, quādiu hic in terra vivunt; *ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes redēptionem corporis nostri; spe enim salvi facti sumus.* Rom. 8. 23. Non debet clericus vitā hanc præsentem aliter, nisi moleste ferre; principia fidei, & gratia seu excellentia sacerdotalis dignitatis, non nisi horrorē illi causare debent, erga omnem consolationē humanā, ut aliā non inveniat, aut admittat, nisi in Christo JEsu; *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Philip. 1. 23. 3. Denique debet nos mysterium hujus diei ad id permovere, ut homines prorsus cœlestes evadamus; *animum ergo faciamus nobis cœlum,* ait S. Chrysost. in epist. ad Hebr. c. 9. cœlum semper pulchrum, semper gratum & acceptum est; nunquam faciē suā mutat; nubes præcisè serenitatem illius nobis tegunt. Simus ergo semper etiam iidem in afflictionibꝰ & adversitatibꝰ; permaneamꝰ ii, qui sumus ad imitationē cœli; *hoc nos quoque faciamꝰ,* pergit S. Chrysost. cœlum valdè elevatum est super terram; separemꝰ igitur etiam nos ab eâ, & elevati sursum,

exin-

exinde conjiciamus oculos noſtros deorſū ſupra homines, tunc nullam amplius videbimus differentiam inter principem & ſubditum, quæ nobis occaſio, vel ratio aliqua cujuſdam invidiæ, vel tentationis eſſe poſſet. Purpura, dignitates, aurū, argentum, pretioſa ſuppellex, veſtes pompoſæ magnificæ non amplius movebunt nos, res omnes haud aliter apparebunt nobis, niſi inſtar muſcarum; *omnia videbimus tanquam muſcas.* ibid. O JEſu dona nobis talē diſpoſitionem, & tunc capaces, ac in ſtatu erimus, ſequendi te uſque in cœlum. Pro præparatione ad Miſſam, hānc reflexionē fac, quòd, cùm deſtinati ſumus ad diſtribuendū fidelibus res cœleſtes, ut cœleſtes evadāt, valdè infelices nos eſſemus, ſi non ad hoc ipſum in nobis procurandum laboraremꝰ. Quotidie panem cœli in terram deſcendere facimus; illô etiam cibamur nos, & alios cibamus; quotidie in inſtructionibꝰ noſtris linguam cœleſtem loquimur, quotidie in Miſſa hortamur populum, ut ſurſum cor habeat; item declaramus ibi etiam ſimul, quando celebramus, quòd voces noſtras cum angelis, Archangelis, Seraphim quoque, ac Cherubim conjungamus, ut debitam Deo laudem perſolvamus. Quanta igitur obligatio noſtra eſt, ut homines prorſus cœleſtes evadamus? verùm, quàm timen-

mendum, ne talia ſint in condemnationem noſtram, ſi tales non evadamus? ô JEſu, qui hodie triumphator in cœlum aſcendiſti, trahe corda noſtra poſt te; fac, ut deinceps non amplius terræ adhæreant, ſed omnis converſatio noſtra tecum ſit in cœlo, & ad exemplũ apoſtoli tui vivamus, in continua exſpectatione reditûs, ſeu ſecundi adventûs tui. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt; unde etiam ſalvatorem exſpectamus Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.*

FERIA SEXTA.

Dominus quidem JEſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Marc. 16. 19.

De sessione Christi ad dexteram Patris sui.

1. Eſt in cælo tanquam rex. 2. Et ut Pontifex noſter.

PUNCTUM I. ADoremus Chriſtum ad dexteram DEI Patris in cœlo ſedentē ſupra omnes principatus, poteſtates, virtutes, dominationes, & omne id, quodcunque ſive in hoc, ſive in futuro ſæculo, grande & magnum eſt. Dũ dicimus, eum ſedere ad dexteram Dei, intelligere debemus per hanc ſeſſionē æqualitatem poteſtatis cum ſuo divino Patre, qui eum conſtituit regem, Dominũ ſupremũ, & hæredē univerſalē omniũ rerum S.

Au-

August. L. de Agon. Christ. c. 26. & de fide & symb. c. 7. prout S. Paulus Hebr. 1. 2. ait, *quem constituit hæredem universorum, per quam fecit & sæcula.* Similiter attendere debemus, ne putemus, hoc ei, ùt Deo, cõtigisse, quòd hæreditatẽ hanc consecutus sit, siquidem eam à tota æternitate habuit, & dum cum Patre suo æterno Dominus ac creator est; sed hæc ei ùt homini conveniant; & ut talis etiam audiît à Patre suo: *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam;* & alibi: *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Acquisivit sibi hæreditatem istam vitâ & morte suâ; & possessionem omniũ gentium & gloriæ suæ exinde obtinuit; perfectãque ac plenam obtinebit tunc, quando omnes inimici sui pedibus ipsius substernentur; quando in ultimo adventu suo totum sibi subjiciet, & super impios regnabit per suam justitiam; super electos verò, per cõmunicationem gloriæ suæ. Submitte te humiliter huic regi divino, & siquidem ipsi data est omnis potestas, roga ipsũ, ut disrumpat vincula, quæ te captivum tenent; & ut cordi tuo plenè dominetur, ut ipse, suo tempore, regnare cum illo valeas in æternum. O Domine, memento mei in regno tuo: cõfundor, quòd tam parùm de illo cogitẽ; erubesco ob vilitatẽ inclinationũ, & affecti-

onum mearũ, ſi me ſuper eas reflecto; verùm, quamprimum de te cogitare deſino, res nihili cor meũ occupant, & diſtrahunt, quibus ſtatim adhæret, & eas tibi præfert. Ah, miſerere mei, rex divine, & permitte mihi, ut dicere valeam cum ſponſa in canticis, & aliis ſanctis animabus: *trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum: trahe torpentem, ut reddas currentem.* Cant. 1. 3. S. Bernard. in cant. ſerm. 21. n. 10.

PUNCTUM II. Verùm, non ſufficiat hoc, ut Chriſtum in cœlo ſedentem tantum conſideremus ùt regem noſtrum; aſpiciamus illum etiam ùt ſummum pontificem noſtrum; *habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, JEſum Filium Dei, teneamus confeſſionem.* Hebr. 4. 14. Privilegium valdè glorioſum pro religione noſtra chriſtiana eſt, habere Filium Dei pro ſummo pontifice; prærogativa eſt benè conſiderãda iis, qui hanc fidem profitentur, ſi ſciant, eum cœlos intraſſe; quia præſumptionem pro ſe habent, quòd & ipſi intraturi ſint, ſiquidem populus ſequi poteſt pontificem ſuum, & eò ire, quò ipſe præivit: ſed qualis & quanta conſolatio, ſcire, pontificem iſtũ maximũ ſe inceſſanter ſiſtere, ante conſpectum Dei pro nobis, etiam in hac ipſa manſione gloriæ ſuæ? *introivit in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Hebr.

9.

9. 24. Certi sumus, quemadmodũ sacerdotium illius æternùm durat, ità etiam eum salvare posse omnes accedentes, per ipsũ ad Deum, siquidem *semper vivens est ad interpellandum pro nobis*. Hebr. 7. 25. Oculos igitur nostros sæpiùs conjiciamus in hunc sum̃um pontificem religionis, seu fidei nostræ, qui oblato semel in cruce sacrificio, per quod Deo reconciliati sumus, pergit adhuc continuò offerre se Patri suo pro nobis, ostendendo illi vulnera sua, lacrymas, labores, & omnia, quæ pro peccatoribus sustinuit, & passus est. O quid non obtinebimus per intercessionem & meditationẽ tam magni pontificis, qui ipsa sanctitas & iño-centia est, infinitè distans à corruptione peccati? altior ipsis cœlis, qui introivit in sancta sanctorum, non per *sanguinem* extraneum, sed *per proprium?* Hebr, 9. 12. en! in quo fundatur fiducia nostra, sine ista quid fieret de nobis? ô JEsu! pontifex futurorũ bonorum, intercede pro me apud Patrem tuum; exhibe illi pretiũ redẽptionis meæ; nihil desidero rerũ præsentium; verte desideria mea ad te; *sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Pro Missa; sume hodie Christum JEsum ùt sum̃um pontificẽ tuum; roga ipsum, ut te participẽ faciat gratiæ, & sanctitatis sacerdotii sui, quemadmodum tibi com̃unicavit potestatẽ

ſuam, ut pari diſpoſitione & affectu illũ offerre valeas in ſanctiſſima euchariſtia, quo ille ſe in cœlo, & in S. altari offert. Quia juſtum eſt & æquum, ut, cúm ſacerdos ſis, etiam ipſe aliquid contribuere ſtudeas donis illis, quæ Patri ſuo pro nobis offert. *Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur; unde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat.* Hebr. 8. 3.

DIE SABBATHI.

Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Marc. 16. 20.

De zelo.

1. Quam neceſſarius ſit clericis.
2. Quales habere debeat qualitates?

PUNCTUM I. Locus hìc eſt, loquendi de zelo, omnibus chriſtianis adeò neceſſario, maximè verò bono paſtori, aut ſacerdoti. *Bonus zelus eſt, & utilis in ſacerdote,* ait S. Ambroſius ſerm. 18. in Pſ. 118. *ne negliens, nec remiſſus ſit.* Sacerdos, vel paſtor, qui nullum zelum habet, ad nihil utilis eſt; nam ad quid utilis ſit homo negligens, aut remiſſus? quid boni facere poſſit? quis autem explicare valeat omnem illum fructum, quem afferre poteſt paſtor zeloſus? deſumi, & judicari hoc poteſt ex apoſtolis, qui illô repleti erant; *prædica-*

dicaverunt ubique. Undecim pauperes piscatores, & unus scenofactoriæ artis, omni humano subsidio destitui, totum mundum converterunt, non obstante toto conatu, quem mundus, & totus infernus contra illos adhibuit. Zelus domûs Dei, quo animati erant, illos omnia obstacula superare fecit, omniaque illorum fervori cedere debuerunt. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ps. 18. 5. Quid non effecit hic ipse zelus in primis pastoribus ecclesiæ! prosecuti sunt omnia illa, quæ benè incepta erant ab apostolis; omnia conservarunt, omnia auxerũt, licèt eadem obstacula reperint, quia idem zelus domûs Dei docuit eos quoque, ut omnia vincerent, quemadmodũ apostoli vicerunt. Facilè demonstrari posset, per omnia sæcula nihil boni fuisse, quod zelosi sacerdotes non effecerint; verùm, ut ad hæc nostra tempora veniamus, quis enarret illa, quæ S. Franciscus Xaverius, & S. CarolusBorrromæus præstiterit? quot provincias hoc zelo animatus non peragratus fuit S. Xaverius in Indiis? quot diversis gẽtibus non prædicavit ille evangeliũ? quot animas ad Deum convertit? quot ab idolatria, infidelitate, à vitiis non retraxit? quot ecclesias super ruina paganismi, vel machometismi non erexit, & fundavit? quid in

S. Carolo non effecit idem zelus? quot sũt, quos magnus iste episcopus à vitiis revocavit? quanta bona ipse non præstitit per seipsum, & stabilivit in Italia, & per suum bonum exemplum in toto mundo christiano? ipse solus, certo quodam̃odo, plus contulit ad reformationẽ christianorũ, præsertim totius cleri, quàm infinitus quasi numerus episcoporum & pastorũ. Quid non adhuc hodiedum hic ipse zelus præstat in inferioribus pastoribus? parochus quicunque, illo animatus, & succensus, efficiet id omne, quod volet in sua parochia; nullus excessus erit, pro quo eradicando non inveniat medium aliquod; nullum scandalum, quod nõ tollere, nullum bonum opus, quod non introducere valeat. Ratio hujus rei est, quia nil gratius & acceptius Deo esse potest, & cui magis benedicat, quam hic ipse zelus, pro salute animarum; *nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum*, ait S. Gregorius M. l. 1. super Ezech. hom. 12. postquam autem illius utilitatem vidimus,

PUNCTUM II. Videamus etiã, quales habere debeat qualitates? 1mo. debet esse prudens, quia zelus sine scientia reddit pastorem odiosum, & insupportabilem populo suo; *importabilis siquidem est absque scientia zelus*, ait S. Bernardus serm. 40. in

cant.

cant. *quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiòrque charitas, eò vigilantiori opus est scientiâ, quæ supprimat zelum, spiritum temperet, ordinet charitatem*, ait idē S. P. ibid. 2do. debet esse discretus, & in mensura, non debet involare in labores aliorum, neque diminuere gloriam, & fructū aliorum operariorum evangelicorum; Memento, ait S. Gregorius, scribens ad S. Augustinum, lib. epist. 12. ad interrog. S. August. c. 9. magnum illum apostolum Angliæ, missionem tuam se non extendere in Gallias; nullam, illuc transeundo, exercere debes authoritativam functionem; si ibi videris excessus quosdam, cura, ut bono exemplo tuo eos à vitiis avoces, & imitatores tuos efficias; quia scriptum est in lege; *si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.* Deuter. 23. Igitur falcem judicii mittere non potes in eam segetem, quæ alteri videtur esse comissa; sed per effectum boni operis, frumenta dominica, vitiorum suorum paleis expolia, & in ecclesiæ corpus, monendo, & persuadendo, quasi mandando converte. 3tio. debet esse purus, & alienus à proprio interesse, seu comodo. Minister JEsu Christi neque quærere propriā aut comunitatis suæ utilitatē debet, sed unicè Dei gloriam, & salutē animarū, prou,

S.

S. Paulus fecit, qui ad Philippenſes ità ſcribit: *teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam vos omnes, in viſceribus Chriſti.* Philip. 1. 8. Ex hoc fonte hauſit zelum ſuum; exinde cõpoſuit omnes epiſtolas ſuas; ex hoc deſũpſit omnem doctrinam, quam unquam propoſuit. Pro præparatione ad Miſſam hauri ex eodem fonte idipſum, volo dicere, zelũ quem habere debes, pro ſalute animarũ, ex corde ſanctiſſimo Chriſto JEſu. Roga divinum hunc Salvatorem, ut tibi aliquid de zelo S. Pauli com̃unicare dignetur, qui adeò purus, & alienus ab omni proprio com̃odo fuit, ut non dubitarit idem apoſtolus ità ſcribere: *quotidie morior per veſtram gloriam fratres.* 1. Cor. 15. 31. hoc eſt, quod ſeipſũ privaverit omni quiete, & ſatisfactione, aut com̃oditate, ut ſe integrũ conſecraret pro ſalute, & bono animarum. Ah! bone Deus! dona mihi talem, ac ità comparatũ zelum! accede ad altare novo cum fervore; ibi enim invenies ignem hunc divinũ, quẽ JEſus Chriſtus ſecum in terras aſportavit, qui ſolùs zelum noſtrum accendere poteſt pro gloria Dei & ſervitio eccleſiæ ſuæ. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Luc. 12. 49.

DO-

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS D. N. J. C.

Vigilate in orationibus. 1. Petri. 4. 7.

De distractionibus sub oratione.

1. Sollicitudo eas evitandi. 2 Remedium contra illas.

PUNCTUM I. HAud necessariū esset, monere nos, de vigilantia inter orandum, si probè agnosceremꝰ necessitatem orandi. Non est necesse monere pauperem, ùt paupertatis suæ memor sit, quando coram divite stat, qui eum solari posset; malefactor, qui audientiam apud judicem obtinuit, non debet moneri, ut ad id attendat, quod dicit, vel quod ipsi respōdetur; nec infirmus, ne obliviscatur infirmitatis suæ, coram medico. An non iidem nos omnes sumus coram Deo, quando oramus? unde ergo est, quòd pro eo, ut dicamus cum prepheta; *ego vir videns paupertatē meam, in virga indignationis tuœ.* Thrē. 3. 1. Adeò nos distrahi patiamur? inde est, quia non satis sentimus, vel apprehendimꝰ indigentiam, & necessitatē nostram, quam habemus orandi; neque sufficienter spirituales infirmitates nostras agnoscimus, uno verbo: fides nobis deest, hinc majori jure de nobis ipsis conqueri possumus, quàm S. Hieronymus, quòd adeò malè oremꝰ. Verba hujus S. P. adeò stringentia sunt, ut ea omittere non possim; servient enim ad excitan-

citandã devotionẽ noſtram; *ſi ſecundùm fidem meam fiat mihi, peribo*; ait hic S. Doctor Tom, 2. Dialog. adverſ. Lucifer. *non orarẽ, niſi crederem; ſed ſi verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem; manibus tunderẽ pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, jacerem, ad Domini mei pedes; eòſque fletu perfunderem, crine tergerem, hœrerem certò trunco crucis, nec prius amitterem, quàm miſericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea aut per porticus deambulo aut de fœnore computo; aut abductus turpi cogitatione, quæ dictu erubeſcenda ſunt, operior. Ubi eſt fides? ſiccine putas oraſſe Jonam, ſic tres pueros, ſic Danielem, ſic certè latronem in cruce?* hæ exprobrationes melius in nos quadrant, quàm in S. Hieronymo; quippe, eheu! quomodo oramus nos? tantum reflectamus nos parumper ſupra orationem noſtram, & aliud vix inveniemus, quàm tædium, nauſeam, teporẽ, negligentiam, diſtractiones, & diſſipationes. Mirum igitur ſit, ſi tam parùm fructus hucuſque ex illa hauſimus? *petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis*; & ſiquidẽ plerumque diſtactiones noſtræ in cauſa ſunt, cur nil impetramus;

PUNCTUM II. Videamus, qualia cõtra illas remedia adhibere valeamus; & in hunc finem notare oportet, dari diſtractiones

ones aliquas, quæ nobis eveniunt ob nimium affectum, & adhæsionem erga creaturas, & continuam dissipationem, in qua vivimus; quia verò distractiones hujusmodi plerumque volutariæ sunt, hinc mirari haud debemus, quod fructum & meritum orationis perdamus, hinc comparat eas S. Franciscus Salesius muscis illis, quæ moriuntûr in unguento, & ideo bonum odorē illius corūpunt. Id, quod facere hìc possumus, ut originem hanc obtundamus, est ut à mundo nos abstrahamꝰ, passiones nostras reprimamus, sensus mortificemus, & vitā ordinatiorem instituamus, sine quibus nunquam spiritū orationis acquiremus. *Bonas facite vias vestras & studia vestra, & habitabo vobiscum*, ait Deus, per prohetam suum Jeremiam cap. 7. Dantur cogitationes distractæ, tanquam reliquiæ vitæ præteritæ, etsi absolutè illi jam renuntiaverimus. Objecta quæ olim in mundo vidimus, & voluptates, quibus profundam radicē, impressionem, & vestigia in phantasia nostra reliquerunt, adeoque redeunt, etiam nobis invitis. Remedium contra ejusmodi distractiones est, ut nos profundè humiliemus, affectus, & sensus confusionis & cōpunctionis concipiamus, deumque oremus, ut nō tradat, nec relinquat nos ejusmodi illusionibus, & distrahentibus nos phantasiis, di-

camúſque cum propheta regio, & pœnitẽte: *ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum; citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis*, Pſ. 78. 8. Denique dantur diſtractiones aliæ, quæ originem ſuam à fragilitate noſtra humana habent, à quibus etiam eximii ſancti exempti non erant. Igitur quemadmodum illi, ità & nos ingemiſcere debemus, & propterea minimè affici tœdio erga hoc ſanctũ exercitium orationis. Si etiam in ariditatẽ & deſolationem cadamus prorſus extraordinariam, dicamus cum propheta: Pſ, 62. 3. *in terra deſerta, & invia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi.* Videamus, ut minùs frequentes ſint, ut Deum ſemper ante oculos noſtros habeamus, & aſſueſcamus cor noſtrum per ſanctum quemdã habitum ad Deum convertere; *ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, itâ oculi nòſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Pſ. 122. Imaginemur nobis, dum ad orationem accedimus, nos ad officium angelorũ peragendũ accedere; *angelorum opus, laudare Deum,* ait S. Baſilius & S. Chryſoſtomus hom. in Pſ. 28. l. 2. de orat. Dom. ait. *dum oramus exiſtimemus nos, in angelorum medio conſiſtere, idèmque ſacrificium cum illis peragere.* Vide, quales ſint diſtractiones, quæ tibi accidunt, ut etiam media iis applicare valeas, quæ primum

mum exposuimus; & pro præparatione ad Missam considera, quali cum applicatione Christus Jesus adoraverit æternum suū Patrem in sanctissima eucharistia. Roga illū pro gratia, ut deinceps non sis amplius adeò distractus, sed ut imitari valeas illius divinam recollectionē; cùmque tali silentio iteriori orare, quale à nobis evangelium Matth. 6. 6. exigit; *tu autē, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.*

FERIA SECUNDA.

Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Petr. 4, 8.

De conversatione.

1. Quam charitatem ibi exercere debeamus.
2. Defectus in illa committi soliti.

PUNCTUM I. S. Petrus apostolus dat nobis hìc medium quoddam omninò universale, & efficacissimum, ad benè vivendum cum fratribus nostris, nimirum, ut ante omnia, mutuam inter nosmetipsos charitatē habeamus quia hæc innumeram multitudinem peccatorū occultat, & tegit. Monitum hoc extremi prorsus momenti est; observare illud debemus omni tempore. & in omni loco, maximè autem si obligati simus, conversari cum proximo. Tunc enim hac instru-

ctione & doctrinâ valdè indigemus. 1. Necessaria nobis est charitas, quæ sit humilis, ità ut nos indignos æstimemus conversari cum hominibus, eò quod per peccata nostra aliud non promeriti simus, quàm cum dæmonibus conversari; libenter alios audire, eorùmque opinioni, & sententiæ nos accomodare debemus, in quantum id conscientia nostra nobis permittit: neque loquendo cum ipsis, nisi cum civilitate, seu humanitate quadam, quam etiam apostolus Rom. 12. 10. à nobis exigit; *charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicẽ prœvenientes.* 2. Debet charitas ista esse etiam dulcis, mansueta, serena, affabilis, sẽper prompta & parata, ad exhibendũ proximo gratum obsequium, loquendo cum ipso cordialiter; consolando illum in tristitia, animando in tædio, confortando in infirmitatibꝰ, & ei assistendo in tentationibꝰ; *quis sapiens & disciplinatus inter vos?* ait S. Jacobus cap. 3. 13. *ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* 3. debet esse patiens, sive deinde perferendo imperfectiones proximi, & rusticitatem, vel inamœnum modum agendi, sive loquendo cum illo, etsi ingratus nobis sit; sive interpretando in bonam partem, quidquid dicit; & acceptando bona illius monita, vel consilia, si quæ nobis dat, quin

quin propterea nos ipsos turbemus, & pacem internam amittamus, quam in filiis suis Deus requirit: *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luc. 21. 19. Itane conversatus es hucusque cum proximo? verùm, ut magìs adhuc animeris ad exercitium virtutum, quibus in conversatione opus habes;

PUNCTUM II. Nota defectus illos, qui in similibus occasionibus comitti possunt. 1mo. evitare debemus, ne tempus frustra perdamus, sic enim conversatio nostra ingrata evaderet, distractiones causaret, & impediret nos ab aliis functionibus statûs nostri, ab oratione, à studio &c. nam qui ex nobis est, ait S. Bernard. serm. 17. de divers. cui non ex propria experiẽtia constet, quòd *post longas confabulationes mens quodammodò vacua, meditatio minùs devota, sicca magìs affectio, & holocaustum orationis non adeò pingue sit, propter verba, sive quæ diximus, sive etiam quæ audivimꝰ.* 2. oportet abstinere à nimia loquacitate, grãdis defectꝰ est in cõversatione, si quis solꝰ sẽper loqui velit, quin alios audiat, imò etiã interrũpat, quãdo loquuntur. *In multis sermonibus invenietur stultitia,* ait Sapiens Ecclesiastis 5. 2. Verùm adhuc major defectus, & error est, si quis nimis fervidè, obstinatè, & quasi extra se raptus, garriat,

quia exinde oriuntur innumera alia peccata, quæ charitatem lædunt christianam. *Levis quidem res est sermo*, ait S. Bern. ibid. *quia leviter volat, sed graviter vulnerat, leviter transit, sed graviter urit, facilè volat, atque ideò facilè violat charitatem.* 3. peccata omnia omnimodè excludi debent à conversatione, & quidquid occasionem ad illa præbere, & qualemcunque ideam illorū in mentem nostram revocare posset, *in omni conversatione sancti sitis*, ait S. Petrus, 1, ep. 1. 15. abesse debent omnes detractiones; omnia verba inhonesta, duplicia, mendacia, joci insaceti, uno verbo quidquid Deum, vel proximum offendere posset. *Dignè evangelio Christi conversamini.* Philip. 1. 27. Ecce regulam! observastine illam? Pro præparatione ad Missam, statue tibi ob oculos JEsum Chr. cum hominibꝰ cōversātem; &per suū exemplū, te docentē virtutes illas, quas exercere, & defectꝰ quos evitare debemꝰ in conversatione; *in terris visꝰ est, & cum hominibꝰ conversatꝰ est.* Baruch. 3. 38. O quàm sanctæ erāt illius cōversationes; quàm longè aberant ab omni contētione, & omnibus iis defectibus, quos in nostris videre est; *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius:* Sap. 8. 16. non clamabit, neque contendet. Subsiste paulisper in consideratione hujus divi-

divini exemplaris, & ftude illud imitari, atque practicè obfervare hanc pulcherrimam doctrinam S. Ignatii Martyris; epift. ad Trull. *obturate aures veftras; fi quis vobis abfque Chrifto loquitur.*

* *

FERIA TERTIA.

Si quis loquitur quafi fermones DEI. 1. Petri 4. 11.

CUM QUIBUS CONVESARI DEBEAMUS?

1. Converfari debemus cum bonis præfertim noftræ profeffionis & ftatus.
2. Quomodo cum iis converfari debeamus?

PUNCTUM I. UT id exfequamur, quod S. Petrus hic nobis infinuat, *fi qus loquitur &c.* ita loquitur, ut oftendat Deum per os fuum loqui, eligere debemus tales perfonas pro converfatione noftra, quæ libenter de divinis loquuntur. Sanctis fociari debemus, fi de rebus fanctis loqui velimus; fi amicitiam cum peccatoribus contrahimus, brevi ità loquemur, & agemus, ùt ipfi; *qui cum fapientibus graditur, fapiens erit; amicus ftultorum fimilis efficietur,* ait Sapiens Prov. 13. 20. fi ergo piè & devotè converfari volumus, prout caput apoftolorum hoc nobis commendat, perfonas fapientes quæramus; clericos tales, qui veritates religionis noftræ, obligationes, & fanctitatem ftatûs noftri callent, *ne defpicias narrationem prefbyte-*

sbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare, Eccles. 8. 6. Talium enim hominum conversatio nil ingratum, nil tædiosum pro nobis habere potest, modo ipsi & Deum, & professionem nostram amemus. Nam, de quo loquimur cum bonis, seu devotis clericis? de rebus professionis nostræ, id est, de omni eo, quod Dei gloriã & bonum ecclesiæ, cui nos consecravimꝰ, concernit; sed, de quo loquemur, si continuo cum sæcularibus conversamur, nisi de rebus mundanis? *qui de terra est, de terra loquitur,* ait Christus in evangelio Joan. 3. Nil adeò exponit clericos despectui, & contẽptui, quàm si videantur continuò cum sæcularibus conversari, præsertim cum personis alterius sexûs, si publicò in plateis, in conventiculis sæcularium compareant, & nimis familiariter cum sæcularibus tractent; *non aliunde clericalis ordinis dignitas fuit offensa,* ait concilium Aquil. ann. 1596. *quàm à nimia laicorum familiaritate.* Examina te ipsum, qualiter hucusque conversatus fueris? quæsiìstine conversationẽ piorum, fervidorum, & talium, qui de Deo, & rebus, ad salutem pertinentibus, libenter loquuntur? gaudiùmne tuum erat, tales cõveniendi, qui tuæ professionis erant, & spiritum, seu fervorem quemdam possidebant? denique evitastìne tales, qui non nisi sæcu-

lari-

laribus principiis imbuti, & proinde nonisi capaces erant, similes tibi affectus, & propensiones inspirandi? timendum sanè, ne sæpiùs quo ad hoc deliqueris, vide, ut meliori imposterum electione utaris, memor illius, quod quidam sanctorum dixit: *qui conversationibus gaudet humanis, sæculum nondum odisse se ostendit.* S. Ephrem. Et

PUNCTUM II. Adverte, non sufficere, ut quis cum bonis conversetur; sed ipsa conversatio sancta sit, oportet, si de rebus indifferentibus loquimur, prout quandoque fieri potest, ùt à laboribus nostris respiremus, fieri hoc debet modo quodam grato, & audientibus accepto, & semper ex bono motivo, seu fine. *Lingua eucharis in bono homine abundabit.* Eccles. 6. 5. Permissa etiã est aliqua recreatio in conversatione, sed fieri hæc debet modo clericis conveniente adeò, ut semper memores sint illius valdè notandæ sententiæ S. Bernardi ad Eugenium Papam: lib. 2. de consid. c. 13. *Inter sæculares, nugæ nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ, interdum tamen, si incidant, ferẽdæ fortassis, referendæ nunquam &c. consecrasti os tuum evangelio; talibus jam aperire, illicitum; assuescere sacrilegum est, verbum scurrile, quod faceti, urbanive nomine colorant, non sufficit, peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum; fœdè ad cachinnos moveris; fœdi-*

us moves. Si loquamur de rebus ſtatûs noſtri, quod ordinariè à nobis fieri deberet, oportet nihilominus tales diſcurſus ſale diſcretionis condire, ut ſciamus quid nos ipſi loqui, & quid aliis reſpondere debeamus, ſecundùm cujuslibet caracterem ſeu conditionem & ſtatum. Sunt enim aliqui, cum quibus ſeriò, alii cum quibus jovialiter ſeu jucundè loqui debemus; alii adeò delicati ſunt in certis materiis, ut etiam excedant; alii ſcrupuloſi, alii qui offenduntur, ſi quid, etiamſi veriſſimile & ſolidum judicando, proferatur. In ejuſmodi occaſionibus prudentiam conſulere oportet, ut quis ſe accommodare valeat variis geniis. *Omnis ſermo veſter ſemper in gratia ſit ſale conditus, ut ſciatis, quomodo vos oporteat unicuique reſpondere*, ait S. Paulus Coloſſ 4. 6. quod Chriſtus Dominus anteà jam dixerat. *Habete in vobis ſal.* Marc. 9. 49. Examina teipſum modò, qualis fuerit tua prudentia & diſcretio in converſando? qualiter locutus es? de quibus erat ſermo tuus? non formaſti diſcurſus periculoſos? adducendo doctrinas corruptas? docendo quaſi principia minùs laxa? vel nimis ſevera? aut imprudēter reſiſtendo, & contradicendo iis, qui conformiter evangelio ſentiebant? an non immiſcuiſti tales narrationes vel jocos, qui proximo tuo præjudicabant? an non totam cōverſa-

versationem eò studiosè traxisti, & inclinasti, ut occasionem haberes, de talibus loquendi, quæ te minimè decebant, vel contra tales, quibus offensus vel minus affectus eras? quot clerici meritò confundi, & erubescere deberēt, si JEsus Chr. ab iis idē peteret scire, quod discipulis in Emaus euntibus proposuit? *qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem?* Luc. 34. 17. plurimi sunt, qui se rebus inutilibus, & quasi nihili occupāt? *vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*. Ps. 11. 3. Pro præparatione ad Missam pete à Deo veniam eorum defectuum ,quos hucusque commisisti in cōversationibus tuis; & roga eum, ut imposterum, sanctius conversari valeas, ut conversatio tua aliis pro exemplo servire valeat. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide & castitate.* 1. Tim. 4. 12.

FERIA QUARTA.

Siquis ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per JEsum Christum. 1. Petri. 4. 11.

DE FUNCTIONIBUS SS. ORDINUM.

1. Debent clerici illas exercere.
2: Qua ratione id fieri debeat?

PUNCTUM I. MErentur verba ista S. Petri, ut omnes clerici benè se supra illa reflectant, quia specialiter ad illos directa sunt, prout notant

tant SS. interpretes, æcumen. Eſtius. &c. ibi. Vult ergo princeps apoſtolorum, ut ille, qui ad ſacrum miniſterium vocatus eſt, illo fungatur generosè & fideliter, taliterque omnia peraget, ut ex modo ipſius agendi, deſumi poſſit, eum omnia, ex virtute Dei agere, id eſt, ut Deus per omnia glorificetur, juſtum & æquum hoc omninò eſt; & væ illi, qui non ità agit! neutiquam igitur conſiderare debemus miniſterium ſacrum tanquam præcisè aliquid honorificum, ad quod nullo labore opus ſit, niſi ſponte quis laborare velit; quia ab illo momento, quo quis ſe ad id obligavit, adeò amplius liber non eſt, ut eccleſia cuilibet clerico proprium ſuum laborem, ſeu functi onem aſſignaverit. Quilibet ordo proprias fūctiones habet; nullꝰ ab iſtis ſe eximere poteſt, niſi expreſsè contravenire velit divinæ ordinationi, quam S. Petrus hìc nobis indicat, *ſiquis miniſtrat, tanquam è virtute, quam adminiſtrat Deus*. Damnant verba iſta omnes clericos, qui præcisè gaudere volunt honore ordinis ſui, quin functiones illis proprias exerceant, ſacerdotes illos, qui laborare nolunt, in inſtructione populi vel adminiſtratione ſacramentorum; diaconos, & alios inferiores miniſtros, qui ùt clerici vivere negligunt, & functiones ordinibus ſuis convenientes omittunt, deni-

que

que omnes illos clericos otiosos, & inertes, vel qui omissis spiritualibus præcisè se applicant curæ, & adminitstrationi rerum temporalium, siquidem tales ejusmodi negotiis se occupant, quæ longè distant à ministerio, ad quòd à Deo & ecclesia destinati sunt. Vide ergo, ut firmiter de hoc persuasus sis: *vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Coloss. 4. 17. Quam enim rationem habes tecum in hoc dispensandi? ésne melior, quam S. Stephanus, Laurentius, Vincentius, adeò celebres in ecclesia? Greg. Nazianz, orat. 3. adv. Julianum. èsne melior, quàm imperatorum filii, qui si semel clericatum amplexi sunt, nec minimam functionem ecclesiasticam omiserunt? audèsne denique te ipsi JEsu Christo comparare, qui ipsemet non dedignatus fuit agere lectorem in templo, prout S. Ambrosius in Luc. 4. id adnotavit? *ità ad omnia se curvavit obsequia, ut ne lectoris quidem aspernaretur officium.* Si ergo agnoscis, quæ tua sit quoad hoc pũctũ obligatio.

PUNCTUM II. Considera quomodo exercere debeas functiones tuas sacras? primum est, ut id dignè obeas, formare tibi sublimem ideam, & æstimationem de illis, si vel de hoc solo ageretur, ut sacerdoti ad altare ministrares, ut crucem portares, vel candelabra, vel thuribulum; ut

mun-

munda ſervares ornamenta, altaria, vaſa ſacra, pavimentum eccleſiæ, vel im̃odeſtias, aut ſcandala, quæ ibi fieri poſſent, impedires. Certò tibi perſuade, hæc omnia magna quid eſſe coram Deo; quæ æſtimare, & exequi cum voluptate debeas pro honore illius, cujus te obſequiis & ſervitio conſecraſti; *ſanctificabor in iis, qui appropinquant mihi.* Levit. 10. 3. 2do. non ſufficit præcisè æſtimare totum id, quod ad ſervitium divinum ſpectat, & quòd cum guſtu exerceas ſimiles functiones ſacras ordinis tui; oportet inſuper ea peragere tali modo, quo Deus eſt dignus; ſtudere rubricis, & cæremoniis, quas eccleſia præſcribit; obſervare eas accuratè, gerere te valdè devotè & modeſtè, ut ſic eſſe poſſis populo in bonum exemplum & non inducas ſuper te maledictionem illam, quam S. ſcriptura intentat iis, qui negligentes ſunt in exequẽdo opere divino; *maledictus, qui facit opus Domini negligenter.* Jerem. 48. 10. 3tio. oportet eſſe in ſtatu gratiæ, ſi officiò tuo fũgaris; *ſic miniſtrent, nullum crimen habentes*, ait S. Paulus 1. Timoth. 3. 10. Diaconos alloquens. Hinc debent clerici frequenter accedere ad SS. Sacramenta, & vitam ſanctam ducere; quia præcipuè per exercitiũ virtutum miniſterium ſuum coram hominibus venerabile reddere poſſunt. *In omnibꝰ.*

ait

ait S. Bernardus. de mor. & offic. ep. ad Hup. seu episc. c. 1. & 2. ad quemdã magnum Archiepiscopum, *exemplo apostoli, honorabitis ministerium vestrum*. Spectabile inquam, illud reddens, non per splendorẽ, & pulchritudinem vestium, non per numerum equorum, aut magnificentiam palatii, sed per morum bonorum observantiã, per devotionem occupationum tuarum, & exercitium seu praxim bonorum operum. *Honorabitis autem, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.* Itane te ipsum applicasti ad exercendas hôc modô functiones tuas? humilia te coram Deo, ob præteritam tuam infidelitatem, & propone emendationem; memor, quòd non nisi per bonum usum ministerii sui, inferiores ministri digni reddantur, ut ad altiorẽ gradum promoveantur, & ascendant; *qui enim benè ministraverint, gradum bonum acquirent.* 1. Tim. 3. 13. Sanctissimũ Missæ sacrificium suprema & maxima est ex functionibus nostris; quod pro præparatione hodierna facere possis, id est ut resuscites in te gratiam hujus SS. Ordinis, ut functiones tuas sacras majori cum fervore deinceps exsequi valeas. Si fides nostra tam sincera foret, quàm S. Timothei, & amor noster tam ardens, ac illius, non necesse

esset,

esset, ut alii nos monerent, vel ipsi nos ipsos exhortaremur ad accendendum hunc ignem fervoris, & gratiæ illius, quam consecuti sumus, per impositionem manuū. Ignis ligno indiget, pro pabulo; & similiter gratia, fevore nostro, ut conservetur, & in corde nostro ardeat. Excitemus igitur hunc fervorem in nobis & memores simus illius, quod apostolus 2. Timoch. 1. 6. ad discipulum suum scripsit: *propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionē manuum mearum.*

* *

FERIA QUINTA.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Joan. 15. 26.

DE PRÆPARATIONE AD FESTUM PENTECOSTES.

1. Disponere debemus nos ad recipiendū Spiritū S.
2. Qualiter apostoli se disposuerint.
3. Qualis nostra debeat esse præparatio?

PUNCTUN I. PRomittit in præsenti evangelio Christus Dominus discipulis suis Spiritum sanctum; vocat illum *Spiritum veritatis*; ut occasionem nobis tribuat, distinguendi inter spiritum hujus mundi, qui est spiritus mendacii, & fallaciæ, ait insuper, hunc divinum Spiritum testificaturum de ipso, hoc est fa-

ᴄturum ut veritates evangelii cum gustu & gaudio recepturi simus; quia ùt alibi dicit, Spiritum Dei habere oportet, si quis verba Dei audire, & intelligere cupit; *qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joan. 8. 47. En! quam necessarium sit, ut nos ipsos disponamus, & præparemus ad accipiendum Spiritum S. in hac sacra solennitate Pentecostes, si autem adhuc magis in particulari scire velis rationes, te ità disponendi: 1mo nota, Festum Pentecostes esse diem anniversarium nativitatis christianæ ecclesiæ, in quo Deus majori abundantiâ gratias suas in nos effundit. 2do quód tam felix sis, ut non solúm membrū aliquod, sed & minister sis ecclesiæ, cui Deus promisit, quòd velit Spiritum suum super eam effundere, *& erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Joël. 2. 28, & Act. 2. 17. 3tio. quod Spiritus iste sanctus, qui idem cum Patre & Filio Deus est, velit ipse esse lux nostra, dux noster, & consolator noster in hac vita, cōsequenter omninò meretur, ut nos ipsos, ad eum recipiendum disponamus, *non enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Ut autem melius adhuc instruaris;

PUNCTUM II. Considera, qualiter apostoli se disposuerint, & præparaverint ad recipiendum Spiritum S. Factum fuit hoc

1mo. per generalem abrenuntiationem omnium omnino rerum, adeò, ut Salvator ipse eis declaraverit, oportet eos privari hac sensibili etiam consolatione, quam ex ipsius præsentia corporali capiebant, ut capaces redderentur recipere Spiritum S. *expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, Joan. 16. 7. id est, ùt S. Augustinus explicat: si amorem vestrum, quem erga me habetis, spiritualē non effeceritis, si non desistatis à vestro humano, & carnali affectu erga meam corporalem præsentiam, capaces non estis recipiendi Spiritum S. quem ego promisi vobis; *nisi dederitis quod amatis, non habebitis, quod desideratis*, S. Augustin serm. 4. de Pēt. vel juxta expositionem S. Bernardi, serm. 3. de ascens. *nisi abstulero vobis carnem, non habebitis Spiritum.* 2do. per solitudinem, seu secessum spiritualem; *sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto;* ajebat Christus ad eos Luc. 24. 49. Prohibuit illis, exire de Jerusalem. Quemadmodum supremus belli dux militibus suis interdicit, nè prælium ineant, antequam omnibus armis necessariis benè instructi sint. Optima doctrina pro clericis, ut exinde discant, eos priùs Spiritu Dei in aliquo secessu, seu recollectione spirituali replere debere, si cum benedictione divina functiones suas sacras obire,

obire, & exercere velint. *Implere priùs & sic curato effundere.* S. Bern. in cant. serm. 18. 3tio. per orationem, ista autem erat cõtinua & fervens, quam simul admirabili quadam unione persolvebant, quod S. Lucas notavit, dum dixit; *hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* En exemplar tibi propositum! quod ut imiteris;

PUNCTUM III. Considera, quòd ut Spiritum S, accipias, easdem cum apostolis afferre debeas dispositiones. 1mo. abstrahere teipsum à rebus sensibilibus. Apostoli acceperunt Spiritûs S. magnam plenitudinem, quia magnam afferebant vacuitatem, ait S. August. hoc est, ipsorum corda plenè abstracta erant à mundo, & creaturis; eandem tu quoque accipies, si cor tuum pariter evacues ab omni vano, inutili, & peccaminoso affectu. *Præoccupatum nēpe sæcularibus desideriis animum,* ait S. Bern. serm. 3. de ascens. *delectatio sancta declinat; nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia corporalibus, imis summa, ut pariter sapias, quæ sursum sunt, & non, quæ super terram.* 2do. amare secessum, & recollectionem, ac orationem; hæc autē humilis sit, oportet, quæ extremam indigentiam suam agnoscat; *super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem corde?* item fervens, quæ Spiritum S. ad vos trahat; *os*

meum, aperui; & attraxi Spiritum. Pſ. 118. Denique perſeverans, ut illa apoſtolorum; *ſi moram fecerit, exſpecta eum, quia veniet, & non tardabit,* ait S. Bernardus, *apoſtoli decem dies in hac exſpectatione ſederunt perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre JEſu. & ſic orare diſce; diſce quærere, petere, pulſare, donec invenias, donec accipias, donec aperiatur.* ibid. 3tio. oportet pacem & unionem conſervare cum proximo; *fraternitatis amantes,* 1. Petr. 3. 8. charitas iſta in terra illam charitatem de cœlo attrahit; ſi malè nobis conveniat, cum fratribus noſtris, Spiritus Dei certè in nos non adveniet. *Non enim eſt diſſenſionis Dominus, ſed pacis.* 1. Cor. 14. 33. Pro Miſſa, roga Chriſtum JEſum pro hac gratia, ut has primùm enarratas diſpoſitiones concedat. Nil melius facere potes ad dignè ſumendū ſanctiſſimum corpus ejus, quàm ſi deſiderium tuum, quod habes, accipiendi Spiritū S. ei manifeſtes: *penſate, fratres chariſſimi, quanta ſit iſta dignitas, habere in cordis hoſpitio adventum Dei. &c. Tergat ergo ſordes pravi operis, qui Deo preparat domum mentis.* Greg. M. Hom. 30. in evang.

FERIA SEXTA.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini; abſque ſynagogis facient vos; ſed venit hora.

ra, ut omnis, qui interficit vos, abitretur, se obsequium præstare Deo. Joan. 16. 1. &. 2.

DE PERSECUTIONIBUS.

1. Clericus, qui obligationi suæ satisfacere vult, tales exspectet.
2. Quales illæ sint, quibus magis expositus est?

PUNCTUM I. ADorem9 JEsũ Christum, prædicantem apostolis persecutiones, & alia mala, quæ ipsis ob prædicationẽ evãgelii perferẽda sint. Memores simg, nos quoque participare debere de hoc monito, quòd ipsis dedit, & quòd à tempore illo, quo ad ministeriũ ecclesiasticum vocati sumus, aliud quoque nos non maneat, quàm ut similes contradictiones, & mala, quæ illud ordinariè cõsequuntur, exspectemus. Qmomodo nos talia evitabimus, si fideliter ministerio nostro fatisfacere velimus, laborando pro gloria nominis Jesu Christi, siquidem ipse JEsus Christus Joan. 15. dixit clarè; *hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Eodem igitur spiritu cum Davide repleti debemus esse, qui in persona Christi Domini, Salvatoris nostri, hoc dixit, quòdque omniũ verorum ministrorum Dei tessera esse debet; *improperium exspectavit cor meum & miseriam?* Ps. 68. 21. qui hoc modo se gerit, & aliud non exspectat, scandalizari haud debet, si hoc ei cõtingat, quod prævidit; hæc enim verba Christi Domini: *hæc locutus sum*

vobis, ut non ſcandalizemini &c. ſibi etiam dicta reputat; ejuſmodi adverſi & ſiniſtri eventus, qui ei accidunt tanquam glorioſus character miniſterii ſui ſunt, qui eũ conformem reddunt antiquis paſtoribus, imò ipſi capiti omnium paſtorũ, majus etiam jus ipſi tribuunt ſperandi mercedem illam, quã Deus promiſit fidelibus ſervis ſuis. Verum illi, qui aliud non intendunt, nec quærunt, quàm ùt in miniſterio ſuo ſacro ipſis benè ſit, neceſſariò ex inſperato ſubvertuntur, & cadunt, ſi talia ipſis ab hominibus patienda occurrunt; qui ut talia quoquomodo evitare poſſint, quandoque talia media indecentia & inconvenientia adhibent, à quibus temporale nonniſi cōmodũ habent, illudècontra totum amittunt, quod alias à benigniſſimo Deo ſperare potuiſſent. Quid jam cogitas? quid ſentis ad hæc? credìſne hanc eſſe ordinariam partem ſeu hæreditatem clericorum? qualē in animo tuo affectum cauſant hæc verba Salvatoris? *ſi mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem odio habuit; ſi de mundo eſſetis, mundus, quod ſuum eſſet, diligeret; quia verò de mundo non eſtis, ego elegi vos de mundo; ideò odit vos mundus. Mementote ſermonis mei quem dixi vobis; non eſt ſervus major Domino ſuo; ſi mè perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Joan. 15. O Domine fac, ut memor ſim hujus ſermonis tui,
qui

qui me solus confortare potest in persecutionibus meis! Vide, ut profundè hunc sermonē insculpas memoriæ meæ, adhuc autem magìs cordi meo, ut nunquam illius obliviscar.

PUNCTUM II. Vide nunc, quænam sint persecutiones quibus clerici ordinariè, & magís expositi sint. 1mo. sunt aliquæ, quæ ex parte diaboli nobis accidunt, qui specialiter bonis ac piis sacerdotibus, & pastoribus offensus est. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem*, dicebat S. Paulus, Ephes. 6. 12. *sed adversùs principes & potestates; adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Inimicus & adversarius iste salutis nostræ, fervore quodam, & rabie infernali adoritur bonum pastorem. Ratio est, quia integram ferè parochiam lucratur, si hunc superet, & sternat, *percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Matth. 26. 31. Ubi è contrario, si pastor ei animosè resistat, peccatum eliminabitur à cōmunitate, & magna pars illorum, quos curæ suæ cōmissos habet, ad exemplū illius vivit in timore Dei & amore JEsu Christi. 2do. aliæ veniunt ex proprio fundo nostro, hoc est, ex illa pugna, & contradictione, inter carnem & spiritum nostrum, *caro enim concupiscit adversùs spiritum; spiritus autē adversùs car-*

nem, hæc enim sibi invicem adversantur. Galat. 5. 17. Etiam sanctissimi quique ab hac spirituali pugna minimè exempti erant; & quamdiu in hac vita mortali erimus, has contradictiones & pugnas experiemur, ob quas cum apostolo ingemiscere cogimur. *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus?* 3tio. aliæ nobis accidunt ab hominib9, quorum vitia carpere debemus. Quid non passi sunt apostoli, & primi ecclesiæ pastores? vita illorum, non nisi una cõtinua catena erat persecutionum, carcerationum, martyriorum, & mortis; *semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter JEsum.* 2. Cor. 4. Quid non passi sunt his ultimis temporibus, sanctus Carolus Borromæus, eique similes propter reformationem cleri sui, dum diœceses suas in propria persona visitarunt, ut excessus, & abusus, qui in eas irrepserant, tollerent, & abolerent? zelus illorum censuram imprudentiæ, indiscretionis, excessûs tulit, injuriis & calumniis appetebantur, eousque, ut novatores, hæretici, Lutherani, audire debuerint. Si imitari vis zelúm grandium & magnorum virorum istorum, haud aliter tractaberis, quam ipsi, nihilominus non erit persecutio ista quædam aperta & manifesta, persecutores tui non erunt infideles, aut hæretici quidam, sed tantùm aliqui ma-

li

li christiani, & fortè vel ipsi tui confratres, quos invidia, zelotypia, & aliæ similes passiones contra te armabunt; *venit hora, ut omnis, qui interficit vos*, ait JEsus Christus, in genere loquendo, *arbitretur se obsequium præstare Deo*. Ecce! quales persecutiones exspectare habeas, quidque tibi faciendū hodie sit pro præparatione ad Missam, vel S. comunionem, nimirum, rogare JEsum Christum, ut cor tuum disponat ad omnia talia amore ipsius libenter perferenda; *paratum cor meum Deus; paratum cor meum, paratum ad adversa, paratum ad prospera*. Ps. 107. August. ibid. O bone Deus! ah fiat hoc! sed, ut verum dicamus, dignos nos ipsos reddere debemus per infatigabilē applicationem, ad functiones ministerii nostri, ut partem aliquam habere possimus, ignominiæ crucis Christi, ut tandē aliquādo etiam gloriæ illius ineffabilis participes effici mereamur, quæ eos exspectat, qui Christum fideliter in hac vita fuerint secuti. *Magni athletæ est, vapulare, & vincere; maxime autem pro Deo omnia nos oportet sustinere, ut ipse nos sustineat in regno suo*. Ign. epist. ad Polycarp.

DIE SABBATHI.

Vigilia Pentecostes.

Si diligitis me, mandata mea servate. Joan. 14. 15.

De amore JESU christi.

1. Obligatio illum amandi. 2. Signa hujus amoris.

PUNCTUM I. QUando Christus JEsus in hodierno evangelio dicit: *si diligitis me, mandata mea servate*; jam supponit obligationem nostrā, quam habemus, eum amandi. Omne quod nostri causâ fecit, & passꝰ est, satìs id nobis declarat. Ostendit nobis clarè amorem suū in eo, siquidem etiā mortuus pro nobis fuit, licet peccatores fuerimus, impii, & inimici Dei: si ergo adeò insensibiles fuimus, ut priores in amore esse noluerimus, ait S. Augustinus L. de catech. rud c. 4. reddamus saltem amorem pro amore; *si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat*. Aliud facere non est necesse, quàm considerare crucem, mortem, resurrectionē, & omnia alia, quæ pro salute nostra passus est, & fecit; quia hæc meditatio, si fiat ùt oportet, haud dubiè tantus illius in nos amor urgebit nos, ut reciprocum exhibeamus. *Charitas Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* 2. Cor. 7. 14. & 15. En! doctrinam S. Pauli, quam scire, & prædicare debemus. Adeò persuasus de hoc erat apostolus iste, quòd

nulla

nulla ſperanda iis ſit ſalus, qui non amant JEſum Chriſtum, ut putarit, excom̃unicãdos eos omnes, qui ità malè diſpoſiti, & comparati eſſent, quam excom̃unicationẽ etiam propriâ ſuâ manu exaravit, ut videre eſt in 1ma epiſtola ad Corinthios: *ſi quis non amat Dom. noſtrum JEſum Chriſtum, ſit anathema. Maran Atha,* 1. Cor. 16. 22. hoc eſt, prout S. Hieronymus de Nomin. Hebr. explicat: *Dominus veniat, & ſit judex illius.* Igitur nullus ſibi ipſi aduletur, quaſi conſequi poſſet remiſſionem peccatorum ſuorũ ſine amore JEſu Chriſti; excom̃unicatus eſt talis; anathema eſt, judicatus eſt, at S. Paulus. *Talis manet in morte,* adjungit S. Joannes 1. ep. 3. 13. Quomodo ergo poſſibile ſit, ut talis, ſi ſe non emendet, vitam gratiæ recuperare valeat? hoc ſanè fieri non poteſt, ait enim S. Auguſt. in epiſt. Joan. *ſola delicta extinguit charitas.* O bone Deus! ſi hoc itâ eſt; ah! infunde cordi meo amorem tui! Pater æterne! qui unicè amas JEſ. Chriſtũ Filium tuum, fac, obſecro ut partem aliquã habeamus de hoc tuo erga illum infinito amore! hanc gratiam ipſemet à te petiit dũ in procinctu ſtetit, ut pro nobis mereretur; *ut dilectio tua, quâ dilexiſti me, in ipſis ſit.* Joan. 17. 26. Dona nobis, ô Domine, effectũ hujus ſacræ orationis! quia verò pauci inveniuntur chriſtiani, multò minùs clerici,

qui

qui non putent se amare Jesum Christum;

PUNCTUM II. Examinemus nunc signa illa, ex quibus cognoscere possimus, utrum illum amemus. *Quis enim nostrum,* ait Cardinalis Damiani, serm. 8. de invent. S. cruc. Tom. 2. *si de Christi dilectione consulitur, non protinus constanter, imò promptissimè se Christum diligere fateatur?* interim infiniti reperiuntur, qui seipsos decipiunt; scire enim debemus, eum minimè amare Christum, qui crucem Christi non portat, quãvis contrarium afferat; *verùm ille non amat Christum,* subjungit S. Cardinalis, *qui non amat crucem Christi.* Omnes, qui non observant mandata ejus, illũ non amant, siquidem ipse dicit: *si diligitis me, mandata mea servate.* De hoc, & super hoc igitur quilibet seipsũ examinare debet, maximè nostrûm interest, ut hoc fiat, siquidem de æterna salute hìc agitur; quia neque possibile, neque justum est, ut christianus, qui non amat JEsum Christum, cœlum intret, unde ipse ex amore nostri in terras descendit, ut nos doceret, se nos amare, & promereri per hoc, ut per hunc amorem ad ipsum ascendamus. Possibile, & justum est proinde, ut, qui illum verè non amat, ad infernũ descendat, ut ibi æternùm cum dæmonibus ardeat. Quilibet christianus seriò se supra punctum tanti momenti examinare debet,

bet; clerici autem longè majorem & specialiorem reflexionem supra hoc facere debent. Ipsorum, tanquam ministrorum evãgelii est, ut fideles ab amore mundi abstrahant, & amorem JEsu Christi ipsis instillẽt; ad hoc respicere & tendere debet omnis illorum instructio, & omnes illorum sacrae functiones. Vide ergo, minister Domini! utrum ità ames, quemadmodum obligatus es, illũ amare. Amat clericꝰ Jesũ Christũ, si crucem illius amat, hoc est, si gaudeat, cum, & pro ipso pati; amat JEsum Christũ, si sermonem illius custodit, qui alius non est, quàm evangelium, et si conformiter huic doctrinae vivat; amat JEsum Christum, si se applicat ad illius sequelam & imitationem; amat JEsum, si passiones suas, & inordinata desideria mortificat; amat illum, si mundum non diligit, & ea, quae sunt in mundo; denique amat JEsum Christum, si zelum habeat pro gloria illius, & salute animarum. En signa! ex quibus desumere valeas, utrum valdè diligas! ah, quàm timendum! ne non valdè parùm de hoc amore in te sit; & ne sis è numero illorum, de quibus propheta Ps. 77. 36. dicit: *Dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei.* Si tamen aliquid amoris adhuc erga illum habes, accede ad altare, ut illum magìs accendas; sitque tota praepara-

tu

tua hodierna ad Miſſam iſta, ut roges hunc divinum Salvatorem, ne unquam permittat hunc amoris ſui ignem in corde tuo extingui, *Chriſto perſeverantiſſima dilectione cohærere.* Auguſtin ſerm. 2. de Epih. Hoc erit etiam medium, ut lucrari animas, ac corda fidelium ad eum attrahere valeas. O JEſu! qui tanta feciſti pro hominibus, ut nos ad te amandum permoveres, & tamen tam parùm ab iis amaris, da verba amoris & charitatis tuæ in os noſtrum, ut eos docere poſſimus, quomodo te amare debebeant, prout tanquam miniſtri tui ad hoc præſtandum obligati ſumus, vel potiùs ipſemet charitatem tuam in corda noſtra infundere dignare, donando nobis Spiritũ ſanctum tuum, ut verba noſtra effectu ſuò non careant; ut te amando ex toto corde, ex tota anima, totâ mente, ex omnibꝰ viribus noſtris, digni ſimus, etiam alios docere, ut te ament, quia tunc ità comparati erimus, ut apoſtoli tui, quos nil in totò mundo ab amore tui ſeparare poterat. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? certus ſum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu, Domino noſtro,* Rom. 8. v. 38. & 39.

PRO

PRO FESTO PENTECOSTES.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Act. 2. 4.

EXPLICATIO HUJUS MYSTERII.

1. Descensus Spiritûs sancti supra apostolos.
2. Signa adventûs illius in nos.

PUNCTUM I. INgredere in spiritu hāc sacram domum, ubi sanctissima Virgo, apostoli, & cæteri discipuli Christi JEsu, clausi morabantur ab ascensione Domini, ut præpararēt se ad accipiendum Spiritum S. per sacram solitudinem, recollectionem, & orationē, & quāquam indignus sis, ut te tam sanctæ societati conjungas, noli tamen intermittere, ut debilem orationem tuam eorum fervori in orando conjungas, ad agendas Christo Domino gratias, pro beneficio, quod hodie ecclesiæ suæ concedit. In die ascensionis suæ hominem cælo intulit, ait S. Augustinus, & hodie Deum mittit in terram, ut testimonium sibi redderet, eáque omnia cum usura restitueret, quæ sibi ablata videbantur, adeo quidem ut divinus iste Spiritus, qui se hucusque nonnisi per gratias suas hominibus cōmunicavit, hodierna die inceperit in apostolis, & consequenter in aliis fidelibus, novam residentiam seu mansionem facere. *Hominem portavit in cælum, & Deum misit ad terras; affuit ergo fidelibus, & jam adest, non per gratiam visitationis, & operatio-*

rationis, sed per ipsam præsentiam majestatis; atque in vasa jam non odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti. S. August. serm. 185. de temp. Ecce! quid juxta mẽtem SS. PP. sit excellentissimum & gloriosissimum in nova lege præ veteri, quod proin deetiam excitare nos debeat, ad debitã gratiarum actionem! ut autem adhuc penitiùs in hoc altissimum mysterium ingrediamur, consideremus, quomodo Spiritus S. supra apostolos descenderit. Ipsa die Pentecostes, hoc est, quinquagesimo post Pascha, circa horam nonam matutinam, factus est repentè de cælo sonus tanquã spiritûs, seu venti vehementis, qui de cœlo venit, & totam domum replevit, ubi beati hi discipuli JEsu Christi simul erant congregati; apparuêre simul dispertitæ linguæ supra capita singulorum; ex eo statim repleti sunt omnes Spiritu sancto. Examina benè omnes istas circumstantias, quæ operationes & effectus Spiritûs S. in anima nostra indicant. 1mo. venit *repentè, Factus est repentè de cælo sonus.* Per quod monemur, ut semper parati simus, ac prompti, ad obediendum illi, si per gratiam suam nos visitare dignetur. *Nescit tarda molimina sancti Spiritûs gratia.* Ambrosius l. 2. in Luc. c. 2. 2do. venit. in forma *spiritûs*, seu venti vehementis, nescimus originem venti, & quomo-

quomodo formetur, seu exurgat: hinc dicit propheta, quod eum Deus de thesauro suo extrahat; *qui producit ventum de thesauris suis*. Ps. 134. 7. Idem est de Spiritu S., nescitur, quomodo in animam adveniat, *spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audi, sed nescis, unde vniat, aut quò vadat; sic est omnis, qui natus est ex Spiritu*, ait JEsus Christus Joan. 3. 8. Ventus aërem purificat, & locum, per quem transit, purgat, sic Spiritus S. animas quoque purificat, & pulverem terrenum hujus mundi ab eis aufert, à quo splendor & nitor earum offuscatur. Ventus refrigerat, & evertit, quod in via obvium habet; temperat etiam Spiritus S. ardorem concupiscentiœ, & ea destruit, quæ sanctificationi nostræ se opponunt. 3tio. descendit Spiritus S. super apostolos sub forma *linguarum ignearum*. Proprietates ignis sunt, ut illuminet, & calefaciat; ipsum est, quod facit Spiritus S. in iis, qui adeò felices sunt, ut illum accipiant, quod clarè demonstravit, in persona apostolorum. Homines erāt rudes, ignorantes & adeò timidi, ut proprium magistrū, ac Dominū suū tēpore passionis deseruerint. Verùm hodie calefacti, & quasi accensi hoc divino igne variis linguis, confessi sunt gloriam sanctissimi nominis ejus; prædicarunt Jesum crucifixum in medio civitatis Jerosolymitanæ, añuntia-

verùntque omnibus nationibus terræ magnitudinē mirabiliū illius tanto zelo & ardore, ut totus mundus in ſtuporem propterea actus fuerit. *Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes &c. audivimus eos loquētes magnalia Dei.* Act. 3. 7. Quis non admiretur, & obſtupeſcat ſuper hâc mutatione inſperata, quæ idololatriam ſtravit, & mūdum effecit chriſtianum! gratias propterea Deo age, &

PUNCTUM II. Conſidera, utrū Spiritum S. acceperis, non dico, tali ac tanta plenitudine, prout apoſtoli, ſed tali effuſione, quæ tibi neceſſaria eſt, ut obligationi tuæ, & functionibus miniſterii tui ſatisfacere, in opere, & vinea Domini laborare, & animas ad ſanctitatē perducere valeas; quia certum, & indubitatum eſt, repletos eſſe debere ſacerdotes Spiritu ſancto; nec ſolùm ſacerdotes, ſed & diaconos & reliquos miniſtros inferiores, prout deſumitur ex verbis illis, quando apoſtoli elegerunt quoſdam ex diſcipulis Domini in diaconos, *conſiderate, fratres, viros ex vobis, boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto.* Act. 6. 3. Vide, an idem tibi teſtimonium dari poſſit, quòd Spiritu S. plenus ſis; effectus illius optima ſunt probatio, & ſigna veriſſima hujus plenitudinis, *nunquam eſt Dei amor otioſus*, ait S. Gregorius hom. 30. in evang. *opera-*

peratur magna, si est, si verò operari renuit, amor non est, Ah! quomodo ibis ad prædicādum talibus gentib9, ùt apostoli, qui tibi non nisi illudant; imò non aliud intendāt, quàm ut te occidant, qui nequidem verbulum aliquod sinistrum sustinere vales? quomodo laborabis, ùt homo verè apostolicus, qui nedū adhuc declarat9 es pro vero christiano? tu, qui tantam difficultatē sentis, in quadam societate dicere vel unicū verbū ædificatorium? resistere alicui blasphemo? pati vel minimū jocum? duodecim viri omni humano subsidio destituti totum ferè mundū ad Christū attraxerunt, præsentes, seu moderni clerici autem, nequidē modicum id, quod adhuc superest, lucrari non possunt. An mirum hoc sit, siquidem tot cōtraria adventui Spiritûs S. adhuc in nobis sunt, ob nimium affectum erga voluptates, & propriam cōmoditatē nostrā! qui nimirū adhuc inhiamus terrenis hisce bonis & honoribus? qui adeò dissipati & distracti vivimus? idipsum est, quod olim Isaias propheta in sacerdotibus sui temporis deploravit, *omne caput languidum, & omne corpus mœrens,* & adjungit, *à plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Is. 1. 5. quasi diceret; non oportet mirari, quòd populus adeò langueat, tam debilis, ac infirmus sit, siquidem principales, seu capita illius, à

quibus spiritum accipere, & haurire deberent & vitam, ipsimet talibus carent. O Domine; ah miserere talium sacerdotũ! ô divine Spiritus, accende corda nostra igne amoris tui; verum est, quod nimium corrupta sint, quàm ut talem flamãam concipere possint, *sed, quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es?* ô sanctissime Spiritus, esto principium cogitationũ, verborũ, actionũ, & omniũ affectionũ cordis mei; fac, ut hæc omnia vocationi meæ respondeant; conforta me contra spiritum hujus mundi, & inclinationẽ, ac propensionẽ nostrã, quam ad malum habemus. Esto mihi in spiritu *orationis*, ut sine intermissione orem; in spiritum *compunctionis*, qui me faciat plorare peccata mea, & suspirare, ac aspirare ad adoptionẽ perfectã, esto mihi in spiritũ *mortificationis*, & sacrificii, ut mortuus sim desideriis hujus mundi, & omnib9 voluptatib9 sensualib9; esto anima animæ meæ, Spiritus spiritûs mei; *quia sine tuo Nomine nihil est in hominẽ, nihil est innoxium.* Pro Missa vel cõmunione junge vocem tuam voci ecclesiæ, & eodem fervore ac ardore pete hoc grande donum S. Spiritûs pro te, & omnibus ministris sacris, quicunque demum curã animarũ in se susceperunt; *veni creator Spiritus, mentes tuorum visita; imple supernâ gratiâ, quæ tu creasti pectora.* FE-

FERIA SECUNDA.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

De mysterio incarnationis.

1. Amor; quem Deus nobis per illud oſtendit,
Quàm inſenſibiles, & parùm grati ſint homines ob tam grande beneficium.

PUNCTUM I. **P**Onit nobis ob oculos hodiernum evāgelium amorem Dei erga homines, dum filium ſuū unicū in hunc mundū miſit, ut eos redimeret. Amor iſte major magìs indebitus & extenſior eſt, quàm nobis ipſis imaginemur. imo, ſum̄us, & maximꝰ eſt. Non eſt princeps, vel rex aliquis, qui hunc erga nos affectum ſuum oſtenderit, ſed ipſe Deus, qui adeò dilexit nos, ut totum id, quod pretioſiſſimum habuit, nobis dederit, proprium filium ſuum; filium ſuum unicū, qui ei æqualis, conſubſtantialis eſt, ac idem cum ipſo Deus; dedit igitur nobis per hoc ineffabile donū ſuum, quidquid nobis dare poterat, *cnm illo omnia nobis donavit.* Rom. 8. 32. Dat nobis gratiam adoptionis, per quam filii ipſius evadimus; & jus ad mercedem æternam, & ad ipſum regnum cœlorum acquirimus. Mi deus! quis comprehendere valeat magnitudinem tui erga nos amoris! quis vel tantùm cogitare de illo poſſit, quin exclamet cum S. Joanne a-

postolo: *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* 1. Joan. 3. 1. 2do. nil magis indebitum, & gratuitum, quàm amor iste Dei erga nos. Non nisi adeò digni eramus filii iræ, & peccati, ùt ait S. Paulus Ephes. 2. 3. *eramus naturâ filii iræ.* Prævenit nos in misericordia sua, & reconciliavit nos sibi per mortẽ JEsu Christi Filii sui. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Rom. 5. 10. 3tio. nil magis extensũ, quã amor iste in incarnatione nobis exhibitus; quia non restringitur ad Judæos, ad sapiẽtes; ad justos; sed ad omẽs omninò homines se extendit. *Christus JEsus venit,* ait apostolus 1. Timoth. 1, 16. *in hunc mundum peccatores salvos facere.* Si primam suam curã, & sollicitudinem impendit ovibus, quæ perierunt de domo Israel, non ideo tunc neglexit extraneos, qui sedebant in umbra mortis. *Mortuus erat,* ait S. Joannes 1. ep. 2. 2. *non solùm pro nostris peccatis, sed & pro totius mundi.* O infinitum sanè amorem pro salute hominũ; occupetur tota meditatio nostra, in profundo quodam silentio, & admiratione hujus excessivi amoris! &

PUNCTUM II. Obstuppesce ob insẽsibilitatẽ hominũ erga donum hoc ineffabile incarnationis Filii Dei, quotidie audimus dici nobis, Filium Dei factum esse homi-

mi-

minem, nos autem tam modicā reflexionē supra hoc facim9, planè omnino indifferentes & neutri sumus ad tam grandē veritatē, quæ tamen nos incessanter occupare deberet. Quid? ait S. Paulus Hebr. 2. 16. *nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Carnem ex progenie Abraham assumpsit, naturā angelorū non assumpsit, sed hominū. Quanta bonitas, quanta miseratio; verùm, ubi est cura & sollicitudo nostra, gratias agendi Deo, pro tali prærogativa præ angelis, quæ planè infinitā à nobis exigeret gratitudinē, si infinitā exhibere possem9? terminus ille, seu verbū, quô apostolus usus fuit, ad hoc nos invitat, ait S. Chrysost. in epist. ad Hebr. 2. quia non ait, *suscepit*, sed *apprehendit*, deductâ similitudine ab eo, qui aliū insequitūr & omnē sollicitudinē adhibet, ut eum apprehēdat, & reducat; *ab ipso enim fugiētē naturam & procul fugiētē longè enim eram9, apprehēdit.* Ostendit igitur nobis per hoc apostolus, quantâ erga nos usus sit Deus misericordia, quanta sollicitudine & curâ. Cogitamùsne de hoc? quicunque non obstupescit, nec vivo gratitudinis affectu erga hoc mysterium tangitur, non nisi nomine christianus est, siquidem ad id insensibilis est, quod in nostra religione summè

stupendum, & amore dignissimum est. Sed non sufficit, ut solumodo de hoc quandoque cogitemus, & etiam ad idem faciendū populum hortemur; oportet etiam fructū capere ex gratiis illis, quas Dei Filius secū ad nos per incarnationē suam asportavit. Facere supra hoc potes praeparationē tuā hodiernam pro Missa. Mysterium, quod celebraturus es, extensio aliqua est incarnationis. S. August. c. 1. in Ps. 33. Accede igitur cum fiducia ad hunc medicū omnipotentē, qui venit, curare ĩ firmitates nostras; sed cave, ut mortē non invenias, si observare nolis ea, quae ipse praescribit; *quantùm in medico est, sanare venit aegrotum; ipse se interimit, qui praecepta medici servare non vult.* ait S. August. in Joan. evang. 3. 6. vult quidem esse Salvator noster; si tamen proficere nolumus ex salute, quam nobis offert, veniet aliquando ùt Judex, & tunc coacti erimus, ut nos ipsos damnemꝰ; *salvari non vis ex ipso? ex te ipso condemnaberis,* Domine JEsu Christe! ah noli permittere, ut tam ingratus sim, & beneficio hoc planè infinito incarnationis tuae abutar; agnosco, ut quidam sanctorū tuorū, quòd ille, qui tibi vivere recusat, dignus morte sit, imò, quòd am mortuus sit; *dignus planè est morte, qui tibi Domine JEsu vivere recusat, & mortuus est, & qui tibi non sapit, desipit, & qui curat*

esse,

esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Denique quid est homo, quia innotuisti ei? propter temetipsum, Deus, fecisti omnia, & qui esse vult sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. S. Bernard. serm. 20. in cant.

FERIA TERTIA.

Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S. Act. 8. 17.

De sacramento confirmationis.

1. Obligatio clericorum, ut populum de hoc sacramento instruant.
2. Quomodo id fieri debeat.

PUNCTUM I. INdicat hodierna epistola, quemadmodum prædicato per Philippum Diaconum evãgelio, in provincia Samariæ, populi isti in Christum JEsum crediderint, & baptizati fuerint, quod cùm cognovissent S. Petrus & S. Joannes, eò profecti sunt, ut novos istos ad fidẽ conversos magìs in fide perficerent. Samaritani acceperunt Spiritum S. per impositionem manuum apostolorum; addita simul certa precatione, hoc est, prout defactò loquimur, collatum illis fuit Sacramentum Confirmationis. Sit ergo sacramentũ istud meteria hodiernæ meditationis; ante omnia Deo gratias agamus, quòd ipsi hoc sacramento initiati simꝰ. Deinde consideremus, quanti referat, ut populus christianus circa illud informetur &

instruatur. Clericis incumbit, populum ad illud præparare, quemadmodum videmus, discipulos instruxisse Samaritanos, ad hoc sacramentum dignè recipiendum. Hortatur catechismus Tridentinus Pastores animarum, ut hoc magnâ curâ, & sollicitudine faciant; si pauci sunt christiani, qui gratiam hujus sacramenti conservant, hoc inde est, quia parùm instructi sunt circa sanctitatē hujus sacramenti; parùm solliciti nempe sumus ad ingenerandum ipsis sublimem ideam seu æstimationem de hoc sacramento, & ad præmuniendum illos, ut caveant, ne protiosus gratiæ illius liquor effundatur. Novelli isti milites primo statim prælio vincuntur, quia parū huic armorū generi assueti sunt, & sæpius nequidem docentur, quales habeant inimicos, contra quos militare oporteat. Idem ferè sentiendū de hoc sacramento, quod de baptismo, cujus est perfectio seu complementum. Pauci christiani innocentiam baptismalem conservant, quia non instruuntur, qualem gratiam acceperint hac die, quâ facti sunt christiani, & quæ Deo promiserint, quasque obligationes contraxerint, vivendi nempe vitam puram & novam, ac puritati evangelii conformem. Confirmatio, quasi ratificatio quædam est omnium, quæ in baptismo promisimus; & tamen plurimi ex con-

fiima.

firmatis minimè ad hoc attendunt; neque naturam, neque finem hujus Sacramenti intelligunt, nempe ut per illud evadant homines in Christo perfecti, ut illius virtute, & divinâ potentiâ confortentur ad resistendum inimicis salutis nostræ. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus; induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli.* Eph. 6. 10. & 11. En! quid illis dicere debeamus cum S. Paulo. Sed quomodo talia illis explicabimus, si nec ipsi agnoscamus periculū illud, cui in hac vita expositi sumus ob multitudinem hostium & inimicorum, qui nos impugnant: neque vires illas spirituales scimus, quibus necesse habemus ad iis viriliter resistendum? *propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* ibid. v. 13. Esto igitur primus, qui fructum capias, ex hac S. apostoli instructione & ut alios quoque circa hoc instruere valeas;

PUNCTUM II. Docebis illos 1mo *excellentiam* hujus sacramenti, quæ ex hoc elucet, quòd minister illius ordinarius episcopus sit. Oportet successorem esse apostolorum, & plenitudinem sacerdotii possidere, ut aliis conferre valeat plenitudinē Spiritûs S. quia, ùt S. Thomas 3. p. q. 72. a. 11. vult, quemadmodum magna opera

non

non nisi magnis operariis seu artificibus competunt, sic oportet, ut episcopus conferat confirmationem, siquidem hæc est quasi perfectio ædificii hujus spiritualis, quod Christus JEsus in nobis per baptismū erexit, & sacravit, architecto incumbit ultimam manum imponere operi suo; episcopus autem est, qui locum Christi JEsu tenet, & templum sanctum hoc concludere debet. 2do *necessitatem*. Non debemus nobis imaginari quòd, quia non vivimus amplius illa tempora persecutionum, ubi necesse sit vitam nostram exponere periculo mortis, ad perseverandum in fide coram tyrannis, sacramentum hoc quasi amplius necessarium non esset. Quia, ùt ait S. Cyprianus de bono patient. ecclesiā tamen adhuc patitur. *Habet & pax coronas suas*. Habet mattyres suos, qui, etsi per effusionem sanguinis, dare JEsu Chrysto testimonium non possint, non tamen minùs eum glorificant, quam illi, quibus hæc beata sors obtingit; *habet & pax martyres suos*. Verùm ut abstrahamus ab adversariis fidei, & moralis doctrinæ JEsu Christi, an non semper timendus nobis est mundus, qui nobis libenter inspirare, & persuadere vellet falsas doctrinas suas? an non habemus proprias passiones nostras, & potestates tenebrarum, quæ continuò in nos, & contra

nos

nos conjurant? quid diceremus de tali turma, vel cohorte militum qui omninò nudi, sine armis, sine ordine, sine disciplina incedunt; quorum plerique insuper ægroti, & debiles essent, & tamen inimicis suis obviam ire vellent? pro stultis & insensatis haberentur, qui ultro in frustra concidi vellēt, & internecione deleri; hæc ipsa tamen imago quædam est illorum, qui, antequam sciunt, & agnoscunt multitudinem & fortitudinem inimicorum salutis suæ, negligunt se præmunire armis spiritualib9, quæ Christus JEsus nobis per hoc sacramentū confirmationis offert. 3tio. oportet populo declarare effectus, & admirabilē virtutē hujus sacramenti, dispositiones, quas ad illud suscipiendum afferre oportet, quorum principalis est, ut quis sit in statu gratiæ; & monere eos, quod characterem indelebilē imprimat. id est, quòd non nisi unâ vice conferri, & recipi possit. Character hic est militiæ Christi, quis nos ad hoc obligat, ut animosè & incessanter oppugnemus inimicos fidei, & salutis nostræ. Debet discipulus Christi esse sanctè impudens, si causa Christi defendenda sit, ait S. Augustinus: in Psal. 68. serm. 1. n. 8. *frontosus esto, quando opprobrium audis de Christo, prorsus frontosus esto; quid times fronti tuæ, quam signô crucis ornasti!* an talis fuisti à

tem-

tempore, quo hoc Sacramentum suscepisti? Pro præparatione ad Missã indue hanc sanctam audaciã, de qua modò locuti sumus, & stude, eam etiam animabus debilibus & timidis, qui in mundo sunt, inspirare; monendo illas, haud aliter sperari posse, illas à divino magistro suo aliquando agnoscendas, si erubuerint illum confitendi hîc coram hominibus; *omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est, qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Matth 10. 32.

FERIA QUARTA.

Hæc dicit Dominus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi, erit domui Juda in gaudium, & lætitiam, & in solennitates præclaras. Zachar. 8. 19,

De Quatuor Temporibus.

1. Cur instituta sint. 2 Quomodo transigenda?

Ecclesia volens indicare filiis suis nullum tempus per decursum totius anni esse debere, ubi permissum ipsis esset, à bonis operibus cessare, vel interruptionem in progressu virtutis facere, ut puram servent animam suam, eàmque sanctificent, judicavit opportunum esse, certos quosdam in particulari dies consecrare

his quatuor anni temporibus, ubi fideles jejuniis, orationibus, & eleemosynæ vacare deberent. Judicavit autem ante omnia, impositionem cujusdam jejunii corporalis aliquot diebus, pro mortificatione corporis, validè contribuere, idest, conferre aliquid posse, ad jejunium quoddam etiam cordis, & ad abstinentiam à peccatis, sequendo in hoc mentem, & opinionem S. Leonis, qui serm. 9. 2, n. ait, observantiam istam minimè alligatam esse, his quatuor solùm anni temporibus, nisi ut per hanc successionem continuam horum temporum per annum recurrentium doceamur, continuò nobis purificatione opus esse, ac debere nos omnem conatum adhibere, ut per jejunia & elemosynas, maculas illas eluamus, quas sine fine per fragilitatem carnis nostræ contrahimus. Vult, & intendit insuper Ecclesia, ut dies hosce pænitentiæ offeramus Deo pro conservatione fructuum terræ; quibûs pro alimentis, & sustentatione corporum nostrorum indigemus; utque simul gratias agamus pro iis, quos actu jam percepimus, uti pro omnibus aliis à divina ipsius bonitate acceptis beneficiis. Principalis autem causa & ratio, cur tota Ecclesia, hîs diebûs precîbus, & jejuniis incumbat, est, ut benedictionem à Deo obtine-

tineat, pro ordinandis novis clericis, ut bonos paſtores, & fideles miniſtros conſequatur, qui tam rari, ſimul tamen adeo neceſſarii ſunt, ſiquidem ordinariè ſalus populi à bonis paſtoribus dependet, quorum curæ ille commiſſus eſt. Junge igitur orationi hujus tuæ optimæ matris pro filiis ſuis etiam tuas preces *rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem suam.* Math. 9. 18. agnoſce indigentiam illius, quam habet, ut bonos clericos acquirat, qui ei fideliter deſerviant; & ſi quid de tuo ad hunc finem conferre potes, oſtende quó ad hoc zelum tuum, quē pro ſtabilienda diſciplina Eccleſiaſtica habeas. Tantâ curâ & ſollicitudine quæruntur, & eliguntur pro rebus & negotiis temporalibus prudentes & fideles operarii, ac miniſtri, ait S. Ambroſius in 1. Tim. c. 3. quid ergo fieri oportet, ut tales inveniantur, quibus diſpenſatio myſteriorum Dei, & ſalus tot animarum credendi poſſit? *magnâ ergo curâ eligendus eſt, qui domum Dei regendam accipiat; ſi enim terreſtrium rerum diſpensatores idonei quærendi ſunt, quantò magis cæleſtium!* vide ut ejuſdem cum eccleſia intentionis ſis, & vide;

PUNCTUM SECUNDUM.

Quid his quatuor temporibus à cleri-

cis fieri debeat, quemadmodum in aliis etiam per annum occurrentibus. 1mo examinare debent defectus commissos tribus præcedentibus mensibus, præsertim illos, quos commisêre in exercitio functionum suarum spiritualium, ut eos expiare valeant per jejunium, per sacram solitudinem, per eleemosynã, & alia pia, ac bona opera; curare deinde, ut eosdē in futurum corrigant, semper præ oculis habendo ista S. Pauli ad Timotheum verba: *sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* 2. Tim. 2. 15. 2do. persolvere peculiares quasdam præces ad impetrandum à Deo, ut Spiritu suo sancto replere velit episcopos, vicarios generales, & generaliter omnes illos, qui ad ordinationem clericorum concurrunt, ut alios non admittant, quàm quos idoneos ac capaces judicaverint. *Multi ædificaverint parietes, & columnas ecclesiæ subruunt,* dicebat olim S, Hieronymus Epist. ad Nepot. *marmora nitent, aurô splendent laquearia, gemmîs altare distingvitur, & ministrorum Christi nulla electiô est.* 3tio gratias agere Deo pro iis, quæ tu quoque olim his temporibus misericorditer, á Deo cõsecutus es in ordinationibus tuis. Hæc gratitudo adeò necessaria est, ut ecclesia

ordinaverit, quotannis celebrari debere anniversarium diem ordinationis summorum pontificum, & episcoporum. Renova igitur hodie, & reliquis quatuor anni temporibus, memoriam beneficii à Deo accepti, quod te assumpserit de medio populi, ut servitio ipsius consecraveris. Offer te ipsum omninò de novo, totum Deo in præparatione ad Missam, ut gratiam ab illo obtinere merearis, tanto beneficio bene utendi. *Sacerdotes eo die, quo eorum unusquisque sacerdotio initiatus est, ullum etiam quotannis recolant Missæ sacrificio, & precibus*, ait eccles. Mediol; p. 97.

FERIA QUINTA.

Et ait ad illos: nihil tuleritis in via; neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Luc. 9. 3.

De paupertate evangelica.

1. In quo consistat hæc virtus.
2. Obligatio clericorum circa illam exercendam.

PUNCTUM I. Continet hodiernum evangelium missionem apostolorum, ubi præ cæteris illis cōmendat Dominus, ut quàm longè absint ab omni proprio interesse, seu cōmodo, Ità fiat, ajebat: nolite vobis facere provisionem aliquam pro itinere, sed cōmittite vos integrè providentiæ meæ. Mirare contemptum illum, quem divinus Salvator noster continuò

nuò ostendit erga bona istius mundi. Erat legitimus omnium istarum rerum Dominus, & nihilominus instar pauperrimi ex omnibus hominibus inter nos apparuit. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Matth. 8. 20. Natus fuit in stabulo quodam omnibûs omninò privatus; vixit super terram in omnigena indigentia; mortuus est in cruce omnibûs spoliatus, elegit discipulos pauperes voluìtque, ut vitam ducerent pauperē, dum mundo evangelium prædicarent. O quàm benè demonstrat nobis ista ratio, & modus agendi, æstimationem illam, & amorem suum. quem erga hanc sanctam virtutem habuit? studeamus & nos pariter cum illo sentire; & ut comprehendamus, quid hìc ab apostolis desiderat, nota, duas esse sortes, seu species paupertatis, quas clerici observare & exercere debent. 1mo. datur paupertas exterior, quæ in eo consistit, ut omnia superflua abjiciantur, & tantummodo necessariis contenti simus, juxta regulam istam apostoli, 1. Tim. 6. 8. *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Paupertas ista in omnibus nostris exterioribus apparere debet, in habitú, in victu, in supplectili, utendo pannis tantūmodo simplicibus, cibis, & victualibus cōmunibus, suppellectili modica, voluntariè & patienter amplectendo omnes illas incō-

moditates, quæ hanc paupertatem conſequi ſolent, famem, ſitim, frigus, calorem, laborem, defatigationem &c. An non è cõtrario ex illis unus es, de quibus S. Bernardus in Adv. Dom. ſerm. 4. ait: *pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur?* 2do. datur paupertas interior, quam evangelium nominat paupertatẽ ſpiritûs, ſeu cordis, quam Chriſtus JEſus toties nobis comẽndat, quámque unam fecit ex octo beatitudinibus; cui pro mercede promittit regnum cœlorum. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Conſiſtit hæc paupertas in eo, ut cor noſtrum à bonis hujus mundi abſtrahamus, ſi aliqua poſſideamus; *divitiæ, ſi affluant, nolite cor apponere.* Pſ. 61. Ut eas cum indifferentia aſpiciamus, ſine adhæſione poſſideamus, iis moderatè utamur; pauperes iis ſublevemus & ſuſtentemus, & ea ad alia opera bona, in eccleſia, applicemus; & ſi privari nos iis contingat, facit hæc virtus, ut hoc ſine inquietudine aliqua feramus, & contẽti ſimꝰ omnimodè omni eo, quod divina nobis donat providentia, dicendo cũ apoſtolo 2. Cor 6. 10. *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Videamus, qualiter affectus ſis erga paupertatẽ, ſive interiorem, ſive exteriorem? an non pro eo, ut

amo-

amorem & æstimationē illam pro hac virtute habeas, quam apostoli, & reliqui viri apostolici cum gaudio amplexati sunt, illā reputes pro statu quodam vili, & contemptibili, qui non nisi aversionē & fugam mereatur? si ità est?

PUNCTUM II. Considera nunc rationes illas, quæ clericos obligant, ut vitam ducant humilē, pauperē & à rebus istis terrenis abstractam. 1mo. quia plusquam reliquos christianos eos concernunt verba ista Salvatoris & D.N.J.C. ad omnes illos dicta, qui illius discipulatū ambiunt, *omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. 33. Clericorū est dare exemplū hujus generosæ renuntiationis, quam Salvator à nobis exigit, ut ad perfectionem christianā pertingamus. 2do. hoc solenniter professi, & confessi sunt, dum clericatu initiati fuêre; *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Ps. 15. En verba, quæ pronuntiaverūt ad pedes altaris, dum primam tonsurā acceperunt; *qui autem Dominum possidet,* ait S. Hieronymus, epist. 2. ad Nepot. *& cum propheta dicit; pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest; quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus.* 3tio. renuntiatio & contemptus divitiarum necessariò in clericis requiruntr,

tur, ut pondus & authoritatẽ faciant, seu concilient exercitio ministeri sui, nam quẽ fructum afferre possunt, si ex spiritu quodã, & instinctu proprii interesse laborent? & avaritiæ dediti sint? oportet ministrũ Dei, cui salus animarum cordi est, dicere posse cum apostolo, Philip. 4. 11. *ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio enim & humiliari; scio & abundare; ubique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire & abundare & penuriam pati.* En, qualiter dispositus & comparatꝰ esse debeat bonus clericus. Roga Dominũ, ut hanc tibi mentem, & sensũ instillet. Pro præparatione ad Missam conjice oculos tuos supra paupertatẽ JEsu Chr. in sanctissima eucharistia, qui non elegit, nisi viles quasdã, & cõmunes species, seu accidentia, sub quibus moratur & qui in quàm plurimis ecclesiis pauperrimè tractatur, per quod satìs indicat, se eundẽ prorsus esse Deum, qui natus fuit in Bethlehem, & considera, utrum æquum sit, si divinus magister tuus amore tui factus est pauper, ut tu talis fieri detrectes amore ipsius. Fac igitur tale propositum hodie, quale legimꝰ in aliqua epistola S. Hieronymi ad Nepotianum scripta: *si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partẽ inter cæteras tribus, sed quasi levita, & sacerdos vivo de decimis, & altari serviens, altaris*

oblati-

oblatione sustentor; habens victum & vestitum; his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. epist. 2. ad Nepot.

FERIA SEXTA.

Exultate filii Sion, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinũ, & serotinũ, sicut in principio. Joël 2. 23.

DE DISPOSITIONIBUS PRO ORDINATIONE.

1. Obligatio clericorũ præparãdi se ad ordinationem
2. Quales esse debeant hæ dispositiones?

PUNCTUM I. Vide, ut participes quidquã de hoc sancto gaudio Joëlis prophetæ in epistola hodierna, gratias Deo age, quòd dederit nobis JEsum Filiũ suũ pro magistro & doctore nostro; non est simpliciter tantùm quidam veritatis doctor, qui nos instruat; quemadmodũMoyses & alii prophetæ fecerũt; est doctor justitiæ, qui nobis cōmunicat suam sanctitatē & qui depluit super nos gratias, & benedictiones suas. Quia autē principaliter isto tempore eas super clerũ suũ effundit, quilibet nostrûm omnib9 virib9 adniti debet, ut profectũ exinde trahat; specialiter autem illi, qui se ad proximã disponunt ordinationē. *Nulla res magna probationis & explorationis est expers.* ait egregiè & excellenter S. Gregorius Nazianzenus orat. 10. Exinde desume, & judica,

quàm singulares dispositiones à nobis exigant sacri Ordines, præsertim sacrū sacerdotiū, quod aliquis SS. PP. nominat *opus Dei*, per excellentiā; & alius principale *omnipotentiæ organum*, S. Chrys. l. 3. de sacerd. c. 4. Ah! de quanto negotio, & quāti momenti hìc agitur, dum homo quidā ad sacerdotii dignitatē promovetur; *opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo*. 1. Paral. 29. 1. Non agitur tātùm de ædificando quodam templo, in quo Deus habitet; sed de hoc agitur, ut Deo præparentur, ac dentur digni ministri, qui altari deserviant, & dispensatores fideles sint gratiarū & donorū illius; digna capita ecclesiæ, & veri Patres fidelium. *O potestas ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum sacerdotum*, exclamat hìc S. Ephrem. de sacerd. 1. 1. *O quâm magnam in se continet profunditatē, formidabile & admirabile sacerdotium! felicem illum, qui in hac ipsa dignitate administrat purè, & irreprehensibiliter!* Verùm non solùm in magnitudine & excellentia sacrorū Ordinū fundant SS. PP. necessitatem magnarū & sanctarū dispositionū, quas afferre oporteret ad illorum dignam susceptionē, sed insuper in eo, quòd Ordines isti non nisi semel conferantur; & quia non cōferuntur pro utilitate tantùm illorū, qui eos

su

suscipiunt, sed pro bono totius ecclesiæ, horribilis sanè profanatio foret, si quis eos in malo statu susciperet, & non curaret afferre tales dispositiones, talèmque ac tantũ respectum, seu reverentiã, qualem rei magnitudo exigit. Non, ait S, Leo, non est ex omnibus sacramentis, quod majorẽ sollicitudinẽ, & exactionẽ majorẽ requirat, tam ex parte episcopi, qui illud confert, quàm ex parte illorum, qui ordinantur, quàm sacramentũ Ordinis; quia effectus aliorũ quiescit in solis suscipientibus, dum in hoc sacramento virtus illius se extendit ad totã ecclesiam. & in omnes fideles, *cætera sacramenta unicuique propter se dantur; istud solùm non propter se solum, sed propter alios datur.* serm. in anniver. assumpt. Seriò tè supra hoc reflecte;

PUNCTUM II. Considera dispositiones illas, quas ad sacram ordinationẽ afferre oportet, Sunt dispositiones aliquæ remotæ v. g, vocatio, innocentia vitæ, & lõga probatio in exercitio virtutum, prout alibi jam diximus; sufficiat mihi hoc loco tantùm dicere, quòd SS. PP. acriter se opposuerint ordinationibus nimiùm præcipitatis, & inconsultis. *Obsistite,* ait Papa Zosimus, scribens ad Hesychium episcopũ Salamensem, *obsistite talibus ordinationibꝰ, obsistite superbiæ, & arrogantiæ, tecum faciunt*

præcepta Patrum; tecum apostolicæ sedis authoritas; si enim officia sæcularia principalem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis temporibus, homines deferunt; quis ille tam arrogans, tàmque impudens invenitur, ut in cœlesti militia, quæ propensiùs ponderanda est, & sicut aurum, repetitis ignibus, exploranda, statim dux esse desiderat, cùm tyro antè non fuerit, & priùs docere velit, quàm discere. Dantur etiam dispositiones proximæ, ùt 1mo. status gratiæ, mediante bonâ, imò etiam generali confessione, si spiritualis director ità necessarium esse judicet; *qui enim timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Eccles. 2. 20. 2do. sacer quidam secessus per aliquot dies, ut quis omninò exuat spiritum, & doctrinam hujus sæculi, & Spiritum ecclesiasticū assumat. Vide, ait S. Ambrosius, quid Deus observet, & agat, dum viam perfectionis Abraham, servum suum, docere vult? ante omnia præscribit, ut exeat de sua patria, & ad locum sibi designandum deinde vadat; *egredere de terra tua,* Gen. 12. 1. sed hoc nondum contentus, insuper vult, ut absolutè disrumpat omnes nexus, & vincula, quibus suis cognatis, amicis, & aliis bonis suis adhærebat, *& de cognatione tua & de domo patris tui.* En lectionē prorsus admirabi-

rabilē, ait hic S. Pater, pro iis, quos Deus ad aliquem statum perfectionis vocat, qualis est ecclesiastic9; vult illis indicare, haud sufficere, reliquisse locum nativitatis suæ, & societatē propinquorum suorum; sed insuper requiri, ut quis laboret ad abnegandas omnes affectiones, quas ad res terrenas anteà habuit. *Exire de conversatione terrena debemus, ut non solùm locum, sed etiam nosmetipsos mutemus.* S. Ambr. l. 1. de Abrah. 3tio. durante ordinatione oportet se Deo offerre, & consecrare in sacrificium; mori de novo passionib9 nostris, per votum castitatis; voluntati nostræ, per votum obedientiæ, quam episcopo promittimus, & mundo, mediante generosa quadam abrenuntiatione omnium rerū mundanarū, ut deinceps non nisi Deo, & ecclesiæ ejus serviamus. Ah, utinam illi, qui cras accessuri sunt ad ordinationē, omnes has dispositiones secum afferrent. Ora Dominum pro iis, in sacrificio Missæ, & stude illos reparare defectus, quos tu fortè in tua ordinatione admisisti, & melius deinceps labora ad tuā propriā perfectionē & sanctitatē. *Studeam9 nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* 2. Cor. 7. 1.

DIE

DIE SABBATHI.

Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt; & seniores vestri somnia somniabunt. Joël 2. 26. & Act. 2. 17.

De gratia Sacramentali Ordinis.

1. Accipimus ibi augmentum gratiæ ad agnoscendas obligationes professionis clericalis.
2. Et augmentũ zeli, ac fervoris ad illas implendas.

PUNCTUM I. S. Petrus verba faciẽs ad Judæos de descẽsũ, seu advẽtu Spiritûs S. super apostolos, ait: hanc esse impletionẽ prophetiæ Joëlis, quã hac die, in Missa legimꝰ, & sanè facile hoc videri, & desumi poterat ex prodigiis, quæ Spiritus S. tunc operabatur in discipulis Domini, quòd nunquã tantâ cum abũdantiâ se effuderit in homines. Videre erat ibi signa stupenda in ecclesia, præsentiæ illius, nimirum donũ miraculorũ, donũ linguarum, & prophetiæ, quæ illo tẽpore aliquid com̃une, & ordinarium erant. Verum est, hæc exteriora dona cessasse quidẽ in ecclesia nunc, quando jam stabilita, & firmata, ac satis propagata est, adeò ut his donis non indigeat amplius, sed minimè cessavit Spiritus S. effundere gratias suas in fideles, maximè in ministros ecclesiæ; possumùsque in gratiã illorum dicere, qui hodie pro ordinatione se sistent, quòd, si accedant, prout oportet, dies iste pro ipsis sit,

quasi renovatio Pentecostes, & quòd eosdē quasi effectus experturi sint cum apostolis, dum Spiritus S. supra illos descendit. Spiritus Dei, qui eos invisibiliter ungit, & ad suum servitivm illos consecrat, alios efficiet, ac antèa fuerint; illuminabit illos per infusionē luminū ac illustrationum suarū, & declarabit illis omnes obligationes, professioni illorum indispensabiliter annexas; dabit illis Spiritum, & cor tale, quod tantà dignitate sit dignum, ad quam eos elevat, & conformiter ad sanctitatem illam functionum, quæ eis deinceps incumbent. *Virtus sacramenti gratia est septiformis, quam certè gratiam, qui accipiunt, quasi alio corde accepto immutantur, quia quos gratiâ suâ sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus, quod non erant,* ait S. Greg. M. in l. 1. reg. c. 10. implebitur in illis hæc promissio, illis à Christo JEsu Joan. 6. 45. facta, quòd ille velit esse ipsemet Doctor & magister hominum fidelium, *& erunt omnes docibiles Dei, quod certè in ecclesia sancta etiam nunc fieri cernimus,* ait idem S. Pontifex, *quia sæpè, qui divina loqui appetunt, ab eodem Spiritu subitò docentur, & loqui optimè ea etiam possunt, quæ præ meditatione nulla didicêre,* hom. 30. in evang. Quam primùm repleti sunt apostoli Spiritu sancto, subitò loqui, & ubique propagare ceperunt evangelium

Christ.

Christ. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & coeperunt loqui.* Act. 2. Pariter, qui characterẽ S. Ordinis recipiunt, eandem gratiam cõsequuntur, adjungit enim praefatus S. Pontifex: *statim prophetare incipiunt, quia, qui divino Spiritu pleni sunt, Dei magnalia tacere non possunt.* ibid. Non solùm accipiunt per sacram ordinationẽ augmentum illustrationum, quoad intelligentiã, & exercitiũ obligationum suarum, sed insuper etiam augmentum zeli & fervoris, in exercitio functionum suarum, prout statim videbimus.

PUNCTUM II. Definierunt concilia eos, qui ad SS. Ordines promoti sunt, recipere gratiã, & qualitates necessarias, ad ritè peragendas functiones sacras Ordinũ suorum. *Ritè ordinatis gratiam conferri, quâ ad ecclesiastica munera ritè & utiliter exercenda apti, & idonei efficiantur.* conc. Mogunt. anno 1549. c. 35. Si ergo aptus & idoneus judicaris sacris Ordinibus, cave, ne minimùm diffidas viribus tuis. Auget Spiritus S. gratiam sanctificantẽ, & per auxilium gratiarum actualium, facilem tibi reddet impletionẽ obligationum tuarum! quae vires tuas superare videntur. Si signa vocationis ad hunc sublimem statũ in te animadvertas, ne dubita, quin accepturus sis ab eo, qui te vocavit. auxilia necessaria, ut sacro ministerio túo satisfacere valeas. Die

tan-

tantúm generosè cum S. Leone, serm. 1. assumpt. suæ. *qui mihi honoris est author, ipse fiet administrationis adjutor. & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem.* Unde enim putas Athanasios, Basilios, Gregorios, Chrysostomos, Ambrosios & sæculo præterito S. Carolum, ac tot alios illustres, ac præclaros in scientia & pietate viros, zelum adeò vivacem, illuminatum, & ardentem hausisse, qui eorum vitam præclarã reddidit, & illustrẽ quique eos tam animosos, firmos, & intrepidos effecit, sivè dein in defendendis & propugnandis evangelicis veritatibus contra oppositiones tam validas hujus sæculi, sive in afferendis opportunis remediis contra excessus & scandala, in diœcesibus eorum tunc grassantia? effectus nimirum erat gratiæ & virtutis, quam in ordinatione sua consecuti sunt, En principium illud, quod ipsis non solùm possibile, sed & facile reddidit id, quod spectando infirmitatẽ suam propriã, impossibile prius judicabant. Charitas, quam iste Spiritus in eorum cordibꝰ diffudit, omnes has difficultates eos superare, & dulces & gratas fecit, quas in exercitio functionum suarum invenerunt. *Nullo enim modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant,* ait S. Augustinus, lib. de bono viduit. 1. 21. *nam*

in

in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Cura ergo, ut sanctè ad ordinationē sacram accedas, ut pariter de zelo & fervore horū dignorū sanè ministrorum, ac servorū Dei participare aliquid valeas, quo ipsi pro gloria Dei arserunt. Ora Dominum JEsum in S. comunione pro gratia ista, ut eorum imitator evadere possis, & post ordinationē tuam ostende per bonam vitā tuā, quòd haud invanū receperis SS. Ordines; *novum supervenisse spiritum, conversatio nova testetur*. S. Bernard. serm. 2. in Octav. Pentecostes. Qui veró jam pridem sacro altari consecratus, & dedicatus fuisti, accede hodie ità, ut hanc SS. Ordinū gratiā in te resuscites, & de novo accendas, offer Christo Domino illud modicū, quod tibi adhuc in vita restat; considerando, aliū in finem te sanvginē JEsu Christi quotidie non sumere, nisi ut aliquando tuum pro illo dare valeas; *considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere*. Cyprianus epist. 56. edit. Parisiensis.

ADDJ.

ADDITIO
MEDITATIONUM.
Pro Festis quibusdam hoc tempore occurrentibus.

Sors cecidit super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis. Act. 1. 26.

1. Vocatio S. Mathiæ docet, quomodo statum ecclesiasticum amplecti debeant ii, qui ad eum aspirant.
2. Ipsius fidelitas docet, quomodo laborandum in hoc statu.

PUNCTUM I. INvenimus in electione S. Mathiæ tres magni momenti veritates, quantùm ad vocationē ad statum ecclesiasticū, quas meditari nobis proficuum erit. Prima est, quòd nullus seipsum in ministerium ecclesiasticum ingerere, sed exspectare cum S. Mathia debeat ordinem, seu vocationem divinæ providentiæ, eamque sequi. Non est nostrûm elevare nos ipsos ad officia, & dignitates ecclestasticas, sed ad DEum pertinet hæc exaltatio; *Domini est assumptio nostra.* Ps. 88. 19. Ipsius est eligere nos, & vocare ad suum ministerium, si ipsi placet, & prout illi placet; *cecidit sors super Mathiam.* Dicamus itaque illi sæpius & eadem cum devotione, cum Propheta regio Ps. 30. 16. *ego*

autem in te Domine ſperavi; dixi DEus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Altera veritas; quam nos docet hæc electio S. Mathiæ eſt, viam ordinariam cognoſcendi vocationem noſtram eſſe orationem; ſed orationem ferventem, qualis fuit hæc Apoſtolorum oratio, dum aliquis in locum Judæ proditoris ſubſtituendus erat; & orantes dixerunt: *tu Domine corda noſti omnium; oſtende, quem elegeris ex his duobus unum.* Act. 1. 24. Tertia veritas, quæ in hac electione notanda venit, quæque ſpecialiter concernit collatores beneficiorum; & Epiſcopos, eſt, ut in præſentatione vel proviſione beneficiorum eccleſiaſticorum haud duci debeāt ullo reſpectu humano vel proprio commodo, ſecundùm carnem & ſanguinem, ſed unicè conſiderando, & attendendo voluntatē DEI, prout videmus factū in iſta electione Apoſtolorum, qui nullum reſpectum ad id habuêre, quòd Joſephus Barſabas fuerit unus ex fratribus Chriſti Domini, hoc eſt, ex conſanguineis illius, & aliorum trium Apoſtolorum, ſed tantùm illuſtrationem, & lumen à S. Spiritu exſpectabant, qui eis inſpiravit, ut Mathiam eligerent, relicto Joſepho, qui inſuper cognominabatur juſtus, & opera juſtorum habebat. Eſtne hic modus agendi, qui hodie teneatur? an non verum eſt, ſi à majori

parte

parte Clericorum peteretur, seu interrogarentur, quis eos in numerum Clericorum cooptaverit? quis eos è medio populi eductos, ad sublimiorem locum, quem hodie obtinent evexerit? an non pauci forent, qui dicere possent, vocationem ipsorum à DEO esse; quòd pro hac ipsa vocatione DEum oraverint; quòd nonnisi secundùm merita sua ad hunc sublimem statū promoti sint? interroga tu ipse proprium cor tuum, vide, qualiter tibi contigerit? an nihil reprehendendum? nil emendandum superfit? si invenias te legitimè vocatum, gratias DEO age; hoc tamen nondum est totum, seu omne, oportet, ut etiam conformiter ad vocationem tuam vivas; & in hunc finem.

PUNCTUM II. Nota, Judam, in cujus locum hodie suffectus fuit Mathias, ab ipso Christo Domino fuisse vocatū; nihilominus homo iste adeò à DEO dilectus, tot gratiis ab ipso præventus, & olim adeò exactus in suo servitio & officio, cecidit (an dicere hoc possim sine tremore, & horrore) de tentatione in consensum, de consensu in avaritiam, de avaritia in murmurationē, à murmuratione in proditionem, à proditione in deicidium, à deicidio in desperationem, à desperatione in mortem, à morte in infernum. O horribilem casum! ô quantùm sine dubio S. Mathias se supra il-

lum reflexerit! quantam consternationem, quantum timorem; quos extraordinarios motus non causaverit in corde hujus S. Apostoli? osculabatur manum Domini, quòd eum per misericordiam prorsus gratuitam ad dignitatem Apostolicam sublimaverit, quin hoc unquam promeruerit. Raptus extra se erat præ admiratione, quòd se ex numero eorum videret unum esse, qui electi erant, ut lucrum totius mundi, ad fidem convertendi, inter se dividerent: sed non nisi cum horrore de hoc cogitabat, quòd inter istos magnos viros fuerit fur quidam, apostata, deicida, damnatus, cujus locum ipse suppleret; cum quali fidelitate non laboraverit, ut vocationi suæ corresponderet, & obligationibus sui ministerii satisfaceret? similes tu quoque cum hoc Apostolo fac reflexiones. Suppono vocationem tuam à DEO esse; te quoque fortè in aliqua communitate vivere, ùt S, Mathias in Collegio Apostolico, *sed nihilne timendum est?* quærit aliquis ex SS. PP. *nusquam est securitas*, exclamat S. Bernardus, de diversi. serm. 30. *neque in cœlo, neque in paradiso; multò minùs in mundo! in cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis; Adam in paradiso de loco voluptatis; Judas in mundo de schola Salvatoris.* Utere hoc motivo; si ubique periculum est, tunc multò

magìs,

magìs, & ſine comparatione majus erit in ſtatu tuo eccleſiaſtico; applica te igitur majori ſolicitudine ad tuam propriam ſanctificationem, & ad digniùs ſumendum Dominum JEſum in ſanctiſſima Euchariſtia. Vide, quomodo te vocet in hodierno Evangelio, ut te ſoletur, & ſublevet te in laboribus tuis, ad quas ratione miniſterii tui teneris: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Accede igitur nova cum fiducia; ſed & cum nova devotione, ut conſequi merearis effectus hujus divini Sacramenti. *Manduca vitam, bibe vitam; habetis vitam, & integra eſt vita; tunc autem hoc erit, id eſt, vita cuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quòd in Sacramento viſibiliter ſumatur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur.* S. Auguſtin. ſerm. 131, n. 1.

DE SANCTO THOMA AQUINATE, ECCLESIÆ DOCTORE.

Collaudabunt multi ſapientiam ejus, & uſque in ſæculum non delebitur, Eccleſ. 39. 12,

De scientia S. Thomæ.

1. Promeruit illam per ſuam perfectam abnegationem. 2. Accepit illam per orationem.
3. Utilem ac proficuam illam reddidit Eccleſiæ per zelum ſuum.

PUMCTUM I. QUò magìs quis àcreaturis abſtractus eſt,

eò magìs à creatore illarum supernis luminibus impletur. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum?* ait Isaias Propheta. cap. 28. 9. *ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Posito hoc principio haud mirari debemus, S. Thomam evasisse in doctissimum, & sapientissimum in Ecclesia virum DEI providentia, quæ maxima de illo, & cum illo meditabatur,, parentibus ipsius inspirabat, ut adhuc quinquennis manibus Religiosorū Cassinensium custodiendus consignaretur; qui magna sollicitudine hanc novellam plantam curârunt quæ excellentissimos suo tempore fructus productura esset; imò dici potest, eum quasi seipso crevisse, adeò, ut ferè nullam difficultatem senserint, qui eū ad virtutē applicare, seu formare studebant. Vix quartum decimū ætatis annum attigit, plenus jam consum̃atâ sapientiâ, & ipsis etiam senibus intelligentior, hanc generosā resolutionem cœpit, nempe ædificandi turrim evangelicæ perfectionis. Radiabat illis temporibus in cœlo Ecclesiæ tanquā luna inter stellas Ordo S. Dominici; quē DEus velut aggerem fundavit, & objecit corruptissimis moribus, & sceleribus illis sæculi. Resplenduit in eo specialis quædam sanctitas, quæ plurissimos gravissimos viros ad se pellexit. Huic sacræ militiæ S. Thomas

nomen

nomen dedit; sed quid non mollitur dæmon, ut hoc ipsius propositum everteret? adhibet lacrymas & persecutionem desolatæ & iratæ matris; malam tractationẽ fratrum, qui inhumaniores fratribûs Josephi eum plagîs affecerunt, tunica privarunt, nec contenti, habitu religioso illum privasse, conati sunt insuper eum iñocentiâ privare, introducendo in locum, cui inclusus erat, effrontẽ mulierem, impudicum scortum. Horribilis sanè persecutio! quid agit S. Thomas, ut in tam periculoso prælio seipsum defenderet? titionem arripuit, & in turpem fugã conjecit infame scortum, siquidem ipse ad instar Josephi fugere non poterat, utpote carceri inclusus. O quale spectaculũ hominibus, & Angelis, videre juvenẽ Religiosum adeò maturè triumphare de illo, quod perniciosissimum in armis suis habuit dæmon: relinquere mundũ, non obstantibus, neque minis, neque promissionibus instar gigantis, quin vel semel tantùm retrò respexerit! imitari adhuc in vita, & super terrã, vitam beatorũ in cœlo, vivendo in carne, ac si nullam haberet; abstrahere se ab omni re creata, ut præcisè, ac soli DEO possit adhærere! en viã, & rationẽ, quam tenuit, ut sublimem illam scientiã suã assequeretur, quam in illo admiraculo suspicimus, quæque in causa est, cur

tanquam ſol Eccleſiæ, & ſcholarũ habeatur. Diſcite exinde miniſtri Domini; quòd nequaquã per viã mollem, & delicatã, ſed per perfectam abnegationẽ omniũ voluptatũ vera ſapientia addiſcatur & acquiratur. *Sapientia non invenitur in terra ſuaviter viventiúm.* Job. 28. 13. &

PUNCTUM II. Conſidera, quód ſi Angelicus Doctor hanc ſuã eminentẽ ſcientiã per dictã abnegationẽ obtinuit, hoc ipsũ tamen non fuerit aſſecutus, niſi per orationẽ; hinc repetit de illo hodie Eccleſia iſta verba Sapientis: *invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiæ.* Sap. 7. 7. Ne putes, ſanctũ Thomã ſtudium ſuæ orationi non junxiſſe fiduciâ, quam in DEum habebat, non reddidit illũ pigrũ, & negligentem; longè diſtabat ab illo homine evangelico, qui tantùm animi non habebat, ut ſuſtentationem ſuã labore ſuo procuraret, & inſuper erubeſcebat, illã petere, ſeu mendicare; laborabat enim pro poſſibili, ut theſaurũ ex libris hauriret, ſimul etiã hoc ipsũ à DEO, tanquã eleemoſynã petebat; ſtudiũ ipſius adeò ipſum non impediebat à cõmercio cũ Deo, ut potiùs ad hoc ipsũ ipſi inſervierit. Nullus fuit unquã, qui utilius ſibi ipſi applicaſſet id, quod S. Cyprianus aliquando, uni amicorũ ſuorũ dixit, dũ ei couſilium dedit, ut tempus ſuũ benè divideret inter lectio-

nẽ,

nē, & orationē, ut DEus cum ipso, & ipse qnandoque cū DEO loqueretur. Studiū S. hujus Doctoris non tam erat labor quidā quàm remuneratio aliqua; loquebatur cum DEO per orationem ut vicissim cum ipso loqueretur per lectionem; & accipiebat per lectionē idipsū, quod per orationē petebat, imò hoc vastū ingeniū, hæc abyssus scientiarū, qui omnes difficultates penetrabat; de omnibus materiis scribebat, & quidē æquali cum perfectiòne, solebat dicere, quòd longè plura didicerit ad pedes crucifixi, quàm ex lectione librorū, hinc benè de illo dicere possemus, quod S. Gregorius Naz. de S. Basil. orat. 30. dixit: *cum Deo, quæ Dei sunt, exquisivit*. An & nos ita studemus? sicùt S. Thomas? nunquā ipsi legeremus, neque aliis doctrinā aliquā, seu lectionem daremus; neque aliquid elucubraremus; nisi post consecratas primas horas diei, orationi mentali, & celebrationi S. Missæ; si nos, ùt ipse, studeremus, & oraremus, studenter quærendo, & indagando veritatē, eámque in humilitate petendo, & patienter exspectando; si ad illius imitationē semper DEum præsentē nobis haberemus, in & per iñocentiā vitæ, regularitatē, & disciplinā morū, rectitudinē intentionum, & considerationē debilium viriū nostrarum; si denique ad pedes crucifixi, quemadmodū iste S. Doctor, resolutionē dubiorū nostrorū

quæreremus, haud dubiè diſceremus, in ſchola optimi hujus magiſtri, ſcientiā illā, quæ ſanctos facit; & ſi nos ipſi per orationē ea repleti eſſemus, poſſemus etiā aliis illā cōmunicare ad exemplū S. Thomæ, qui per ſuū zelum ſcientiam ſuam toti ſanè Eccleſiæ reddidit utilē, & proficuā, prout ſtatim videbimus.

PUNCTUM III. Et ſanè nullū alium in ſcriptis ſuis, ſeu operibus habuit finē, niſi ut extenderet ſeu propagaret Regnū JEſu Chriſti, & omnes homines eidem ſubjiceret; divinitus inſtructus de omnibus myſteriis religionis noſtræ, ſolas adorſus eſt omnia monſtra errorū, quæ de ſinu ſuo infernus evomuit; feliciterque etiā proſtravit, & glorioſè devicit, Atheos, idololatras, Stoicos, Judæos, Mahometanos, Arrianos, Neſtorianos, Manichæos, Albigenſes; nullus error eā effugere poterat, quin ejus zelū ardentiſſimū, & illuminatiſſimū experiretur. Hinc magnus quidā Pontifex hoc ipsū admiratus, appellavit illū, fidei noſtræ athletā. *Catholicæ fidei athleta.* Paulus V. in Bulla 1607, & quod magìs adhuc ſtupendū, non ſolûm impugnavit & debellavit hæreticos ſui temporis, ſed etiā illos, qui futuris temporibus ſecuturi erāt; quod adeò verū eſt, ut errores Lutheri & Calvini illius doctrina confutati, & condemnati

mnati fuerint. Quamvis nulli concilio tempore vitæ suæ interfuerit, præsedit nihilominus omnibus iis, quæ post mortem illius congregata fuêre; neque difficultatem habuit ipsū Tridentinū propriis illius verbis utendô, in formandis decisionibus suis. Adjiciamus etiā hoc, zelū hunc, quē Angelus iste scholarū ardentissimū habuit pro gloria DEI, eundē etiā defensurū, usque ad finem sæculorū, contra omnes injurias & blasphemias hominū impiorū; & pronuntiatū hoc cujusdā sumi Pontificis effectum suū habiturum, S. Thomæ doctrinā mundū à millenis erroribus, & detestabilibus doctrinis purgaturā, *cujus meritis orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur.* S, Pius V. in Bulla mirab. DEus annô 1567 Inveniet Ecclesia in armentario Theologiæ S. Thomæ, arma sufficientia, ad exterminandā omnē hæresin, & impietatem; quot articuli, tot miracula; quot lineæ, tot sententiæ literis aureis exarandæ; & ut omnia uno verbo complectamur, ipse D. N. J. C. cui hic sanctus Doctor vigilias suas sacravit, & author totius scientiæ illius, voluit esse approbator omniū operū illius per hæc omninò mirabilia verba: *benè scripsisti de me Thoma.* Gratias igitur agamus DEO quòd hunc S. Doctorē Ecclesiæ suæ donaverit. Benedictus sis Domine DEus, quòd

in

in Ecclesia tua hanc novā stellā, seu luminare accenderis, quod ad finem usque saeculorū eam illuminabit; hanc nobis gratiā concede, ut ex his luminibus, & virtutibus omnimodis fructū capere, ipsius doctrinā sequi, & virtutes imitari valeamus; *da nobis, quae docuit, intellectu conspicere, & quae egit; imitatione complere.* Orat, eccles. in Festo S. Thomae. Pro praeparatione ad Missam vel S. Comunionē ea intelligere, & benè capere stude, quae Angelicus iste Doctor de hoc augustissimo mysterio scripsit, ubi planè seipsū transcendisse dici potest. Non solùm ad pedes crucifixi, sed etiā ex hoc ipso SS. Eucharistiae Sacramento sublimē suā scientiam hausit; intrabat enim in arcā istam novae legis seu testamenti; quemadmodū Moyses in arca veteris testamenti oracula, seu responsa quaesivit, & exspectavit; vel potius ipsa haec mysteriorum arca intravit in ipsum, à qua omnes, quas habebat, difficultates clarissimè elucidabantur; nunquam à S. altari recedebat, quin similis apparuerit legislatori Hebraeorū, quando hic à monte Sinai descendit, cujus vultus ex consortio Domini totus irradiabat. Recurramus & nos cū ipso ad propitiatoriū istud; manducemus hunc fructū vitae, pari cum S. Thoma devotione, & illuminamini. *Corpus Christi*

est

est verbum DEI, ait hìc S. Thomas de Sacram· opusc. 21. c. 6. id est, *vera lux, in carne humana, quasi in lucerna, quâ illuminatur fidelis anima*

DE S. GREGORIO PAPA, DICTO MAGNO.

Ecce Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum. Eccles. 50.

S. GREGORIUS ERAT PERFECTISSIMUM EXEMPLAR PASTORUM ECCLESIÆ.

1. Ædificat illos per modum suum vivendi.
2. Et instruit eos per doctrinam suam.

PUNCTUM I. POtest Sanctissimus hic Pontifex optimè considerari; tanquam fulcrũ domûs Domini, seu Ecclesiæ, quã toto vitæ suæ tempore suffulsit, siquidẽ generaliter omnes pastores animarũ super suũ sapientissimũ vivẽdi & agendi modũ quàm optimè instruxit. 1. docet imprimis, pastorẽ timere debere curã animarũ, eámque fugere, quantum fieri potest, illique aliter se non submittere, nisi ex obedientia; *ex toto corde debet fugere, & invitus obedire.* Verba sunt hujus S. Pontificis part. 1. pastoral, c. 6. Scimus, quantâ resistentiâ usus sit erga preces amicorũ suorũ, & instantiã populi, qualiter etiã Imperatori Mauritio scripserit, ut Pontifica-

tificatũ evadere poſſet; Româ auffugit, & in cavernã qnamdã ſe abdidit! neque prius ceſſit, niſi poſtquã miraculo quodammodo detectus fuit, quô monſtrabatur, à DEO illũ ad regimẽ Eccleſiæ vocari. Sed audiamus ipſimet Gregoriũ de ſe ipſo loquentẽ, ex Reg. l. 1. epiſt, 1. &c. quod enim de ſua interna cordis diſpoſitione dicet, plus valebit, quàm id omne, quod nos de illo judicare poſſemus. Si Imperator, ſi populus ſi amici, ſi proximi mei, ait, preces meas audire voluiſſent, ſanè non eſſem modò corã DEO, hoc tremendo onere tot millionum animarũ gravatus. Eheu! ſiquis ſciret, quãti ponderis & oneris ſit ſuprema dignitas iſta? quid ſit, eſſe Vicariũ JEſu Chriſti, & Succeſſorem Apoſtolorũ, ſanè nullus hominũ foret, qui non pro eo, ut hoc deſideraret, timeret hoc onere gravari. Certè conditio etiã minimi Sacerdotis melior eſt, & felicior, quàm ſum̃i Pontificis. Quid? rationẽ aliquando reddere DEO, de tot gratiis acceptis? de omnibus ipſius nomine contra alios latis, & fulminatis anathematibus? reſpondere de bono vel malo uſu talis authoritatis, ac tantæ, quæ ſe in omnẽ terrã extendit, cœlũque aperit, & claudit, fateor, me toties timore & pavore concuti; quoties de hoc terribili negotio cogito, ita ut præ triſtitia vel ipſa vox me deficiet;

tanto

tanto autem me percussum mœrore cognoscite, ut vix loqui sufficiam. ibid. epist. 6. Anne timentur defactò adhuc curæ, & officia pastoralia? tantùm abest, ut quidã instar Sancti hujus exhorrescant, ut potiùs absque omni reflexione ultrò post illa curratur, & utinã non per media mala & prohibita ad talia perveniretur! incipiamus ad minus saltẽ id timere, quod fortè nonnisi nimiùm ipsi desideravimus! hæc est prima instructio, quã S. Gregorius dat pastoribus animarũ, 2dò docet illos humilitatẽ, & ut sub pondere pastoralis curæ ingemiscant, Nullus unquã pastorũ adeò vivaciter agnovit ejusmodi onera, ac hìc S. Pontifex, sub quibus quotidie ingemiscebat, adeò, ut vix respirare potuerit. *Gemo quotidie, occupationibus pressus, & respirare non valeo.* ibid. epist. 30. ad Jo. Patric. *Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque; tanta quidem occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenus erigatur. Multis enim causarum fluctibus affligor periclitanti igitur mihi, orationis vestræ manum tendite vos, qui in virtutum littore statis.* ibid. epist. 7. Anast. episc. antioch. *Quid antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? quâ igitur fiduciâ ad DEum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem, de propriis peccatis, securus non sum.* ibid. epist. 24. episc. Constant.

ſtant. Invitat amicos ſuos, ut ſecum plorent, ne tot Eccleſiæ, ac Epiſcopales occupationes eū adeò diſtrahant, ut omninò ab amore, DEI ſeparent; *quod inceſſanter defleo,* ait; *atque ut pro me Dominum exoretis, rogo.* Oportet magnā partem epiſtolarum ejus deſcribere, ut oſtenderetur, quouſque hæc ipſius humilitas, iſtique gemitus & planctus cordis illius excreverint. Verùm hoc mediū jam ſatìs eſt ad noſtrā inſtructionē. Utinā exinde proficiamus; ah! non timemus nos, non ploramus, non ingemiſcimus ſub onere curæ paſtoralis, quia ignoramus pericula illa, quæ nos circumdant, & expectant undique pars paſtorum excœcantur ſplendore dignitatis ſuæ, & nonniſi dominari in Clero & populo volunt; *ut dominantes in Cleris.* 1. Petr. 5. Hinc fit, ut adeò non gemamus, neque auxiliū ullū, & ſubſidiū á fratribus noſtris petamus, ut potius indifferentes erga illos ſimus, imó fortè eos omninò ſpernamus. O quàm longè diverſa eſt ratio iſta agendi, ab illa S. Gregorii, qui ſe non aliter conſiderabat, niſi ùt ſervū ſervorū, ſeu eorū omniū Sacerdotū, qui ut boni Sacerdotes viverent; *ego cunctorum ſacerdotum ſervus ſum, in quantum illi ſacerdotaliter vivunt.* 3tiò neque iſto tantùm contentus erat S. Gregorius. Tremor illius, ejusque humilitas ad id eum impellebant,

pellebant, ut exactissima fidelitate, obligationibus ministerii sui satisfacere studeret. O quanta erat hujus SS, Papæ fidelitas! in conservando inviolabiliter sacro fidei deposito, procurando, ut prima quatuor concilia in simili, cum quatuor Evangeliis, honore haberentur, fidelitas, in distribuendo verbo divino, non obstantibus continuis quasi ipsius infirmitatibus & ægritudinibus fidelitas, in prospiciendo omnibus Ecclesiæ necessitatibus, sustentando, & animando zelũ Episcoporũ aliorũ, tã per propriũ exemplũ, quám per epistolas; ablegando in omnẽ partẽ operarios Apostolicos, ut regnũ Christi propagaretur, per prædicationẽ Evangelii. Verùm quanta fuit ejus fidelitas & solicitudo circa pauperes, & alios, quacunque ratione afflictos? charitas illius erga omnes adeò erat celebris per totũ Romanũ Imperiũ, ut Provinciæ etiã longius dissitæ, ejusdem effectus expertæ fuerint. Primis semper mensis cujuslibet diebus, ait de illo Joannes Diaconus, qui vitã illius scripsit, easdẽ in specie monetas & pecunias in elemosynã erogabat, quæ illi è territorio, seu patrimonio Ecclesiæ obveniebãt: quolibet die in septimana mittebat per plateas Romanas certos quosdã, qui pauperibus ægrotis, vel vulneratis, vel corpore mutilatis, victũ & potũ apportabant, ante

quam ipſe cibũ ſumeret, poſt datã ſupra cibos Apoſtolicã benedictionem, de menſa tollebat miſſum, ſeu cibũ quemdã, verecundo alicui pauperi deferendũ, qui mendicare erubeſceret. Cùm aliquando pauper quidã mortuus fuiſſet inventus, adeò doluit ſuper hoc caſu (quia credebat hoc contigiſſe præ fame, & ex defectu aſſiſtentiæ debitæ) ut aliquot diebus abſtinuerit à celebratione Miſſæ, quaſi ipſe pauperẽ hunc occidiſſet. O paſtorẽ verè charitativũ! ô diſpenſatorẽ fidelẽ bonorũ eccleſiaſticorũ! ô beatũ & admirabilẽ Pontificẽ! dignũ exemplar omniũ paſtorũ! fac, ut ex lectionibus, iſtis, ſeu hâc tuâ doctrinâ proficiamus qualem nobis tua ratione & modo vivendi dediſti. Veniamus nunc ad doctrinã illius, & videamus, qualiter paſtorẽ animarũ conſtitutum, & comparatũ eſſe velit, & doceat.

PUNCTUM II. Sanctiſſimus Pontifex noſter ante omnia petit à paſtore, ut ſit homo experimentatus. Non eſt ulla ars, ait in initio ſui paſtoralis, quã præſumat homo exercere, niſi priùs magna ſollicitudine, & ſtudiô, ſe applicaverit ad illã benè addiſcendã; Qualis igitur præſumptio & temeritas eſt illorũ, qui audent ſeipſos ingerere in curã paſtoralẽ, quin ſciant, quid hæc ſit, quia *ars eſt artium, regimen animarum.* 2dò. Ut ſit vitæ irreprehenſibilis. Elevatũ eſſe ad

onus pastorale, ait hic S. D. part. 9. c. 1. idē esse, ac electū esse in caput & ducē populi DEI, & esse exemplar virtutū, ac perfectā normā vitæ evangelicæ; prout S. Apôstolus ait: *oportet irreprehensibilē esse*; quod idē sonat, ac oportere omnibus virtutibus esse præditū, ùt ait S. Gregor. Nazian. Orat, 1. *vitium Episcopi, non esse optimum.* 3tiò pastor, pergit ulterius S. Gregorius, in 1. reg. c. 16. v. 3. debet esse solidè humilis, ut nunquā extollatur superbè, ob sublimitatē gradûs, ac ministerii sui; neque ascendat ad hunc locū, per gradus superbiæ & ambitionis, sed exspectet, quousque à DEO vocetur; *unges, quem monstavero tibi*, ait Dominus ad Samuelem, quod indicat, adjungit hic S. D. quòd electio talis ad solū DEū pertineat, homines possunt consecrare Episcopū; sed DEus est, qui eū eligit, & si respectus habeatur ad carnē, & sanguinē, comittitur acceptio personarū; & si aliud consideretur in ejusmodi electionibus, præter virtutē, & merita, eligitur talis, qui seipsū monstrat, & non, quē DEus monstrat; *unges, quem monstravero tibi.* 4tò. docet, non debere eligi ad regimē Ecclesiæ illos, qui etsi humiles sint, non tamē sufficientem scientiā habent; sed illos solùm, quorū humilitas per scientiā illuminata est, & sapientiā; *qui & facere jussa sciant*; quia sunt

humiles; *& quæ facienda ſunt, ſapientes jubeant.* ibid. v. 9. Quia ſapientes ſunt. 5tò non vult, ut talis ſcientia ſit purè humana & ſæcularis, ſed ſpiritualis, & divina. Sancta Eccleſia, ait, non eligit illos pro directione animarũ, qui pro eo, ut non niſi de cœleſtibus cogitent, præcisè in id incumbunt, ut habiles reddantur, ad tractanda negotia ſæcularia; ſed tales, qui ſe coram DEO æſtimabiles reddant per vitã, & illuminationẽ prorſus internã & ſpíritualẽ;quia verus paſtòr non debet gregi ſuo procurare *terrena, ſed cœleſtia; non labentia, ſed æterna.* ibid. Hinc dicit in ſuo paſtorali p. 2. c. 5. Parochũ taliter conſtitutũ eſſe debere, ut ſit *præ cæteris contemplatione ſuſpenſus.* En præclara exempla, ſuper quibus Clerici, maximè autẽ paſtores ſe examinare debeant; neque etiã reliquis chriſtianis inutile erit, idipsũ facere, non ſolùm, quia omnibus intereſt, habere bonos paſtores & bonos directores, ſed inſuper, quia virtutes paſtorũ, in quodã ſenſu, etiã populo communes ſunt, & in alio non differunt, quàm quòd in unis perfectiores eſſe debeãt,quàm in aliis; quæ ratio fuit, cur S. Auguſtinus dixerit,illũ qui in domo,vel familia ſua caput eſſe velit,& ſe gerere tanquã verũ chriſtianũ, officiũ paſtoris implere debeat. *Unusquiſque, ſi in domo ſua caput eſt; debet ad*

eum pertinere Episcopatus officium. ſerm. 51. de SS. pro comunione, vel Miſſa, diſpone te ad hanc magnā actionē, ſeu opus, tali cū fervore, & puritate conſcientiæ, qualē S. Pontifex requirit ab iis, qui ab ſacra mēſa ſaturari petunt; *non ſaturantur ergo, niſi famelici; quia à vitiis perfectè jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine divinitatis* S. Greg. l. 2. in 1. Reg. c. 1. ad hæc verba: *Repleti prius pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt.*

DE S. JOSEPHO SPONSO B. V. MARIÆ.

Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus. Matth. 1. 19.

1. Privilegia àdmiranda S. Joſephi.
2. Raræ ipſius virtutes.

PUNCTUM I. ETſi Evangeliū hoc nobis non dixiſſet, Joſephū fuiſſe hominē juſtū, & ſanctū per excellentiā, ſeu antonomaſticè, ipsū officiū quod ei à Patre divino in œconomia incarnationis fuit concreditū, ſatìs id nobis demonſtraret. Erat depoſitarius ſecretorū altiſſimi; & ab ipſo cœlo circa hoc ineffabile myſterium DEI erga homines amoris meruit informari *miniſter magni conſilii.* Vir ille adeò privilegiatus fuit, qui gratiā corā DEO invenit, ut intima unione conjunctus fuerit puriſſimæ, ſanctiſſimæ, ac perfectiſ-

ſimæ ex omnibus creaturis. Qualis conjunctio, & unio! ait devotiſſimus Gerſon; virginitas nimirùm jungitur alteri virginitati; hæ ſunt duæ creaturæ, & perſonæ, quarū Spiritus S. perſonalis amor Patris & Filii in æternitate, factus eſt in tempore, ut ut ita dicā amor & vinculum conjugale. *amborum conjugalis amor*, conc. habitâ in concil. Conſtant. & in opuſculo de conjug. Mariæ & Joſeph. Sunt duo myſterioſa lilia, in quorū medio requieſcit, & ſtellæ, quæ ſe aliter non reſpiciunt invicē, niſi ut ſplendorē ſuū & puritatē luminis ſui adaugeant. Maria puriſſima ex omnibus eſt; & S. Joſeph caſtiſſimus omniū virorū, teſtis, cuſtos, & protector virginitatis illius eſt. *Cuſtos virginitatis Mariæ.* Electus fuit per favorē & gratiā quamdā ſpecialē, ut eſſet adoptivus pater JEſu Chriſti, & tutor infantiæ ipſius, dignitas talis; ac tanta, quæ illū ſupra omnes Angelos extollit; cujus nomē excellentius & honorarius eſt illorum nomine; ſiquidē illi miniſtri tantùm ſunt; hic autē pater ipſius DEI. Dignus judicatus, & habitus fuit gloriâ longè majori, quàm fuerit illa Moyſis; legislator enim iſte nonniſi populū DEI ducere, & dirigere debebat; Joſeph ipsū DEū dirigebat, & manuducebat. Moyſes, non niſi ſimplex ſervus erat in domo DEI; *Moyſes in domo,*

tan-

*tanquam famulus.*Hebr. 3. Joſeph verò plenã authoritatẽ,&dominiũ in hac domo conſecutus fuit. *Conſtituit eum Dominum domûs ſuæ.* Pſ. 104. Ille transfert arcã novi teſtamenti, ſecundùm diverſas indigentias; tenetque manibus ſuis depoſitũ ſalutis, & redemptionis totius generis humani. Si neceſſe ſit, transferre JEſum in Ægyptũ,& eũ iterũ reducere in Judæã, ſolus Joſeph hoc honorifico officio decoratur, etſi ſimul periculoſiſſimo. Habuit hoc privilegiũ,ut pretioſiſſimã hanc vitã labore manuũ ſuarum, & in ſudore vultûs ſui, ſuſtentare poſſet; brachia illius proviſionẽ illã fecerunt, quâ ſubſiſtere poſſet Verbũ caro factũ. Parùm adhuc eſt, providentiã divinã, omnẽ curã, & ſollicitudinẽ in S. Joſephum tranſtuliſſe. En! adhuc aliud magìs ſtupendũ; data fuit illi poteſtas in & ſupra ipsũ omnipotentẽ: Pro ſtupendo prodigio habitũ fuit, ſolẽ aliquando, & ſemel tantùm, ad mperiũ Joſue ſtetiſſe; en! ipsũ creatorẽ ſolis, & Dominũ ipſius Joſue! qui per triginta años Joſepho obediens & ſubditus fuerat. Adhuc miramur illud, Patriarchã Joſephũ è carcere eductũ translatũ fuiſſe ad cumulũ omnium honorũ, ejúsque imperio totã Ægyptũ ſubjectã; ſed quænã ſit comparatio hæc ad illã authoritatẽ, quam ſecundus & alter Joſeph ſupra Dominũ totius mundi, & Regẽ

Regũ exercuit; *quòd DEO homo præcipiat, ſublimitas ſine ſocio ; quòd DEus homini obtemperet, humilitas ſine exemplo.* S.Bernard. hom. 1. ſup. Miſſus eſt. Veneror te o Sancte prorsùs admirabilis ob tam rara privilegia, & comerciũ illud ſacratiſſimũ, quod cum JEſu & Maria habuiſti, ah! impetra mihi, ut ego quoque intimè uniar, & conjunctus ſim huic divino Salvatori, & ſanctiſſimæ Matri ſuæ. Verùm non contenti ſimus tantùm admiratione iſta, ob tantã poteſtatẽ, & authoritatẽ S. Joſeph, ſed veniamus etiã ad virtutes illius, quæ nobis eundem adhuc venerabiliorẽ reddere debent.

PUNCTUM II. Accepit, & obtinuit has virtutes per canalẽ, & miniſteriũ B.V. Mariæ, quæ certo quodã modo, in ordine gratiæ, caput Joſephi in illũ influens erat; quemadmodũ ipſe illius, in ordine naturæ, caput fuerat. Humilitas quæ quaſi virginitas eſt animæ, juxta S. Auguſtinũ, quæque altiſſimo lõgè magìs placuit in Maria, quàm puritas illius præcisè corporalis, erat in S. Joſepho prorſus excellens; expugnabat, ut ita dicam, è memoria ſua longã illã ſeriem Patriarcharũ, Judicũ, Regũ, à quibus deſcendebat, & ſe aliter non reſpiciebat, quam vilẽ & pauperẽ operariũ, & opificem, tanquã unũ de vulgo, imò noviſſimũ omniũ hominũ. Contentus fuerat ſtatu ſuo obſcuro

& de-

& deſpecto, neque com̃utaſſet inſtrumenta opificii ſui vel cum ipſis etiã ſceptris & coronis, ſed quòd valdè mirandũ, è memoria ſua pariter excludebat tot opera ſanctiſſima, tot virtutes, quibus erat ornatus, quæque illũ in oculis DEI majorẽ reddidêre Salomone, & ſolo ſuo nihilo, ac ſpiritualibus neceſſitatibus, ſeu indigentiis ſuis ſe occupabat. Secutus eſt Chriſtũ JEſum in exiliũ ſuũ, in perſecutionibus, & vitâ ſuâ occultâ, ſeu privatâ. Non videmus autẽ, nec ſcimus, quòd vel minimã partẽ habuerit in actionibus illis glorioſioribus, aut miraculis Chriſti JEſu. Amor paupertatis non minus elucebat in toto vitæ ipſius curſu; omnia illius incom̃oda toleravit, quin unquã fuerit de iis conqueſtus; tantum abeſt, ut ſe miſerabilẽ eſſe exiſtimârit, vel in ipſo etiã ſinu miſeriæ, ut potiùs felicẽ ſe eſſe reputaverit, quod non haberet, ubi caput ſuũ reclinaret. Benedicebatque DEũ inceſſanter, quòd ſic honorare poſſet paupertatẽ JEſu Chriſti, qui cùm divitias gloriæ cœleſtis poſſediſſet, amore noſtri pauper & egenus factus eſt. Obedientia illius non minori digna eſt admiratione: nec uno momento hæſitavit unquã, quin ſtatim exequeretur ordinẽ à DEO acceptũ, quamvis ſeverum & durũ, ut, quando media nocte ſurgendum erat, & per medios quaſi ſatellites Herodis

transeundum, terráque extranea, & idolatra adeunda. Quas replicas non opposuisset alius minùs submissus & obediens? quid? proficisci sine provisione, sine comeatu, sine auxilio ullo, ad populū barbarū, durissima anni tempestate, debili virgine, & infante recenter primùm nato? hæc eadē obedientia eū in Judæam redire compulit, non obstante timore Archelai, filii tyranni illius, quē prius fugerat, æquè crudelis ac ipse pater S. Chrysost. hom. 8. in Matth. O verè promptā & perfectā obedientiā! quàm justè condemnas resistentias nostras, murmurationes nostras, prætextus nostros, quibus utimur ad tegendā pigritiam nostrā, & palliandas prævaricationes nostras! quid dicā nunc de magnitudine fidei illius? quæ fides in aliis non vacillasset, si audiissent oportere matrē & infantē accipere, ac sine mora & dilatione fugere in Ægyptum? si spiritū hujus mundi consuluisset; quid non opponere doctus fuisset, ut non exequeretur mandatū, ùt videbatur adeò exoticū? quid? dixisset nostrûm aliquis: Infans hic miraculosus venit salvare homines, & seipsum salvare nequit? viva ac illuminata fides sua eū, in uno momento, plus docuit, quàm tribus añis in schola Christi Apostoli didicerint, quod nimirū venerit DEI Filius, salvare hominē, per humiliationem &
passio-

paſſionē ſuā. Quid non adjungere poſſemus de ipſius fervore, & perſeverantia in oratíone! ſed qua ratione bubones, quales nos ſumus, terreſtrē hunc Seraphinū contemplari poterunt, qui cum DEO ſuo converſatus fuit, non quadraginta tantùm diebus, ùt Moyſes, ſed ſpatio triginta añorū? ſufficiat nobis DEū humiliter rogare, ut participes nos aliqua ratione facere dignetur virtutū illius. Pro communione vel Miſſa, conſidera te adeò felicē eſſe, ac beatū, ut poſſidere poſſis JEsū Chriſtū in SS. Euchariſtia, modo aliquo adhuc intimiori, quàm S. Joſeph eū poſſederit ſuper terrā. O quàm felices eſſemus, ſi æſtimare ſciremus hunc pretiosū theſaurum, ac tanta ſollicitudine eū conſervare, quemadmodum S, Joſeph. Roga DEū pro hac gratia; vive ad hunc effectū, ùt S. Joſeph, in oblivione & ignorātia hujus mundi, & nonniſi JEſu Chriſto te ipsū occupa; idipsū eſt, quod in te operabitur S. com̃unio, ſi dignè ad illā acceſſeris. *Hic ſanguis inebriat mentem, ut amorem obliviſcatur mundi.* S, Auguſt, tr. de Cataclyſmo, ſerm. ad Catech. n. 5.

DE ANNUNTIATIONE B. V. MARIÆ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à DEO ad virginem deſponſatam viro &c. Luc. 1. 26.

De

De virtutibus, quæ in B. V. per modum præparationis præcesserunt, ut Mater Dei fieret.

1. Quænam sunt hæ virtutes.
2. Instructio, quam nos exinde haurire debemus.

PUNCTUM I. VEneramur hodie mysteriū incarnationis Filii DEI, de quo aliàs locuti sumus (30. Decembr. & Fer. 2da Pentec.) Sufficiat nobis adorare hodie corde, amore & gratitudine pleno divinū Verbū, quod divinitatē suā, nostræ exiguitati; æternitatē suam nostræ mortalitati; magnitudinē suā nihilo nostro, univit. Miremur incomprehensibilē excessū bonitatis ejus, æquè ac excessū humiliationis suæ; & nos ipsos exinaniamus in consideratione tanti mysterii, siquidē verissimè, ac ipso facto nihil sumus; &quod nos adhuc magìs confundere debet tale nihilū sumus, quod contra DEū rebellavit; vermis insolens, pulvis superbus; & tamèn hoc non obstante, *Verbum caro factum est*. O Domine! quomodo tibi satìs gratum me propterea exhibere possum; *nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam*? Ps. 29. 10. si ab humiliatione Filii transeamus ad elevationē matris, inveniemus grande subjectū, seu materiam meditationis, in virtutibus illis, quæ in B. Virgine instar præparationis cujusdā fuêre, ut

ut Mater DEI effici mereretur. Illæ nobis indicantur in Evangelio. Prima eſt, magna illa illius puritas animi, & corporis: *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem.* Virgo eſt, quam DEus in ſuis æternis decretis in matrē proprii Filii ſui, Meſſiæ, & Redemptoris mundi, elegit; ſed nonniſi puriſſima ex omnibus; quæque reſoluta ſit, ut pro ſemper talis permaneat, prout ipſa his verbis id ipsū ad Angelū cōteſtata fuit: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* magnifica illa promiſſa, quæ ſpiritus iſte cœleſtis, & Angelicus eidem fecit, quoad filiū, qui ex ea naſciturus eſſet, nec in minimo eā dimovere poterant ab amore erga puritatē & virginitatē ſuā, Videtur, ùt ait quidā S, Pater, Greg. Nyſſen, tr. de Nativ. Chriſti) eā maluiſſe ſponsā DEI ſecundùm ſpiritū manere, quàm ut mater ejus evaderet ſecundùm carnē. Nec minor eſt fides illius. Poſtquam Angelus ei dixit Spiritū S. in eā ſuperventurū, ut mater fieri pòſſet, quin virgo eſſe ceſſaret, ſtatim ſine hæſitatione, rē adeò ſtupendā credidit, cujus ad illud uſque tempus nullū extabat, nec ſciebat exemplū. *Hodie primùm, auditur Spiritus S, ſuperveniet in te; & auditur, & creditur;* ait S. Ambroſius l. 2. in Luc. de Mar. inter & angel. reſpon. Tam perfecta erat fides illius, ut propterea DEI Filius in ſan-

ctiſſimo

ctissimo utero illius fuerit incarnatus; *beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Eva, dicunt SS.PP. peccavit per incredulitatē, per diffidentiā per præsumptionē, & mortē, ac reliqua omnia in mundum attraxit; Maria per suā fidē, fiduciā, & obedientiā, verbo divino præstitam dedit mundo Salvatorem, & reparatorē omniū malorum, quæ in genus humanum ab Eva invecta fuêre. *Beatior fuit*, ait S. Augustinns, l. de sancta virginit. c. 3. *percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Sine fide mater JEsu Christi non fuisset facta, & ad nihil ei profuturū fuisset, matrē illius secundùm carnē si hæc felicitas eidē non obtigisset, ut eū simul in mente sua portasset, dū eū in sinu suo portavit; *materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset*, S. Greg. M. Sed quid dicamus de humilitate ipsius, quæ optimè notatur, & eruitur ex istis verbis Evangelii: *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Adeò se non extulit ob qualitatē, & dignitatē maternitatis divinæ, ut potiùs conditionē servæ seu ancillæ assumpserit; quò factum fuit; ut in castissimo sinu suo, per agnitionē vilitatis suæ, & nihilitatis, idipsū divinū verbū, quod Pater æternus in æternitate ex consideratione essen-

tiæ,

tiæ, & infinitarū perfectionū, ſuū concipit, conceperit. Hæc profunda ipſius humilitas occultavit illi totū ac integrū theſaurū gratiarū, in anima illius incluſū, & eā conſervabat in continua abjectione & humiliatione ſui ipſius. Verba iſta: *ecce ancilla Domini*, indicant non tranſitoriā quādam diſpoſitionē, ſed permanentē & continuā, Fuit quædā quaſi refuſio humilitatis JEſu Chriſti in illā, quæ eā ita loqui fecit; non ſum niſi vermis terræ, & noviſſima, ac ultima creaturarū, *vide humllitatem*, ait S. Ambroſius ibid. *vide devotionem; ancillam ſe dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentinè exaltata promiſſio eſt. Mitem enim, humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre.* Benedicamus igitur, & laudemus DEū pro omnibus virtutibus, & donis cœleſtibus, quibus repleta & prædita fuit incomparabilis hæc Virgo; &

PUNCTUM II. Videamus, quamnam exinde inſtructionē nos exinde trahere debeamus. Sumus Clerici, id eſt, in tali ſtatu, cujus functiones, intimā quamdā affinitatē, & ſimilitudinē habent cū dignitate & officio divinæ maternitatis. Exinde ergo concludamus, ad qualē perfectionē tendere debeamus, qui ad ſacerdotiū aſpiramus, vel ſi actu jam dignitatē hanc ſumus conſecuti

secuti: ô! si tanta puritate opus habet Maria; si tot gratiis & virtutibus plena, & ornata fuit, ut unicū DEI Filium in sinu suo conciperet, an non æquissimū est, nos quoque, qui tā propè ad eū accedimus, eúmque quotidie in altari producimus, & de novo gignimus de talibus virtutibus eminentibus quidquā participare, quæ humillimā hanc Virginē; dignā effecerunt, ut Mater DEI fieret? interim quamnā similitudinē habet sanctitas nostra ad sanctitatem illius? quā dispositionē afferimus nos ad SS. Ordines? quomodo nos ascendimus ad hanc sacerdotii dignitatē? quibus virtutibus præditi eramus? erátne in nobis ea puritas morū & innocentia vitæ, quam omni tempore Ecclesia in suis ministris optabat? sollicitine ad minus fuimus, reparare defectus vitæ nostræ præteritæ; per longā ac seriā pœnitentiam? an non ex numero illorū sumus, qui sibi imaginantur, jam sufficere, ut ad sacerdotiū promoveri possint, si aliquot mensibus commorati fuerint in quodā seminario, quin aliquē progressū in virtute fecerint, & scientiā Clerico necessariā acquisierint? quæso, quid scire potest, exclamat hic S. Hieronymus, epist. 83. ad Oceanū, sacerdos, quasi in uno momento formatus. *Heri catechumenus, hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in*

Eccle-

Ecclesia; vespere in circo, mane in altari. Nescit, quid sit humilitas, quid patientia, quid mansuetudo christiana. Ingerit se in curā animarū, & ignorat modum illū, quo tractari debeant; nescit, quid sit orare, vel meditari, & cū DEO per elevationē cordis conversari. *Ignorat blanditias christianas; nescit seipsum contemnere; non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, & assidua meditatione correxit.* Oquot dantur Clerici, sacerdotes & pastores hujus caracteris! utinā saltem modicū quid haberent fidei & humilitatis, certè quandoque subtraherent se ab altari, & à celebratione ad tempus abstinerent, quò se ad dignius deinde celebrandū præpararent; verùm ordinaria temeritas illorū, & vitæ licentia, in qua vivunt, non finit eos facere ejusmodi reflexiones; quia ùt divinè prorsus ait S. Gregorius M. l. 31. moral. cap. 9. *cogitare se mens non potest, quæ tota apud semetipsum non est.* Quantùm ad Missam, profundissima certè humilitate eā hodie celebrare oportet. Ah! si de purissima ex omnibus virginibus dictū fuit: *non horruisti virginis uterum*; quid nos de nobis ipsis sentiamus, & dicamus, qui adeò imperfecti sumus? deberet nos ista reflexio sane ab altari arcere; quia tamē Filii DEI tanta est misericordia, ut in hunc mundū venerit, non pro benè va-

lentibus, rogemus divinū hunc Salvatorē, ut partē nobis aliquā de virtutibus ſanctiſſimæ Matris ſuæ donare dignetur, & tali modo nos purificet, ut coṁunicatio corporis & ſanguinis ſui nobis non cedat in damnationē noſtrā. *Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos, & cor meum; ut tanto Sacramento dignus inveniar! Domine JEſu Chriſte, Sacramentum corporis & ſanguinis tui quaſi pignus & obſidem cœleſtis gratiæ dimiſiſti; & in eo nobis conſtituiſti, non mortem, ſed vitam, non judicium, ſed ſalutem, quàm perditus ergo eſt, qui ſacrificium in ſacrilegium, qui myſterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem?* Petrus Bleſſ. epiſt. 123.

DE SS. PHILIPPO & JACOBO, APOSTOLIS.

Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me? Joan. 14. 9.

DE COGNITIONE JESU CHRISTI.

1. Quomodo Apoſtoli iſti, quos hodie veneramur, laboraverint, ut Chriſtum notum facerent.
2. Obligatio, quam habemus, eos quoad hoc imitandi.

PUNCTUM I. INvitat nos Evangeliū, quod hodie in Miſſa legimus, ut plenè informati ſimus de JEſu Chriſto, ut in ſtatu, & capaces eſſe poſſimus, ad exemplū horū Apoſtolorū, eū aliis quoque annuntiandi. Dicere poſſumus

pro honore & laude S. Philippi, quòd alios Apostolos quoad hoc anteiverit, siquidē Apostolatûs sui functiones statim ab illo jam tempore, quo Salvator noster adhuc in hac mortali vita degebat, executus fuerat. Quia reliqui mortuū & resuscitatū à mortuis prædicant, hunc ille vivū añuntiat, & fidelis iste discipulus, ùt magistri sui amantissimus, zeli sui signū eidē daret, quā primū eū agnovit, etiā aliis agnoscendū præbet. Parùm illi erat, si ipse tantùm amaret, & divinū magistrū suū sequeretur, vult, ut & Nathanaël hoc ipso igne amoris arderet, similis in hoc, arbori in sylva ardenti, quæ supra alias arbores deinde cadens, totam tandē sylvā incendit, & comburit; venisti divine Salvator, portare ignē hunc divinū in terrā; intentio tua, ac finis erat, ut accenderetur; & adhuc in vita tua hanc habuisti consolationē, ut hoc incendiū videre potueris tanquā effectū præmaturum zeli unius de Apostolis tuis. Postea etiā spectabantur ab eo signa hujus sancti zeli sui, ideo in Asiā profectus, ibi Evangeliū prædicavit; superstitiones sustulit, idola subvertit, impietatē exterminavit, altaria super ruina illorū, quæ falsis divinitatibus erecta fuerant, vero DEO erexit. Non minori fervore & amore flagrabat S. Jacobus, ut divinū magistrū suū ubique notū faceret & añuntia-

anuntiaret; deſtinatus, pro converſione Judæorũ, quid non fecit, ut gentem hanc & nationẽ DEO rebellẽ & obſtinatè incredulã, Chriſto JEſu lucraretur? quot lacrymas pro ipſis corã DEO non profudit? ferè ſemper inveniebatur in genua provolutus in templo, veniã petens à Domino pro populo hoc, & pro ſalute illius deprecans, tam intensè & aſſiduè, ut genua ipſius inſtar cameli obduraverint. Epiph. Hæreſi 29. Hos obſtinatos inſtruere velle, idẽ fuit, ac clamare ad populũ, magìs ad contradicendũ quàm ad credendũ propensũ; verùm, quia, magìs opere, ſeu exemplo ſuo, & non verbo tantùm inſtabat, ſanctitate vitæ ſuæ eos lucratus fuit, qui efficaciæ prædicationis ſuæ anteà reſiſtebant. Oratio illius manſuetudo, gravitas, mira affabilitas, patientia illius in perſecutionibus; uno verbo, bonus odor, quẽ à ſe diffundebat in omnẽ partẽ, eminens & excellens pietas & ſanctitas ſua, tantũ numerũ hujus gentis ad fidẽ convertit, ut ſcribæ & Phariſæi bonũ hunc ſucceſsũ prædicationis ſuæ non ampliùs ſufferre valentes, eũ ab alto præcipitârint è templo. Et ita ceſſit his duobus ſanctis Apoſtolis martyriũ, in præmiũ laborũ ſuorũ. O felicẽ finẽ! ô digni ac excellentiſſimi prædicatores JEſu Chriſti, quæ non tolerâſtis, ut homines ad illius cognitionẽ

tionē & agnitionē adduceretis? quot prælia, quot labores, quot pericula, quot perſecutiones non ſuſtinuiſtis & experti eſtis, antequam ſanguine veſtro veritates illas, quas prædicâſtis, conſignaretis? ah! quando tandē zelus noſter veſtro accedet, & ſimilis aliquo modo erit? interim

PUNCTUM II. Faciamus hanc reflexionē, quòd Clerici, utpote filii Apoſtolorū, planè obligati ſint, ut eos imitentur. Verū eſt, nos non debere prædicare JEsū Chriſtū, incognitū genti cuidā idololatræ, uti Apoſtoli; injuriosū hoc foret chriſtianis, ſi eos inſtar infideliū tractare vellemus; ſæpiùs de Chriſto verba fieri audierunt; verùm, ſi attendamus ad modicā illā pietatē & reſpectū, quē erga ſacroſancta myſteria religionis noſtræ habent, planè dici poteſt, eos haud ſufficienter inſtructos eſſe, plurimósque dari, qui ignorant, quid divinū incarnatū verbū pro ſalute ipſorū fecerit. Igitur incumbit Clericis, ut ſæpius illis talia prædicent, & explicent, quàm fieri ſoleat, & continuò oculis eorū Chriſtū JEſum exhibeant, qui poſt prædicationem facta eſt cibus animæ noſtræ, & nutrimentū, quod nunquam deficere debet, ut S. Auguſtinus ſerm. 64. de V. D. ait: *Iſte panis manducatur, ſed non finitur.* Verùm ut populus ad hanc, chriſtiano adeò dignā & neceſſa-

neceſſariã cognitionẽ perducatur, non ſatis eſt, explicare ſolummodò hiſtoriã incarnationis, nativitatis, vitæ, miraculorũ, paſſionis &c. JEſu Chriſti, ſed oportet inſuper excitare in cordibus illorũ amorẽ & gratitudinẽ, quã illi debent; obligationẽ item eis indicare, quam habent eũ imitandi, qui æquè exemplar, ac caput eſt omniũ Sanctorũ; & ut idẽ cũ Apoſtolo ſentire diſcant, nempe non dari ullũ prædeſtinatũ ad vitã, qui Chriſto conformis non ſit; *quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.* Rom 8. 29. An implêſti hucuſque obligationem hanc, miniſterio tuo adeò eſſentialẽ? prædicaſtine JEſum Chriſtum pari zelo, cum his ſanctis Apoſtolis? ſollicitusne fuiſti, illas populo proponere, & inſinuare virtutes quas in eo imitari debent, & in quibus ipſe exemplo tuo eis præire debes, ac dicere cum S. Paulo, 1. Cor. 4. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti?* ſancti hi Apoſtoli, quos hodie veneramur, adeò exacti erãt, in hoc puncto, ut ſanctus Jacobus pro ipſomet Chriſto JEſu fuerit habitus, & reputatus, adeò nimirum imitationi illius ſtudebat. Heu! quanta inter ipſos & nos differentia; quomodo quaſi alter Chriſtus reputabimur, nos qui vitã tot imperfectionibus ſcatentẽ ducimus, & tam irregulariter vivimus, ut vix pro miniſtris ejus agnoſci

poſſe-

possemus, nisi habitū & characterē illius in nobis deprehenderent homines? Pro præparatione ad Misſā; erubesce, quod toties Christū JEsum in S. Cōmunione sumpseris, illi tamen tam parùm similis esse videaris; *tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* pete veniā ab eo ob modicū fructū illū, quē hucusque è sacra cōmunione traxisti, & pro gratiarū actione memor esto horū verborū S. Joannis; *qui dicit: se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare* 1. ep, 2. 6. En viā compendiariā ac brevissimā, ut omniū corda ad ipsum trahere valeas; igitur tota cura, & occupatio tua sit imposterū, imitari hunc divinū magistrū tuū, & ut & alios ad illius cognitionē & agnitionē adducas; *unicus finis, unicus scopus, unica consolatio, unicum refrigerium pastoralis officii est, adducere animas ad cognitionem & amorem DEI.* Barthol. à Martyr. Him. past. 2. p. c. 6.

DE S. ATHANASIO, PATRIARCHA ALEXANDRINO.

De magnanimitate pastorum sacrorum, tempore persecutionum.

1. Quàm splendidè, & ædificatoriè pro tota Ecclesia hæc in S. Athanasio eluxerit.

2. Quantùm moveri debeant Clerici hoc ipsius exemplo in afflictionibus suis injustis.

In omnibus tribulationem patimur, sed non non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur. Persecutionem patimur, sed non delinquimur; dejicimur, sed non perimus. Semper mortificationem JEsu in corpore nostro circumferentes, ut & vita JEsû manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur, propter JEsum; ut & vita JEsu manifestetur in carne nostra mortali. 2. Cor. 4. 8.

PUNCTUM I. VErba ista S. Pauli quæ enumerationem malorũ omniũ, quæ pro JEsu Christo passus est, continent, adeò benè conveniunt, magno Athanasio, ut Ecclesia judicaverit, ea in die natali ejusdẽ eidẽ optimè applicari posse, ut omnia intelligamus, & comprehendamus, quæ illustrissimus hic defensor divinitatis JEsu Christi, in causâ hujus divini magistri sui, perpessus fuit. Omne genus afflictionũ & adversitatũ, instar hujus Apostoli expertus fuerat, non tamen animo cecidit propterea; difficultates quasi insuperabiles invenit, nulli tamen cessit; *in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur.* Et sanè dici potest, à tempore Apostolorũ vix inveniri pastorẽ animarũ, qui majorẽ animi fortitu-

fortitudinē, & majori admiratione dignam oſtenderit, quàm S. Athanaſius, durante per quadraginta ſex annos regimine Epiſcopatûs ſui, ubi Ariani, & Imperatores Conſtans & Valens, à quibus illi defendebantur, duriſſimā, longiſſimā, & omninò injuſtiſſimā perſecutionem ei adornârunt, quæ unquā alli homini accidere poſſet. Interim medius in tanto omniū malorū diluvio, & generali quaſi ab omnibus derelictione, magnus hic ſanctus, tam immobilis, & conſtans perſtitit, ſolúsque ferè & unicus, in oriente honorē Epiſcopalē & puritatem fidei tam firmiter ſuſtinuit, & defendit, ut vel ipſis Angelis admirationi fuerit. Non poteſt id melius ob oculos poni, qualis in his circumſtantiis fuerit interior cordis ipſius diſpoſitio, quàm ſi audiamus ipsū loquentē; ad vitā ſolitariā ducentes, qualiter hunc ſuum ſtatū depingat, ita ait: *ignari, vecordes, ſe in iis ſubſcriptionibus, non voluntates Epiſcoporum, ſed vim, quam paſſi eſſent, oſtentare; ignarique item, ſi fratres deſerant, votique & amici procul abſiſtant, nemoque ſuperſit, qui velit ſimul contriſtari, aut conſolationem adhibere, tamen plusquam omnia ſufficere ad tutelam DEI refugium. Elias ſolus erat in perſecutione, ſed tamen in omnibus, locò omnium habebat DEum, & hanc formulam tradidit nobis*

Salvator, qui ab omnibus derelictus, insidias inimicorum passus est, ut si nos quoque in persecutione ab hominibus relinquamur, non desponderemus animum, sed in eo spem haberemus; nec veritatem proderemus, quæ tametsi principio affligi videatur, postea tamen ipsa à persecutionibus agnoscitur. Neque putare debemus, quasi hæc illius animi magnitudo, quæ in S. Athanasio adeò resplenduit, eidẽ sensũ quemdã vanitatis, & contemptûs aliorũ inspiraverit. Nullo modo, ait S. Gregorius Nazianzenus orat. 21. *vitâ enim quidem sublimis erat, verùm animô humilis.* Sciebat enim omnes virtutes inter se, ac secũ unire, & Athanasium laudare, idẽ est, ac virtutẽ prædicare, ait idem Greg. *Athanasium laudans, virtutem laudabo.* Videbatur in illo, ait S. Basilius epist. 55. charitas adeò generalis & universalis, ut omniũ eorũ curã, & sollicitudinẽ in se susceperit, qui DEI erant, & non minûs defensor, quàm Pater erat orthodoxæ fidei: uno verbo: juxta mentẽ & opinionem Patrũ, columna erat totius Ecclesiæ; *quamdiu Athanasius nobiscum versatus est, vera Ecclesiæ columna fuit.* ait idẽ Nazianz. Gratias DEO age, quòd Ecclesiæ hunc magnũ Episcopũ tali tempore dederit, quo hæretici, maligni & perversi homines, authoritate Imperatorũm suffulti, aliud non intendebant,

debant, quàm quomodo eam ſubverterent. Et,

PUNCTUM II. Conſidera ulteriùs, exemplū hujus admirabilis, ac verè magni Eccleſiæ paſtoris, valdè movere & confortare debere Clericos illos, qui in afflictione poſiti ſunt, vel injuſtā quamdā perſecutionē patiuntur. Meminiſſe ergo debent 1mo miniſtros Eccleſiæ, quò fideliores DEO ſunt, & obligationi ſuæ ſatisfacere ſtudent, non eo ipſo etiā acceptiores, & gratiores eſſe, præſertim potentatibus hujus ſæculi. *Bonus es in oculis meis*, ait Achìs ad David, *ſicut Angelus DEI, ſed ſatrapis non places.* 1. Reg. 29. Diſplicet enim illorū rectitudo & zelus; inde eſt, quòd contra illos tales inſurgant, & eos denigrent, & perſequantur. 2dò. quòd DEus, qui ſervos ſuos in humilitate conſervare vult, quò plùs meritorū habent; ac toti mundo palam facere, quòd per ſuā potentiā & auxiliū magnas illas res operentur, quæ ab ipſis fiūt; ſimul etiam velit, eos contemptui apud alios eſſe, ac tranſire per varia genera probationū; útque vita illorū copia ſeu imago quædā ſit, vitæ pauperis & humilis, ac crucifixæ Chriſti JEſū. 3tiò meminiſſe debent in tali tempore adverſitatis & perſecutionū, quid tot alii illuſtriſſimi confeſſores, & in particulari S. Athanaſius in ejus-

modi

modi circūſtantiis pro gloria DEI paſſi ſint, quorū exemplū, fidē & pietatē in ipſis ſuſcitare & animare debet. Magnitudo animi, & admirabilis conſtantia hujus S. Patriarchæ, quam in medio tot malorum, à quibus opprimi debere videbatur, oſtendit, adeò digna miniſtro DEI viſa fuit Papæ Cœleſtino I. ut ſummus hic Pontifex neceſſariū eſſe duxerit, eam clero Conſtantinopolitano, quē Neſtorius perſequebatur, cujus hæreſi ſe opponebat, proponere, ut ſic eos conſolaretur, & animaret hoc tam grandi exemplo, animosè & generosè perferendi omnia illa mala, quæ ex hac cauſa illis ferenda erant. Vos omnes, ait hic S. Pontifex, in concil. Epheſ. act. 1. 19. qui ab Eccleſiis veſtris pulſi eſtis, conjicite oculos veſtros in Athanaſiū, felicis recordationis, ſapientiſſimū Alexandrinū Epiſcopū, Quis eſt, qui non inveniat in eo perfectiſſimum exemplar fortitudinis & conſtantiæ? quis eſt, qui reditū illius, tanto tempore exſpectatū, conſiderans, ſpem non concipiat? pulſus ſua ſede fuerat perſequentibûs Arianîs; revocatus autem per protectionem DEI; ſuſtinuit carcerē, mala prorſus magna, & extrema, ac ferè talia, quæ ipsū Apoſtolū etiam exagitabant; nihilominus in omnibus iſtis ſecutus eſt exemplum illius, qui teſtatur,

quàm

quàm gratæ & acceptæ illi ſint tribulationes noſtræ; non defecit in omnibus iſtis paſſionibus, & per hoc mediũ adeptus eſt gloriam Confeſſoris. Quod oſtendit, neminẽ chriſtianorum deplorare debere exiliũ ſuũ temporale, quia nullus eſt, quamcunque perſecutionẽ ſuſtineat, qui propterea à DEO repulſus ſit; *timeamus, ne è regione vivorum, hoc eſt, ab illa, quam noſtram patriam eſſe volumus, exulemus.* Miniſtri Domini! ſequamur, quæſo, conſiliũ hujus magni Pontificis, ſi propterea perſecutionẽ aliquã patiamur, quin obligationi noſtræ ſatisfecerimus, vel ſi in afflictione, vel omnimoda derelictione omnis humani auxilii nos conſtitutos experiamur. Conjiciamus oculos noſtros ſupra firmitatẽ, & magnanimitatẽ illam, quam S. Athanaſius & tot alii ſancti paſtores, in ſimilibus circumſtantiis præſetulerunt, ut exemplum eorũ nobis ſerviat ad conſolationẽ, ad ſublevamen, ad calcar, ad perferendũ quidlibet pro DEO, cui ſervimus, ad ponendã in illo fiduciã noſtrã; & exſpectandũ ab eo auxiliũ illud, quo indigemus: *levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Pſ. 120. Hæc ſit noſtra præparatio ad Miſſam vel Cõmunionẽ hodiernã. Domine JEſu Chriſte, qui elegiſti nos ad celebrandam memoriã paſſionis & mortis tuæ, dignos

nos

nos etiã fac, ut aliquid pro te patiamur, quemadmodũ tot alii admirandi ſervi tui, ac altaris miniſtri paſſi ſunt. Dona nobis, obſecro, partem aliquam de iſto zelo, de iſta fortitudine, de iſta magnanimitate, quâ ipſi contempſerunt minas hominum, & terribilibus etiam perſecutionibus ſuperiores effecti ſunt, ut capaces ſimus tantâ firmitate id pati, quod ſit pro gloriâ tuâ, noſtra ſalute & ad ædificationẽ Eccleſiæ; & tunc etiam nos experiemur, quẽadmodum illi experti ſunt, conſolationẽ, ità ut dicturi ſimus cum Apoſtolo 2. Cor. 1. *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ità per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.*

DE S. PHILIPPO NEREO.

Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxtà cor meum & ſecundùm animam meam faciet; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. 1. Reg. 2.

1. Qualiter ſe S. Philippus Nereus diſpoſuerit ad ſacerdotium.
2. Functiones & occupationes illius in Sacerdotio.

PUNCTUM I. DUo ſunt neceſſaria illis, qui ſacerdotio novæ legis initiari volunt. 1mum eſt, ut nonniſi per JEſũ Chriſtũ, per illius inſpirationẽ, per Spiritũ ipſius, per cognitionem illius, & Sanctiſſimæ voluntatis ejus per praxin & exercitium virtutũ, per deſiderium

rium propriæ, & alienæ salutis in illud intrent, *Per me, si quis introiërit salvabitur*; ait S. Paulus 2. Tim. 2. 3. S. Philippus de utraque veritate optimè persuasus, maturè se disposuit, ad illū statū, ad quem à DEO destinatus erat; ibat enim de virtute in virtutē, & quotidie nova, & majora signa dabat veritatis vocationis suæ ad eundē. Si amor DEI & proximi principalis dispositio sunt ad sacerdotium, verissimum est, quod utroque amore omninò plenum fuerit cor illius, nunquā fuit ullus DEI minister tā sanctè affectus pro gloria DEI, quē zelus domûs DEI ita quasi comederi, aut magìs addictus saluti animarum, pretioso Christi sanguine emptarum, quàm ille, qui Jure merito dicere poterat cum S. Paulo: *Charitas Christi urget nos.* Charitas ista principium & anima erat omnium cogitationum verborum, actionum, passionum suarum; pondus illud, quod illum giganteis passibus currere fecit viam, & stadium perfectionis, & consiliorum evangelicorū. Illa erat, quæ eum ad abrenuntiationem patrimonii sui, ad spem pinguis & divitis successionis & hæreditatis deponendā, ad se servitio pauperum & ægrotorum consecrandum, ad prodigendā propriam quietem & sanitatem; ad consumendam vitā suam in instruendis rudibus & ignoranti-

bus

bus cōmisit; hæc ei dedit viscera & affectum compassionis erga quascunque miserias proximi; hæc ei inspiravit cogitationem & desideriū proficiscendi in Indias, ibîque immolandi vitam suam Christo JEsu per martyrium. Tandem si illum vidisses Romæ de loco in locum, de platea in aliam circumcursare, hoc faciebat, ut peccatores, quos converteret, afflictos quos consolaretur, devios, ut in viam reduceret, justos, ut in gratia divina confirmaret, quæreret, & inveniret, si infatigabiliter laborat ad destructionem regni sathanæ, & ad stabiliendum regnum JEsu; si singulari & stupendo sanè affectu cor, illius incessanter palpitrare & pectus ipsius se dilatare, ut huic amori majus spatium concedat, videtur, omnia hæc & similia hujus excessûs amoris illius affectus erāt. *Charitas Christi urget nos.* Cùm sciverit, quantum nobis oratio cōmendata sit, parum est, si dico eum se illi applicasse; totum ac integrum se orationi dedit, ac consecravit; erat illi oratio locò omnis studii, negotiorum, & voluptatum ac deliciarum. Considerabat illam tanquam occupationem, quæ juxta mentem Christi debet esse interrupta & infatigabilis; hinc postquā diem insumpsit in visitandis principalibus civitatis Ecclesis, vix sol occu-

buerat,

buerat, ibat ad cæmeteriũ Calixti, ubi omnes SS. Martyres. qui terrã illã ſanguine ſuo irrigârunt, quam Philippus lacrymis ſuis rigabat, teſtes erant, quòd ad exemplũ magiſtri ac Domini ſui integras noctes tranſegerit ibi in mittendis in cœlum ſuſpiriis, ac gemitibus ſuis; *pernoctans in oratione.* Humilitas illius non minus profunda erat, quàm oratio illius elevata ac ſublimis, Quis deſcribere valeat omnes illius ſanctas inventiones, quas ei virtus iſta, Clericis ſũmopere neceſſaria ſuggeſſit, ut hominum oculis occultaret talenta tam naturæ quàm gratiæ, quibus copiosè à cœlo ditatus fuerat? quamquẽ à tenera uſque ætate fideliſſimus ſemper DEO fuerit, ſi intellexit quempiã in grave crimen incidiſſe, ſubitò apud ſe dicebat: utinam ego non feciſſem quid pejus! adeò diffidebat ſuis propriis viribus, & ita perſuaſus erat de ſua propria infirmitate, ut quotidie hanc proteſtationem corã DEO fecerit. O Domine! noli mihi fidere: perfidus & malitioſus ſum homo, fortè adhuc hodie te tradã & tales exceſſus comittam, longè enormiores, quàm ab impiiſſimo etiã comitti poſſunt. Ita humilitas ſua eũ loqui cogebat. Quot machinis ipſius directori ſpirituali opus erat contra eum, ut ad ſacrũ presbyteratûs Ordinem ſuſcipiendũ eũ permoveret? an fortè un-

quam hunc ſanctũ terrorẽ & ſalutarẽ amiſit, quemadmodũ illi, qui ſibi ejusmodi res ùtùt Sanctiſſimas, nimìs familiares reddunt? an unquã fortè oculos perſtringi vel omninò obcœcari permiſit à ſplendore dignitatũ Eccleſiaſticarũ, imò ipſius etiam purpuræ Cardinalitiæ? an non conſtanter recuſavit cardinalitiã dignitatem à Gregorio XIV, & Clemente VIII. ſibi oblatam, ſæpè conteſtatus ſe aliã qualitatem,quàm ſimplicis ſacerdotis minimè admiſſurum? longè nimiũ diſſimilis & diverſus ab ambitioſo illorũ ſpiritu, qui aliter in Eccleſiam non intrant, niſi ut officia & dignitaties quærant, vel in defectu beneficiorum ut vanitati ſuæ adulentur, tales ſibi aſſumunt & arrogant titulos, qui iis ſolummodo competunt,quorũ dignitates ambierunt? reflecte te hic parumper ſupra diſpoſitiones tuas, quas tu ad ſacerdotiũ attuliſti; an illis hujus ſancti ſimiles erant? ô qualis, quantáque differentia! humilia teipsũ de præteritis & in futurum reſuſcita in te gratiam Ordinis tui ſacerdotalis, conſiderando in hunc finẽ qualiter ſe Sanctus iſte applicaverit, ad hanc ſanè glorioſam functionem.

PUNCTUM II. Erat ſanctiſſimus hic ſacerdos totus occupatus ſua vocatione, ac miniſterio ſuo ſine ulla receptione vel

reſervatione ſe dicabat; omnia miſericordiae opera, quae ab eo DEus exigere videbatur, fuêre quaſi continuũ quoddã ſacerdotii ſui exercitiũ, fuit nimirum ille Evangelicus operarius, qui portavit *pondus diei & aeſtus*, abſque ulla defatigatione; qui ſe cum S. Paulo debitorem eſſe profitebatur omnibus; qui vel ipſa neceſſaria ad ſuſtentationem ſibi ideo ſubtrahebat, credebatque, permiſſum ſibi non eſſe, capere quietem, vel ſomnum, ſi tempus hoc dare. vel impendere poſſet converſioni peccatorũ, inſtructioni ignorantium, vel ſolatio & refrigerio animarum. Sed videamus magis adhuc per partes ipſius occupationes. Primaria ſacerdotis functio eſt, conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti; unire ſeipſum in ſpiritu, & ex corde huic diviniſſimo ſacrificio; ſeipſum ſacrificare cũ illa victima, quam in Miſſa immolat; unô verbô, debet eſſe quaſi alter JEſus Chriſtus viſibilis ſuper terram, quemadmodũ ſacerdos illius viſibilis eſt; quis autem ſanctorum unquã majori fide, majori zelo, majori cum fervore huic ſanctiſſimo myſterio ſe applicavit, quàm S. Philippus. Non vivebat, niſi ut uniret ſe JEſu Chriſto; defeciſſet anima illius, ſi vel uno ſolo die hôc cibô carere debuiſſet; frequens uſus ſacrorum myſteriorum non niſi devotionem & reverentiam

in illo duplicabat; aliud non intendebat, nec ſuſpirabat, niſi ut JEſum poſſideret; poſſeſſio iſta accendebat in illo novum deſiderium, & deſiderium poſſeſſionē, & gaudiū, illius confirmabat; & per hoc ſanctum commerciū impletū fuit in ipſo, quod Chriſtus dixit de omnibus dignè cōmunicantibus: *in me manet, & ego in eo.* Hinc ordinariè ſingulis diebus Miſſam legebat, quam etiā lōgiori tēpore protrahebat. Gaudiū quoddā internū viva & religioſiſſima quædā fides ſpiritū illius replebant Majeſtate DEI, quē offerebat, & cor illius amore DEI; *de excelſo miſit ignem in oſſibus meis.* Verùm inter tot diverſas functiones ſacerdotii, cui præ cæteris ſe S. Philippus devovebat, ubi etiā DEus labores illius, ac ſollicitudinem copioſiùs remunerabatur, erat auditio confeſſionū; in hoc ſacro tribunali, ſapientiâ divinâ ductus, & illuſtratus (quæ diſponit omnia ſuaviter & ad finē perducit fortiter) infundebat ad exemplum Samaritani vinū & oleū in plagas illorū, quos vulneratos reperat; illos lavabat, ſanabat, confirmabat, quamcunque venenata, & ferè incurabilia videri potuiſſent illorum vulnera in hoc ſacro tribunali per auxilium & gratiā illius, qui corda noſtra in manu ſua habet, & ſpirat, ubi vult, ſubſtituebat cor carneū, ubi prius inventū cor lapideum, accen-

accendebat carbones, ubi nonnisi glacies & gelu erat; tranquillitatē, depulsa tempestate, reducebat; pulchrū reddebat, quod prius horrendū erat; nec priùs á labore isto spirituali remittebat, aut cessabat, nisi sublata penitus radice peccati & reductis poenitentibus in viā arctam & securā salutis. Compatiebatur singulorum infirmitatibus, quin tamen de Jure divini magistri sui quidquā remiserit; applicabat illis pretiosissimū illius sanguinem, & simul animabat & confirmabat eosdem, ut parati deinceps essent, millies potiùs fundendi propriū sanguinē, quám ut dēnuò bonitate ipsius infinita abuterentur. Ita comunitèr Romæ, & per universā Italiā habebatur, & æstimabatur, tanquā consumatus, & perfectissimus director & dux spiritualis, in regimine animarū, quæ est ars artium. Proprii interesse, seu comodi prorsus expers, aliud non quærebat, nisi animarū salutē, irreprehēsiblis per omnia, ut nulli ūquā daret occasionē, malè de se loquendi. Audiebat confessiones cujusdā nobilissimæ foeminæ Romanæ & natalibus, & pulchritudine clarissimæ, triginta sex anis, quin eā vel semel tantùm aspexerit; infatigabilis adeò, ut nūquā toediū ullū admiserit, in functione hac per se satìs gravi, & toedioso; confessionale suum pro centro suo habebat, & loco suæ

quietis; & refectionis & somni oblivisceba-tur], ut huic sacro exercitio vacaret; ne-que infirmitates, neque decrepita senectus, neque aliæ occupationes eum impedire po-tuêre, ab hoc sancto labore adeò, ut illâ ipsa ahuc ultimâ die suæ mortis administrârit, hoc pœnitentiæ Sacramentū pluribus per-sonis faciendo, ex hoc ipso exercitio bonā dispositionē, & præparationē ad mortē, dū aliis media benè vivendi porrigebat. O sa-cerdotē planè excellentē! ô admirabilē o-perarium, qui nec uno momento cessabat, quousque non metā cursûs sui attigisset hoc est, stantē mori, armis in manu retentis, & non ignavè; *nequaquam, ut mori solent ignavi, hic mortuus est.* Benedictus sis Domine DE-us meus, quòd Ecclesiæ tuæ hunc sanctū sacerdotem, & magnū ducem spiritualem concesseris; concede nobis hanc gratiā, ut eum aliquatenus imitari valeamus; ad hoc enim eò magìs obligati sumus, quò similes functiones & exercitia inseparabiliter sta-tui & professioni nostræ annexa sunt. Fac ô Domine, ut benè comprehendamus, ùt ille, sacerdotem debere ad aram mori, & sacerdotium, quo nos beare dignatus es, non esse titulum solum, absque functione, prout mundus sibi imaginatur, sed mini-sterium laborum & occupationum spiritua-lium, quale ab omnibus veris servis tuis,

ac ſemper, exiſtimabatur. Præcipuè in oratione & ſacra Communione factum fuit, quòd S, Philîppus in amore DEI & proxîmi incaluerit; utamur parîbus mediis, ut hunc divînum ignem pariter in corde noſtro accendamus, à quo ille tam feliciter abſumptus & conſumptus fuît; *concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet.* Pſ. 38. 4.

JNDEX
MATERIARUM HUJUS PARTIS VERNALIS.

crimen

FERIA

non

INDEX.

Feria Quarta.

Feria Quinta.

Feria Sexta.

Die Sabbathi.

DOMINICA PALMARUM.

Feria Secunda.

Feria Tertia.

FERIA QUARTA.

FERIA QUINTA SANCTA.

FERIA SEXTA SANCTA.

SABBATHO SANCTO.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

FERIA SECUNDA POST PASCHA.

FERIA TERTIA.

FERIA

FERIA QUARTA.

FERIA QUINTA.

FERIA SEXTA.

DIE SABBATHI.

DOMINICA I. POST PASCHA.

FERIA SECUNDA.

FERIA TERTIA.

FERIA QUARTA.

scere

FERIA SEXTA.

DIE SABBATHI.

DOMINICA V. POST PASCHA.

FERIA SECUNDA.

FERIA TERTIA.

FERIA QUARTA in Vigilia Ascensionis,

PRO FESTO ASCENS: D. N. J. C.

FERIA SEXTA.

DIE SABBATHI.

DOMINICA infra OCTAV: ASCENS: D. N. J. C.

FERIA SECUNDA.

FERIA TERTIA.

FERIA QUARTA.

FERIA QUINTA.

FERIA SEXTA.

ADDITIO MEDITATIONUM.

DE S. MATTHIA APOSTOLO.

DE S. THOMA AQUINATE, ECCLESIÆ DOCTORE.

DE S. GREGORIO PAPA, DICTO MAGNO.

DE S. JOSEPHO SPONSO B. V. MARIÆ.

DE ANNUNTIATIONE B. V. MARIÆ.

DE S. PHILIPPO ET JACOBO APOSTOLIS.

DE S. ATHANASIO, PATRIARCHA ALEXANDRINO.

DE S. PHILIPPO NEREO.